This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

V 725


Digitized by Google

Digitized by Google

NICOLAI GüRTLERI,

DVM VIVERET IN ACADEMIA FRANE-
QVERANA PROFESSORIS,

SYNOPSIS
THEOLOGIÆ
REFORMATÆ.



MARBURGI,

Ex OFFICINA MüLLERIANA.

M D CC XXXI.

Dono Leonard, additus Biblioth: Academ: Lausan: 17—85.

BIBL: STUD: ACAD: LAUS:

AZ 6840 (1)

Digitized by Google

R003113641
Don 5.1414
Digitized by Google

TYPOGRAPHVS
AD
LECTOREM.

EN, Lector Benevole, prodit iterum Liber *Nicolai Gürtleri*, non ita pridem in Academia Franequerana Profeſſoris meritiſſimi (cui Auctor, adhuc in vivis, pro ſua modeſtia inſcripſit Formam Sanorum Sermonum; ac Scholæ privatæ deſtinavit.) ſub titulo Synopſeos Theologiæ (quod fiet, uti ſpero, haud invitis Defuncti Manibus,) id enim Nomen huic Operi, vel à Viris doctiſſimis, & æquis rerum æſtimatoribus, jure merito conceditur. Quippe quum revera contineat Synopſin totius Theologiæ Orthodoxæ, ita diſpoſitam, ut & rerum ordo, & temporum ſeries, quantum fieri poteſt, obſerventur: veritates ex veritatibus deducantur, nec non Scriptura Sacra, ac ratione (id ubi res patitur) adſtruantur; errorum fontes ac ſcopus indicantur; eorundemque Auctores modeſte, (quod rarum) ac ſolide refelluntur.

Sed quæret fortaſſe Sciolus aliquis, quorſum, & cui bono edis Synopſin Theo-

 logiæ,

Digitized by Google

logiæ, & quibus ſapiet jam toties illa, ad nauſeam uſque, recocta Crambe? Theologiæ enim Syſtemata Syſtemati mundi oneri magis ſunt, quam uſui; quum docti indoctique Syſtemata ſcribant; adeo ut ambigas quænam eliges, nam ad omnia legenda vix ſufficit ævum: itaque cenſoribus magis curandum eſſe videtur ut Syſtemata de medio tollantur, quam quod proferantur in medium.

Præterquam quod Viri doctiſſimi jam pridem adeo deſudarunt in eo genere Scriptionis, ut perfectionis metam attigiſſe videantur; itaque ſit quaſi quis poſt Homerum ſcribat Iliada. At heus tu, quisquis es, ſi prius illud in plagiarios dictum velis, eosque, qui quam primum Theologiæ ſtadium ſunt emenſi, Theologiæ Syſtemata edunt; facile tranſibo in tuam ſententiam. Sin autem ad hoc doctiſſimum eruditiſſimi Auctoris opus, næ vehementer falleris; quum non exſcripſit, uti plerique, jurantes in verba Magiſtri, ſed deſcripſit Vir doctiſſimus; & quidem in lecto, morbo graviſſimo affectus, ubi animus, immunis ab omnibus mundi ac muneris negotiis, nihil niſi cœlum ſpiraret.

Ad

Digitized by Google

Ad alterum illud. Cenſeſne exhauſtam adeo immenſam illam veritatis Scaturiginem, ut poſt ampliſſimam meſſem ne ſpicilegia quidem ſuperſint? neſcis quod omnia non poſſint omnes, & quam facile ſit inventis addere? nonne, denique expertus es, quod quandoque bonus dormitet Homerus, & plurima vel oculatisſimos fugiant, præterquam quod omnes non ſcribant ad omnium captum, & ſtyli varietas delectet.

Itaque lege ac perlege hoc qualecumque opus, & ſi mea mens non læva ſit, & mea me ratio fallat, inveniet hic attentus veritatis indagator, quæ in aliis operibus, quantumvis pretioſis, fruſtra deſiderabit. Quod ſupereſt, Tibi quoque notificandum judicavi, quod D. v. B. hujus Auctoris Inſtitutiones Theologicas ex typographia mea, novis typis & charta nitida, à mendis editionum priorum purgatas, hoc anno expectare poſſis. Vale.

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Deo & Homine.

Cap. I. *De principiis humanæ cognitionis, Ratione & Revelatione* pag. 1
II. *de libris quibus Revelatio continetur* 7
III. *de virtutibus librorum V. & N.T.* 14
IV. *de officio noſtro erga Scripturam S.* 17
V. *Deum eſſe & eſſe Ens perfectiſſimum* 24
VI. *Deum eſſe Patrem, Filium ac Spiritum S.* 37
VII. *de conſilio & decreto Dei Patris, Filii & Sp. S.* 44
VIII. *de creatione & rebus creatis* 50
IX. *de Angelis* 59
X. *de Homine & ejus officio* 64
XI. *de præmio officii* 72
XII. *de prima hominis culpa* 78
XIII. *de miſeria primam hominis culpam ſecuta* 84
XIV. *de propagatione miſeriæ in genus hum.* 94

LIBER SECUNDUS.

De ſalute peccatoris in Chriſto.

I. *De conſilio gratiæ & iræ exercendæ erga genus humanum* 99
II. *de Liberatore* 114
III. *de vocatione peccatoris ad Deum* 119
IV. *de fide qua cum Deo jungimur* 128
V. *de conjunctione noſtra cum Deo per fidem, deque adoptione & libertate* 137
VI. *de juſtitia noſtra* 140
VII. *de ſanctitate hominis poſt peccatum juſti* 152
VIII. *de bonis operibus* 159

IX.

Digitized by Google

IX. *de conſtantia beneficiorum Chriſti* 166
X. *de conſcientia ſalutis in Chriſto parta* 171
XI. *de conſervatione mundi ad exequendum gratia & ira conſilium* 180
XII. *de mundi gubernatione* 188

LIBER TERTIUS.

De ſalute peccatoris in Chriſto tempore primo.

I. *de conſilii gratia executione per promiſſionem ab Adamo uſque ad Moſen* 197
II. *de modo revelata promiſſionis* 204
III. *de Seminis Liberantis exhibitione in typis & apparitionibus* 208
IV. *de ſalute ſeminis liberati tempore primo* 215
V. *de ſemine liberato temporis primi* 219
VI. *de ſemine ſerpentis* 222

LIBER QUARTUS.

De conſilii gratiæ executione per Vet. Teſt. tempore ſecundo.

I. *de veteri Teſtamento* 226
II. *de ſtipulatione Dei & Iſraelitarum temeraria adſtipulatione* 231
III. *de rebus cultum vituli proxime ſecutis* 235
IV. *de Decalogo* 241
V. *de novo onere ad Decalogum addito* 250
VI. *de promiſſionis confirmatione & amplificatione tempore ſecundo* 258
VII. *de criminationibus librorum quibus promiſſiones confirmata & amplificata continentur* 264
VIII. *de exhibitione ſeminis liberantis per typos tempore ſecundo* 270
IX. *de apparitionibus Liberatoris tempore ſecundo* 276
X. *de ſalute ſeminis liberati tempore ſecundo* 281
XI. *de ſemine liberato temporis ſecundi* 288
XII. *de ſemine ſerpentis tempore ſecundo* 298

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

De Meſſia præſtito.

I.	*De adventu Meſſia in carne ſub finem temporis ſecundi*	303
II.	*de vita Meſſia privata*	315
III.	*de vita Meſſia publica*	319
IV.	*de Meſſia paſſione*	330
V.	*de Meſsia reſurrectione & in cœlum adſcenſione*	336
VI.	*de Meſsia ſtatu humili & glorioſo*	341
VII.	*de Meſsia officio ſacerdotali*	346
VIII.	*de ſententiis adverſariorum doctrina huic oppoſitis*	362
IX.	*de fructuum victima Ieſu Chriſti in nos collatione*	371
X.	*de Meſsia officio prophetico*	375
XI.	- - - *munere regio*	383

LIBER SEXTUS.

De conſilii gratiæ executione per novum Teſtamentum tempore tertio.

I.	*De Novo Teſtamento & Evangelio*	395
II.	*de ſalute ſeminis liberati tempore tertio*	401
III.	*de Baptiſmo*	409
IV.	*de Cœna Sacra*	418
V.	*de Romana Eccleſia erroribus in doctrina de Sacramentis*	427
VI.	*de propagatione gratia nova ad omnes gentes*	438
VII.	*de ſemine liberato temporis tertii*	440
VIII.	- - - *ſerpentis tempore tertio*	443
IX.	*de adventu Chriſti ad judicium ultimum*	448
X.	*de ſuſcitatione mortuorum*	449
XI.	*de forma & executione judicii ultimi*	455
XII.	*de ſalute æterna*	460

SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS THEOLOGIÆ.

LIBER PRIMUS DE DEO & HOMINE.

CAPUT I.

De Principiis humanæ cognitionis, Ratione & Revelatione.

1.

HOmo ſe ipſe contemplans facile obſervat, intellectu ſe eſſe præditum, & voluntate: aut habere facultatem, res percipiendi, cupiendi, amandi, averſandi, iis lætandi, acquieſcendi. Quod tamen magis attentione ad ſuas cogitationes experiri, quam inſtitutione per ſermonem diſcere poteſt.

2. Eſt enim homo *mens carne induta*, νοῦς σεσαρκωμένος, *Secund.* in ſententiis: differtque à brutis animantibus, cum notitia rerum per corpus ſibi repræſentatarum, tum ſcientia veritatum animo inſculptarum, aut ratiocinando è veritatibus cognitis elicitarum. *Pſ.* 32:9. *Pſ.* 49:21. *Jud.* vſ. 10.

3. Nec ſolum valet mens facultate recipiendi ideas plures, ſive res diverſas percipiendi, vel extra nos poſitas, cœlum, terram; vel intra nos contingentes, dolorem, lætitiam: ſed & habet volunta-

tem,

Digitized by Google

tem, facultatem recipiendi plures inclinationes, ſeu volendi res diverſas, aut corpus, aut mentem ipſam reſpicientes: veluti ſunt cibus, potus, opes, honores, doctrina, ſapientia, &c.

4. Inter primas & potiſſimas veritates, quæ naturalis intelligentiæ vi cognoſcuntur, hæc eſt: *neque nos, neque alias res finitas, exiſtere à ſe ipſis.* Nam *a.* potuiſſemus non exiſtere; quod autem à ſe exiſtit, adeo perfectam habet eſſentiam, ut non poſſit non exiſtere.

5. *b.* Non poſſumus ipſi vitam noſtram conſervare, ſed morbis, morti & deſtructioni ſumus obnoxii: qui vero nequit ſibi dare exiſtentiam momento ſecundo, tertio, aut eo, quo ceſſat, is neque momento primo vitam ſibi dare potuit.

6. *c.* Inter aliquid & nihil maxima eſt diſtantia, ad quam tollendam virtus requiritur infinita. Eſt autem noſtra mens finita, plurima nec comprehendens, nec efficere potens: idque propterea neque ſe ipſam, neque corpus è nihilo producere valuit, *Job.* 38: 2. ſeqq. *Job.* 40: 4--9. Eſai. 40: 12.

7. Porro quod de homine obſervamus, illum potuiſſe non exiſtere, ac deſtitui potentia ſemet conſervandi, idem de omnibus aliis rebus finitis ſtatuendum eſt: quia homine perfectiores non ſunt; extenſæ, ſive corporeæ, omnes longe imperfectiores.

8. Hinc concluditur, & hominem, & res cæteras, eſſe factas ab alio Ente, quod iis eſt prius, potentius & perfectius, atque eſſentiam in ſe poſſidet tam divitem, tam ſufficientem, ut poſ-

ſit,

Digitized by Google

ſit; ſi velit, res extra ſe producere, *Act.* 17: 25. Id Ens latine appellatur *Deus.*

9. *Jam vero animum ipſum, mentemque hominis, rationem, conſilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta eſſe perſpicit, is his ipſis rebus videtur mihi carere*, Balbus Stoic. apud *Cicer.* l. 2. de nat. Deor.

10. Quandoquidem autem res creatæ omnes ſunt à Deo, ideo & ſunt propter eum: i. e. ad illuſtrandam ejus gloriam, divinasque perfectiones demonſtrandas conditæ, *Pſ.* 19: 2. *Prov.* 16. 4. *Apoc.* 4: 11.

11. *Homo* in primis, qui eſt res intelligens & volens, debet mente ſua Conditorem meditari, noſcere, & amare; omnia Ejus opera diligenter conſiderare: atque corpore uti nonniſi ad exequenda Dei mandata, ſecundum arctam illius cum mente conjunctionem.

12. Quod facientem benignus Deus certo remuneratur & beat, dans ei mentem lætam ac tranquillam, & corpus integrum, admittensque eum in intimam ſui communionem, *Hebr.* 11: 6. Ut igni adſtans ſit calidus: ita beatur, qui ſummo bono conjunctus vivit, *Pſ.* 36: 9, 10.

13. Caret dubio, quod Deus, hominis conditor, ſit ejuſdem ſummum bonum. Nemo enim eſſentiam noſtram momento ſecundo, tertio & ſequentibus, poteſt conſervare, perficere, exornare, niſi qui illam momento primo creavit. Momento ſecundo homo non ſit potentior, quam erat primo; ergo nec ſe exiſtentem beare ipſe poteſt poſtea.

Digitized by Google

14. At eheu! quiſquis ad ſuas aliorumve hominum actiones attendit, certò animadvertit, nos Deum Creatorem non colore uti oportet, mente non meditari, non cognoſcere & amare; corpore autem abuti ad actiones ab Eo vetitas.

15. Unde habemus corpus mortale, ægrum; mentem inquietam, triſtem, anxiam, utpote ſummo bono non fruentem: neque præſentis tantum vitæ moleſtias ac ærumnas ſentimus, ſed & futuræ pœnas metuimus, *Rom.* 2:14, 15.

16. Juvat, quia prodeſt, ſpectare adparentem undique malorum lernam. N. naturalis intelligentia noſtra valde eſt imperfecta. nam *a.* ſæpe dubitamus, ambigimus, erramus, rerum ideas aut rectè componere, vel ſeparare neſcientes; aut malè eas conjungentes, vel dividentes.

17. *b.* Multa ignoramus. *quantum eſt quod neſcimus?* non modo in diſciplinis humanis, ſed cum maxime in dogmatibus ad naturam noſtram reſtaurandam, perficiendam & beandam pertinentibus.

18. Etenim veritates, quas recta ratio, vel lux naturæ oſtendit, non tam plene ab ea docentur, ut intellectus noſter iis acquieſcere & beari queat. *v.g.* ſcimus, natura Deum eſſe, eſſe Ens optimum & perfectiſſimum; at neſcimus *quis ſit Deus.* hinc Gentilium de Deo & Diis deliria.

19. Novimus, hominem non à ſe ipſo exiſtere, ſed factum à Deo eſſe: tamen creationis hiſtoria lumini naturali eſt ignota, velut ad quam præſtantiſſimi in Chaldæa, Ægypto, Græcia Philoſophi non penetrarunt. *Hebr.* 11:3.

20. Con-

20. Conſcientia noſtra teſtatur nos eſſe malos, miſeros; ſed nec mali originem, nec medium liberationis è miſeria indicat.

21. Quare nec intellectus voluntati poteſt objicere bonum in quo acquieſcat. Licet enim arguat, Deum eſſe ſummum bonum hominis, tamen nec repræſentat Ipſum ceu Liberatorem hominis miſeri, nec monſtrat viam, qua homo malus ad Deum, ſummum bonum, venire queat. Placabilem gentiles ſcivere Deum, haud placatum.

22. ב. Cupiditates noſtræ voluntatis prorſus ſunt abſurdæ. nam bonum pro malo rejicimus, & malum pro bono amplectimur. cor abundat omni impuritatum genere, *Matth.* 15: 19. & propter id nos condemnat, 1. *Joh.* 3: 20. ג. corpus eſt corpus mortis, *Rom.* 7: 24. & membra peccato præbet arma injuſtitiæ, *Rom.* 6. 13.

23. Hinc ſequitur: præter rationem, aut naturæ lumen, aliud humanæ cognitionis principium eſſe neceſſarium, ad perficiendum intellectum & voluntatem hominis: puta *Revelationem*, quæ eſt declaratio veritatum rationi ignotarum, atque ad miſeri hominis ſalutem pertinentium, ab ipſo Deo facta, *Matth.* 16: 17.

24. Veritates haſce lumine naturæ notas probaturus, allego Jobum, Davidem, Salomonem, Eſajam, Paulum, Chriſtum ipſum, ceu viros ſapientes, plurimarum rerum peritos: non ceu ſcriptores Spiritu Dei actos & locutos: neque ad confirmandum arcana religionis, ſed ad aſſeverandum *notiones communes*, menti inſculptas.

Digitized by Google

25. Revelatio, *ἀποκάλυψις*, notat remotionem veli, oculis aut vultui circumpoſiti, *Pſ.* 119: 18. per peccatum, *Eph.* 1: 18. 1. *Cor.* 2: 14. dum Adamus & Eva lapſi, apertis oculis nihil præter nuditatem ſuam viderunt, *Gen.* 3: 5 -- 7. Judæorum Moſen & Profetas legentium velamen vide 2. *Cor.* 3: 14, 15. operimentum & tegmen ſuper omnes populos & gentes, *Eſai.* 25: 7.

26. Removetur hoc velum *Revelatione*, veritatum ad beatitudinem hominis miſeri ſcitu neceſſariarum patefactione per Deum: quam à multis populis olim fuiſſe creditam, probant poëticæ gentilium Numinum adparitiones ad indicandum hominibus conſilia & placita divina: Platonici *Dæmones* (intelligentiæ, ſapientia præditæ) *μεσίται*, *mediatores*, perferentes juſſa Dei ad homines, & petitiones hominum ad Deum: jactata legislatorum cum Diis ac Deabus colloquia.

27. Certius datæ Revelationis argumentum eſt Dei erga peccatores longus animus, tolerantia & benignitas, *Rom.* 2: 14. 2. *Petr.* 3: 15. *Act.* 14: 17. conceſſo reſipiſcentiæ tempore, cujus nequit alius eſſe finis, niſi ſpes liberationis miſero homini facta, inde Adamo poſt peccatum viventi promiſſum *ſemen liberans*.

28. At ſi peccatori à Deo ſit ſpes liberationis, certo & liberationis medium eſt præſtitutum, id ſi præſtitutum, etiam revelatum. theſaurus enim abſconditus nemini prodeſt, ac teſtamentum ignotum nulli hereditatis ſpem facere poteſt, donec ignotum manet.

29. Itaque eſt *Revelatio*, eáque non ab ingenio

genio hominis cœci, ſed à ſapientiſſima Dei benignitate, qui ſicut in creatione homini dedit cognitionem ſalutarem, ſic & amiſſam reddere poteſt ac vult.

CAPUT II.

De libris quibus Revelatio continetur.

1. ERat Revelatio per multa ſecula ἄγραφος, *ſcripto non comprehenſa*, ſed per ſolam traditionem viva voce hominum longævorum & integrorum conſervata ac propagata. Neque aliud perſuadebunt Sethi columnæ, Enochi vaticinium ſcriptum. *Jobi* auctor incertus, tamen divinus, Hebræis Moſes.

2. Profecto à Moſis tempore frequentia occurrunt mandata Dei, Revelationes in literas redigendi, cum in V. tum in N. T. & utriuſque libri à Chriſtianis, diuturno & admirabili conſenſu pro divinis habentur: licet Judæi & Thalmude, Turci Alcorano, Pontificii traditionibus glorientur.

3. Pro *Bibliis*, libris per excellentiam dictis, ſtat ℵ. teſtimonium & qualitas Scriptorum, qui & profitentur, ſeſe adferre Dei verbum, ab ipſo Deo acceptum, *Exod.* 3: 2. *Eſai.* 1: 1, 2. *Jer.* 1: 1. *Galat.* 1: 1, 12. 2. *Cor.* 12. 1 -- 4. & ſimul fuere αὐτόπται, αὐτακουσταὶ, *Exod.* 3: 2. ſeqq. *Exod.* 24: 9 - 11. & 34. 29. 1. *Joh.* 1: 1. 2. *Petr.* 1: 16, 18. *Matth.* 17. 2. ſeqq. ut decipi minime potuerint. Diu & familiariter Apoſtoli cum Jeſu

Chriſto egerunt, *Act.* 1: 3. 9, 10. *Luc.* 24: 39. *Joh.* 20: 25, 27.

4. Candor & probitas eorum incredibilis. cupidiſſime cupiebant ſalutem diſcipulorum, quibus loquebantur, aut ſcribebant: *Exod.* 32: 32. *Rom.* 9: 3. vanæ gloriæ, opibus, autoritati non inhiabant, ut deceptores ſolent. carcere, contumeliis, exilio, acquieſcebant præmiis, 2. *Cor.* 4: 2. 1. *Theſſ.* 2: 3--9. Quid Moſes, Jeremias, Apoſtoli?

5. At, inquiunt, hi libri non ſunt ſcripti ab iis viris, quorum nomina præferuntur. Ita Triumviri, in Anglia *Hobbeſius*, in Gallia *Simonius*, in Belgio *Spinoſa.* Illi Pentateuchus ab objecto Moſe, non à Scriptore dictus. Iſti Scribæ, Actuarii publici, à Moſe Ægyptiorum morem imitante inſtituti, ex immenſis voluminibus Acta Reip. continentibus, exſcripſerunt ac collegèrunt ea quæ *ſacra* nuncupamus. Huic Ezras conquiſivit hiſtorias, ætatem ipſius antegreſſas, nec tamen ultimam operi manum impoſuit.

6. Sunt ſane opiniones ad ſubruendum religionis fulcrum inventæ, ac teſtimonio Jeſu Chriſti & Apoſtolorum diſertiſſime adverſantur, *Luc.* 4: 17. *Luc.* 16: 29. & *cap.* 24: 27. *Matth.* 8: 17. *Joh.* 1: 46. *Joh.* 5: 46, 47. *Act.* 2: 25. & *c.* 4: 25. *Rom.* 4: 6. & *c.* 10: 5. 20.

7. ב. Materia librorum V. & N. T. omnimodo eſt divina. nam *a.* veritates lumine naturæ intellectas repetit, confirmat, illuſtrat, perficit: recenſendo hominis totiusque mundi creationem, primorum parentum lapſum, & miſeriæ omnis origi-

Digitized by Google

originem; docendo inſuper, quis ſit ille verus ac perfectiſſimus Deus, *Pater*, *Filius*, *Spiritus S.*

8. *b.* Dogmata de Sacroſancta Trinitate; de placatione Patris Judicis per mortem Filii; de Filii incarnatione & ſatisfactione; de Spiritus S. virtute efficaciſſima in reparanda Dei imagine per regenerationem hominum electorum; de pacto æterno Patris cum Filio; de conſilio gratiæ & iræ exercendæ; de juſtitia & ſalute peccatoris per obedientiam ſponſoris, *&c.* humanum ingenium ſuperant, *Matth.* 16: 17. 1 *Cor.* 2: 9. *Rom.* 16. 25, 26. *Eſai.* 64: 4.

9. *c.* Et præcepta ſunt ſanctiſſima, Deo digna, hominemque miſerum docentia: de amore Dei ex toto corde; de amore Liberatoris, ac fiducia in Ipſo ponenda; de reſipiſcentia peccatoris vitæque immutatione; de diligendis hominibus nobis proximis, etiam inimicis; de patientia in adverſis; de conſtantia in perſecutionibus; de benignitate in pauperes, &c.

10. *d.* Nec vaticinia potuit excogitare humani ingenii ſagacitas, *Eſai.* 41: 22, 23. & *c.* 44: 7. & *c.* 48: 14. qualia ſunt de populi Iſraelitici multiplicatione & ſervitute in Ægypto, ac liberatione ex ea; de Hieroſolymorum deſtructione per Chaldæos & Romanos; de captivitate Babylonica, ejuſque ſolutione per Cyrum; de origine Meſſiæ ex Virgine in oppido Bethlehemo; de ejus paſſione, morte, ſuſcitatione à mortuis, adſcenſione in cœlum; de effuſione Spiritus S. & quam plurimis aliis de eventibus.

Digitized by Google

11. 3. Stylus librorum V. & N. T. eſt divinus, ſimplex cum decora majeſtate hiſtoricorum; ſublimis & copioſus profeticorum; planus & acutus didacticorum, ſenſu ſecundus, ad indoctos doctosque erudiendos aptus, *Pſ.* 19: 8, 9. 1 *Cor.* 2: 13.

12. Dictio Moſis laudata Rhetori *Longino.* Eſaiæ magnifica, & Jeremiæ lugubris eloquentia omnes implet numeros. Sermones Jobi & amicorum ejus quàm ſunt ſublimes & accommodati ad ciendos affectus? Pſalmorum Davidis ſtylus neſcio, an ſit ſuavior, an elegantior, an uberior?

13. Amoſi & Johannis in Epiſtolis dictio nativa & conveniente ſimplicitate ſe commendat. Hoſeæ & Pauli phraſin mirari facilius, quàm imitari: licet Apoſtoli pro barbara traducatur. Evangeliſtas non eſſe invectos acerbe in Judam, Pilatum, neque in ceteros inimicos vel carnifices Jeſu Chriſti, pie obſervat *Paſcal.* in Cogitat.

14. Et ſcite monet Rob. *Boyle* in diſſert. de ſtylo Scripturæ S. Oratoriæ præceptoribus facile fuiſſe, exoticos ſcriptores pro eloquentiſſimis habere. ex iis enim primo formaſſe præcepta eloquentiæ, deinde hæc ipſa ſcripta, unde regulas eloquentiæ hauſerant, ad dictas regulas examinaſſe, & iis congrua deprehendiſſe. interea Autores Scripturæ S. dictionem ad tempus & locum, ad argumentum, ad perſonas ſcribentium & legentium accommodaſſe.

15. 7. Poſt obitum Profetarum & Apoſtolorum, cum in Cananæa pii ſectatores promiſſi

Meſſiæ

Digitized by Google

Meſſiæ fuerunt per libros V. T. ad Dei communionem pertracti; tum per utrumque codicem orbis habitabilis immutatus, idola everſa, ſuperſtitio imminuta, regnum Jeſu Chriſti amplificatum, oppoſita Antichriſti tyrannis concuſſa & debilitata, tenebræ fugatæ, errores è mentibus evulſi, cultus Dei reſtauratus.

16. Nihil hic artes aut fraudes valuere. neo armis eſt introducta, ſtabilita & conſervata ſalutaris doctrina, & vitæ ſanctitas, morúmque decens honeſtas. Gladio verbi, prædicatione in oculis hominum ſtulta viſa, peractum negotium, 1. *Cor.* 2: 13. 2. *Cor.* 10: 4, 5.

17. Generalibus exemplis efficaciæ ſacrarum literarum ſubjiciatur ſingulare *Auguſtini* & *Franc. Junii*, quorum ille per *Rom.* 13. hic per *Joh.* 1. caput attente lectum, è periculoſo labyrintho ad viam rectam fuit perductus. Et quilibet induſtrius Scripturæ indagator, quantos inde fructus ferat, ſibi per ſe ſit conſcius.

18. Concredidit autem Deus Revelationem hominibus, quatenus *a.* eos juſſit ſcribere verbum ſuum, uti Moſen hiſtoriam cæſi Amaleki, *Exod.* 17: 14. legem & verba federis, *Exod.* 24: 4. & 34. 27. vaticinia, *Deut.* 31: 19: 24. Sic *Eſai.* 8: 1. *Jerem.* 30: 2. *Habak.* 2: 2. *Apoc.* 1. 11, 19.

19. Unde ex Pontificiis illi graviter errare arguuntur, qui docent, Sanctos Scriptores ſcripſiſſe ſine mandato, fortuita tantum occaſione. Neque ea, qua Lucas conſcripſit Evangelium, *Luc.* 1: 1 -- 3. fuit fortuita, aut temere captata, ſed ab ipſo ſapientiſſimo Deo præbita.

20. *b.* Qua-

Digitized by Google

20. *b*. Quatenus eos docuit inſpiravitque, *Num.* 12: 8. 2 *Sam.* 23: 2. 2. *Petr.* 1: 21. 2. *Tim.* 3: 15. ſuppeditans & res & verba, ac potentiſſime volens, ut hiſtorias viſu vel auditu, doctrinas intellectu, & vaticinia diverſis revelationis generibus, omnia ſine errore aſſequerentur, & hiſce, non aliis dictionibus vocabulisque proderent, pro cujusque ſcriptoris ingenio & facundia.

21. Apoſtolis locuturis promiſit Spiritum Patris, à quo acti hæc, & non alia, iſto, nec alio, modo loquerentur, *Matth.* 10: 19, 20. cur ergo nec Scripturis? certe ab eodem Spiritu docendi erant omnia, *Joh.* 14: 26. ducendi in omnem veritatem, *Joh.* 16: 13.

22. Porro comprehenditur divina Revelatio libris cum V. tum N. T. Veteris Teſtamenti dictione pro libris utitur Paulus, 2. *Cor.* 3: 14. ac dividuntur in legem, ſive Moſen, & Profetas, *Matth*, 5: 17. *Luc.* 16: 29. & *c.* 24: 27. item, in legem Moſis, Profetas, & Pſalmos, *Luc.* 24: 44. ubi per *Pſalmos* intelliguntur hagiographa.

23. Hebræi pariter diſtinguunt in תורה *legem*; נביאים *Profetas*, priores & poſteriores; atque כתובים *hagiographa*. In membranis antiquis Jeremias extat ante Eſaiam: unde putat *Lightf. Matth.* 27. 9. Jeremiam citari pro volumine poſteriorum Profetarum, ut Pſalmi pro hagiographis, *Luc.* 24: 44. quorum faciunt initium.

24. Danielem hagiographis accenſent, licet *Profetam* à Chriſto, *Matth.* 24: 15. *Profetam magnum* à Joſepho vocatum. infeſti Viro Dei ob

de-

Digitized by Google

determinatum adventus Meſſiæ tempus, & prædictam Hieroſolymorum per Romanos everſionem.

25. Libros N. T, vulgo partiuntur in *hiſtoricos*, IV. Evangelia & Acta Apoſtolor. *didacticos*, XXI. Epiſtolas, & *propheticum*, Apocalypſin. tamen paſſim doctrinæ, vaticinia & hiſtoriæ. *Matth.* 13: 22. 24. capp. *Rom.* 11: 25. *Galat.* 2: 14. 1. *Tim.* 4: 1. 2. *Tim.* 3: 8.

26. Petri, Jacobi, Johannis & Judæ epiſtolæ dicuntur *Catholicæ* pro orthodoxis; nec quod ſcriptæ ſint ad omnes Chriſtianos, vel ad omnes orbis incolas. 1 *Petr.* 1: 1. *Jacob.* 1: 1. 2. *Joh.* 1. 3. *Joh.* 1.

27. Equidem Revelatio per annos 2513. viguit ἄγραφος, Filio Dei ſæpius adparente; Patribus viſa & audita narrantibus inter ſeros nepotes (nam Adamus vixit cum Lamecho, Noæ parente, Noa cum Abrahamo, Abrahamus cum Jacobo, & hic cum iis, qui Moſen viderunt,) & paucioribus in communionem Dei vocatis; Semo in Armenia, Abramo in Meſopotamia, Melchiſedeco in Cananæa, Jobo in Arabia, Moſe in Midianitide.

28. Sed tandem ſcripto fuit conſignata, ne traderetur oblivioni, *Joſ.* 1: 8. *Pſ.* 78: 3--7. 2 *Chron.* 17: 9. 2 *Petr.* 1: 15. vel corrumperetur à veritatis hoſtibus, 2. *Petr.* 3: 1--3. *Jud.* vſ. 3, 4. & 17, 18. contrà ut diligentius conſideraretur, & facilius univerſo orbi communicaretur.

29. Itaque erant Pontificii, ſtatuentes, Scripturam non eſſe neceſſariam, nec Chriſtum Ec-

cleſiam

Digitized by Google

cleſiam ſuam á chartaceis ſcriptis pendere, nec myſteria ſua membranis committere voluiſſe. *Pſ.* 40: 8. *Joh.* 5: 39.

CAPUT III.

De Virtutibus librorum V. & N. T.

1. PEr eas intelliguntur accommodatiſſimi eſſe ad impetrandum finem à Deo intentum. is vero eſt patefactio medii liberationis è miſeria, & monſtratio viæ redeundi in communionem Dei, peccato interruptam.

2. Hæ virtutes duæ ſunt, *perfectio* & *perſpicuitas.* Perfecti ſunt libri V. & N. T. quatenus iis pleniſſime continentur ea omnia, quæ ad cognoſcendum liberationis noſtræ medium pertinent, ſcitúque & factu ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria ſunt, *Pſ.* 19: 8. *Joh.* 20: 31. 2. *Tim.* 3: 15, 16, 17. *Rom.* 15: 4.

3. Ut minime indigeamus humanis traditionibus, i. e. doctrinis, aut credendis, aut præſtandis, Scriptura non comprehenſis: *Deut.* 4: 2. *Galat.* 1: 8, 9. *Matth.* 15: 9. *Apoc.* 22: 18, 19. ſecus ac Tridentina Synodus definivit *Seſſ.* IV.

4. Παραδόσεις *traditiones* memoratæ 1. *Cor.* 11: 2. 2. *Theſſ.* 2: 15. & 3: 6. ſunt doctrinæ ipſæ, phraſi ab Hebræis petita, *Deut.* 32: 2. *Prov.* 4: 2.

5. Pontificii ut S. Scripturam eſſe imperfectam arguant, *a.* ajunt, quoſdam è libris ſanctis periiſſe. At ſerviunt Deo pro teſtimonio ad noviſſi-

viſſimum uſque diem, *Deut.* 31: 19. *Eſai.* 30: 8. manent in æternum, *Eſai.* 59: 21. *Matth.* 5: 18. *Luc.* 16: 17. 1 *Petr.* 1: 25.

6. Eſt & alienum à ſapientia, bonitate & potentia Dei, ut aliquos librorum ſacrorum interire permiſerit, quia per illos medium humanæ liberationis innoteſcere voluit. Teſtator fine ſuo non potitur, ſi pars teſtamenti ſcripti intercidit.

7. Neque convenit cum Eccleſiæ induſtria & fide, ut divinum canonem adeo neglexerit, quo bona ejus portio amiſſa ſit. Judæos ſane in Lege & Profetis voces & literas, quoties occurrant, numeraſſe conſtat.

8. Et num periere ante Chriſtum in carne præſtitum, vel poſtea? de illo non queritur Jeſus; de hoc ſilent tabulæ Eccleſiaſticæ. Quod ſi autem ſcriptum aliquod periit, jactura compenſabatur augmento, *Jer.* 36: 23. ſeqq. 1. *Cor.* 5: 9--11. nec omnia legis exempla venere in manus Antiochi Epiphanis, 1. *Marc.* 1: 59. & 6. 3: 48.

9. b. Contendunt, ſuperſtites libros eſſe ab hoſtibus Chriſtianæ veritatis corruptos, quod feciſſe Judæos Tryphoni exprobrat *Juſtin. M.* Joſepho gentem ſuam ab hoc crimine purgante, *l.* 1. *c.* *App.* à quo & *Bellarminus* poſt Auguſtinum eam abſolvit, *l.* 2. *de Verb. Dei*, *c.* 2.

10. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud *Euſeb.* H. E. l. 4. c. 22. idem ſcelus ſui temporis hæreticis impingit; atque alius Theodori coriarii ſectatoribus, *l.* 5. *c.* 28.

11. At ſuos modo potuerunt codices corrumpere,

pere, non alienos; atque Orthodoxi Errorum corruptelas indicarunt, & emendarunt; & fine ſuo excidiſſet Deus, ſi ſucceſſiſſet propoſitum abrogandi veritatem, aut ejus partem, *Eſai.* 46: 10.

12. Variæ lectiones non ſunt de medio liberationis, ſed Chronologiam aut Topographiam, & ſimilia, reſpiciunt: fuitque Dei ſacras literas exarantis ſcopus, docere nos ipſius cultum, & media noſtræ ſalutis, quod fieri poteſt, ſi maxime in textum leve mendum irrepſiſſet.

13. Nec de valore & αὐθεντία teſtamenti quicquam decedit, ſi Scriba in una alterave litera errarit, modo Teſtatoris intentio conſpiciatur.

14. Neque poſt inventam Typographiam editiones Verſionum, vel ipſius Hebræi Græcique fontis, prodeunt ſine erratis: at nullum inde in fundamento periculum, ſicut nec à vitioſa unius aut alterius loci interpretatione.

15. Altera ſacrorum librorum virtus eſt *perſpicuitas*, qua medium impetrandæ ſalutis in Chriſto tam clarè & planè iis proditur, ut quiſquis eſt noſcendi illius cupidus, id facile invenire queat. *Deut.* 30: 11. *Pſ.* 19: 8. *Pſ.* 119: 105. 2. *Cor.* 4: 3, 4. 2. *Petr.* 1: 19.

16. Nec radii à ſole emanantes, neque verbum Dei, qui lux eſt, 1. *Joh.* 1: 5. queunt eſſe obſcura. Et ſi Scriptura medium ſalutis obſcurè traderet, Deus finem ſuum non impetraret, quando conſtituit, ut inde homines id diſcerent.

17. Pontificii, licet potiorem religionis ſuæ partem ignota lingua peragant, Scripturam volunt

Digitized by Google

hunt eſſe obſcuram, ut lectores ex ea non veritatem, ſed errores & hæreſes diſcere queant. derivantque obſcuritatem, cum à rebus in Scriptura tractatis, tum à modo tractandi.

18. At *a.* myſteria ſunt occulta ante revelationem, clara poſt eam, *Rom.* 16: 25, 26. i. e. clare indicata, etſi omnem illorum rationem mente aſſequi non valeamus. nam *b.* modus ea revelandi planus, ſimplex & lucidus eſt, velut de Sancta Trinitate, *Matth.* 28: 19. *Joh.* 14: 16. & 15: 26. 2. *Cor.* 13: 13. de Incarnatione Filii Dei, *Joh.* 1: 14. 1. *Tim.* 3: 16. de Satisfactione, *Matth.* 20: 28. *Joh.* 10: 11. 1. *Tim.* 2: 5, 6. Adde *Joh.* 3: 16. *Rom.* 5: 1. 2. *Cor.* 5: 19. 1. *Petr.* 1: 3-5.

19. Equidem paſſim occurrunt δυσνόητα, quæ non modo induſtrii lectoris diligentiam fatigant, ſed & docti interpretis ſcientiam ſuperant, *Act.* 8: 31. 2. *Petr.* 3: 16. verum ea non ſpectant medium ſalutis; & quæ hic obſcurius, alibi clarius traduntur.

CAPUT IV.

De officio noſtro erga Scripturam S.

1. **E**St illud quadruplex: I. ut Scriptura S. recipiatur velut divina. II. ut legatur attente, quo intelligatur ſalutariter. III. ut traducatur in linguas vulgares. IV. ut, controverſiis ortis, ſit norma eas decidens.

2. I. Libros V. ac N. T. oportet recipere pro divinis, Deumque in iis loquentem audire,

Eſai. 59:21. 1. *Theſſ.* 2: 13. *Matth.* 10: 40, *Luc.* 10: 16. quia divini ſunt, à Deo orti, divinitus inſpirati, characteribus divinitatis illorum menti noſtræ, ad eos attendenti clarè adparentibus, nec quia homines alii nos docent, dictos libros eſſe divinos, *Joh.* 4: 41, 42. & 5: 34.

3. Itaque errant Romani doctores, qui negant, conſtare nobis poſſe de Scripturæ divina autoritate ſine teſtimonio Eccleſiæ; hanc licet ordine naturæ verbo Dei poſteriorem, Scripturæque ipſius teſtimonio indigentem, libris ſacris prælaturi: turpius adhuc ii, qui putant, V. & N. T. codices nullam habere auctoritatem, niſi quam ab Eccleſia accipiant.

4. Nequit enim facere Eccleſia, ut liber à Deo non ſcriptus ſit divinus, ſicuti nec Criticorum chorus efficere poteſt, ut liber Plauti ſit Ciceronis. Neque vetus Eccleſia ulli ex libris ſanctis originem divinam dedit: Sed quando de illa controvertebatur, divinum eſſe, vel non eſſe, declaravit.

5. II. Scriptura S. debet legi attentè ad ſalutarem ejus intelligentiam. nam quia Deus in ea patefecit pleniſſime & clariſſime medium recuperandæ ſalutis, ideo quiſquis ſalvari cupit, id medium quærat oportet in libris, ubi id revelatum eſt. *Deut* 6: 6. ſeqq. & 11: 18. ſeqq. *Eſai.* 8: 20. & 34: 16. *Luc.* 16: 29. *Joh.* 5: 39. *Act.* 17: 11. *Coloſſ.* 3: 16. & 4: 16. 2. *Petr.* 1: 19.

6. Quod niſi fit, fruſtra extant hi codices, aut ſaltem tantam non ferunt utilitatem, quantam ferrent, ſi ab omnibus legerentur. Adde,

Deum

Deum in iis alloqui omnes, eorum uſum pertingere ad omnes, teſtamentum ab omnibus heredibus legendum, fideique normam nulli fidelium invidendam.

7. Secus ac fit in Romana Eccleſia poſt ſtatutum Synodi Tholoſanæ anno 1229. laicos à libris V. & N. T. arcentis: quæ optima eſt ratio, Chriſtianos vinculis errorum conſtringendi, & humano imperio ſubjiciendi, *Matth.* 22: 29. *Joh.* 3: 20. ad ignorantiæ incrementum, *Apoc.* 9: 1, 2.

8. Præter N. T. legendum & *Vetus* eſt, ob mirandam utriuſque concordiam in docendo liberationis medio, *Hebr.* 10: 1. *Joh.* 5: 39, 46. *Act.* 3: 18, 24. *Apoc.* 19: 10. unde Chriſtus & Apoſtoli doctrinam ſuam è libris V. T. confirmarunt, *Matth.* 22: 31, 32. *Luc.* 22: 25--27. *Act.* 2: 16. ſeqq. & 28: 23. eorumque lectionem commendarunt, *Luc.* 16: 29. *Joh.* 5: 39. 2 *Petr.* 1: 19. Conf. exempla, *Act.* 8: 28. & 18: 28. 2 *Tim.* 3: 15. Et Matthæus in Evangelio paſſim ad vaticinia V. T. provocat.

9. Adde, Legem & Profetas ab eodem Spiritu dictatos, à quo ſunt libri N. T. 2 *Tim.* 3: 16. 2 *Petr.* 1: 21. Eccleſiam N. T. non modo ſuper Apoſtolos, ſed & ſuper Profetas ædificatam, *Eph.* 2: 20. Judæorumque converſioni inſervire V. & N. T. collationem.

10. Cæterum *finis* legendæ Scripturæ ſit ejus intelligentia ad ſalutem. nam qui illam legit inſtar alterius libri humani, veram inde utilitatem non percipiet, nec inſtituto Dei ſatisfacit.

11. Etenim Deus præcipit, & ſalus noſtra

poſtulat, ut quiſque pro ſe ad pacandam conſcientiam, de medio liberationis diligenter inquirat, Scripturæ ſenſum de illo exploret, & quæ vel audit, ipſis quoque à Doctoribus, vel in humanis libris eo pertinentia legit, cum Scriptura conferat. *Joh.* 5: 39. 1. *Joh.* 4: 1. 1 *Theſſ.* 5: 21. 1. *Cor.* 10: 15. *Act.* 17: 11.

12. Suntque fideles idonei ad indagandum Scripturæ ſenſum, 1. *Cor.* 2. 15, 16. 1 *Joh.* 2: 20. ut in tanti momenti re haud pendeant ab aliorum judicio & arbitrio, nec eorum placita, menti non explorata, aut probata, pro veris & indubiis recipere debeant, *Pſ.* 32: 9. 1 *Cor.* 7: 23. 1 *Cor.* 2: 15. *Matth.* 23: 8. ſeqq. *Jacob.* 3: 1. & 4: 12.

13. Igitur injuſtè Romanus Epiſcopus, animis dominaturus, & ſimul Lydium veritatis lapidem metuens, à cœtibus Chriſtianis cœcum poſcit aſſenſum, ſecus ac Chriſtus & Apoſtoli fecere, *Joh.* 5: 36. ſeqq. 1. *Petr.* 5: 3. 2. *Cor.* 1: 24. & 4. 2.

14. Cauſſantur inſuperabilem plebi difficultatem inveniendi *ſenſum* Scripturæ. At is *unicus* eſt, à Deo illius autore intentus, conſtans & œcundus, planus, lectorique attento, quantum ad diſcendum liberationis medium ſufficit, obvius, *Deut.* 30: 11–14. *Rom.* 10: 6--8. non *quadruplex*, literalis, anagogicus, allegoricus, tropologicus.

15. Quando enim res una repræſentat adhuc alteram, ut agnus Paſchalis Meſſiam, Sara Eccleſiam N. Hagar V. T. in verbis ipſis non eſt ſenſus duplex, ſed unius rei geminus uſus, ut à

rebus

rebus corporeis & terreſtribus mens elevetur ad ſpirituales, & cœleſtes.

16. Neque doctrinæ & monita ad pietatem fundunt ſenſum novum, ſed ex unico & genuino ſenſu eliciuntur: uti & concluſio è S. Literis rite deducta eſt veri ſenſus pars, 1. *Cor.* 9: 9. *Deut.* 25: 4. 1. *Cor.* 15: 29.

17. Nam quia Dei ſapientia eſt infinita, ejus ſermo, paucis licet verbis incluſus, ſenſu eſt ampliſſimus: unde quæ recte ratiocinando ex eo colligimus, non minus Dei ſunt verbum, quàm quæ totidem ibi vocibus expreſſa leguntur. Et ſapientum effata rebus mage quàm verbis abundant.

18. Etiam Chriſtus & Apoſtoli, ad ſtabilienda religionis Chriſtianæ dogmata, conſequentias adhibuerunt, *Matth.* 22: 29. ſeqq. & vſ. 43. ſeqq. *Rom.* 4: 2. ſeqq. *Hebr.* 12: 1. *Ario* & *Verona* temere ἔγγραφον ἀπόδειξιν poſtulantibus.

19. III. Codex Hebræus V. & Græcus N. T. eſt traducendus in linguas vulgares, ut queat legi etiam ab iis qui Hebræa & Græca non callent. *Nehem.* 8: 7, 8. 1 *Cor.* 14: 9. ſeqq. quod *Hilarius* Diacon. Roman. dictum putavit in eos, qui in Græco cœtu Hebræa & Syra protulerunt. Et Deus non ſemper lingua ad populum ſuum locutus.

20. Hinc Ulfilas Gothorum Epiſcopus, imperante Conſtantio, S. Scripturam vertit in ſermonem Gothicum ſeculo IV. Chryſoſtomus in Armenium, Hieronymus in Dalamaticum ſeculo V. quo & vetus Itala verſio extitit, *Sulpic. Severo*

memorata. Seculo VIII. in Arabicum tranſtulit Johannes Archiepiſcopus Hiſpalenſis; in Saxonicum Aluredus Anglo-Saxonum Rex; in Slàvonicum ſeculo IX. Methodius; in Italicum XIII. Jacobus de Voragine; in Gallicum XIV. Nicolaus Oremus, Caroli V. præceptor, etſi diu ante in Gallia libri ſacri extiterint lingua Francico-Teutonica.

21. Intereſt heredum ut habeant verſionem teſtamenti ignota ipſis lingua ſcripti. quare inique Romana Eccleſia vetat, Scripturam in linguas populares transferri, factasque à Proteſtantibus traductiones pro virili impedivit. *Coloniæ* tamen per *Emſerum* Germana Bibliorum, *Monte* in Hannonia N. T. Gallica prodiit verſio.

22. At nulla prorſus tanti eſt æſtimanda, quanti ipſe fons Græcus & Hebræus, ſed cum eo conferenda, &, ſi opus, ex eo corrigendà. nam & humanorum ſcriptorum fons æſtimatior rivulis.

23. Igitur Synod. Trident. *Seſſ.* IV. vulgatam verſionem, è veteri Latina & Hieronymiana conflatam, temere pronunciavit authenticam: & *Bellarm.* erravit, ratus, LXX. interpretes Spiritum S. peculiari modo aſſiſtentem habuiſſe, ne qua in re errarent, ut non tam interpretes quàm Profetæ fuiſſe videantur. Conf. *Eſai.* 42: 1. *Malach.* 4: 4.

24. IV. Ortis de religione litibus, confugere oportet ad Scripturam, velut ad normam eas definientem, *Galat.* 6: 16. *Philip.* 3: 16. *Eſai.* 8: 20. *Act.* 17: 11. & 18: 28. & 28: 23. ſane in con-

controverſia, an Jeſus Nazarenus ſit promiſſus mundi Salvator, Dominus ad Moſen & Profetas, non ad Eccleſiæ Judaicæ teſtimonium, aut Synedrii officium provocavit, *Luc.* 4:18-21. *Joh.* 5:45,46.

25. Cur ergo *Caranza* Eccleſiam facit regulam notiorem & multo latiorem Scriptura canonica, & hanc vult *regulari* per illam, nec contra Eccleſiam per Scripturam? Cur eandem Scripturam *Bellarm.* tantum vult eſſe commonitorium utile, non regulam fidei?

26. Scil. ex ſententia Romanæ Eccleſiæ, aut Doctor publicus, Epiſcopus; aut Doctorum cœtus, Concilium; aut cœtus caput, Papa Romanus, habet poteſtatem præcipiendi, ut facta à ſe Scripturæ interpretatio, vel motæ quæſtionis definitio, recipiatur ſine prævio examine. diſſenſus & hæreticus, & pœna dignus.

27. *Reſp.* Neque Synagoga Judaica, neque Antiſtites ejus, fuere controverſiarum judices, *Jer.* 29:8,9. *Matth.* 5:20. ſeqq. *Matth.* 16:6, 12. præterque Apòſtolos & Profetas cuncti homines fallere & falli queunt. Neque ſpiritus cognitionis ſolis datur doctoribus, *Jer.* 31:33, 34. 1 *Cor.* 2:15. 1 *Joh.* 2:20.

28. Fruſtra ait *Bellarm.* convenire in eo omnes Catholicos, quod Pontifex cum concilio ſit judex veri ſenſus Scripturæ, & omnium controverſiarum. Nam Papa ſe effert ſupra concilium; atque libertatis defenſores Papam concilio ſubjiciunt. In Conſtantienſi tres depoſiti.

29. Porro Chriſtus & Apoſtoli adverſarios,

Digitized by Google

contra quos diſputarunt, non tradiderunt judici civili ad pœnam: (is mos hoſtium veritatis) ſed animis hominum blanda veritatis vi ſe commendarunt, 2.*Cor*. 4: 2. *Luc*. 9: 54. ſeqq.

30. Exprobratur Proteſtantibus, laicis & mulierculis dari libertatem legendi & interpretandi Scripturas. Utique. Sed ad ſcrutanda religionis dogmata, ad pacandam conſcientiam propriam; non ut imperent aliis credenda, vel non credenda; nec ut adſentientes adprobent, vel diſſentientes condemnent: quæ judicis partes ſunt. Heres inſtitutus, ſi diligenter inquirit in ſenſum tabularum teſtamenti, id propriæ facit utilitatis cauſſa, non ut hoc pacto ſeſe erigat in judicem ortæ litis de dividunda hereditate.

CAPUT V.

Quo Deum eſſe, & eſſe Ens perfectisſimum probatur.

1. DE ſuprema Divinitate tria ſunt demonſtranda: *a*. Deum exiſtere. *b*. eſſe Ens optimum ac perfectiſſimum. *c*. eſſe Patrem, Filium ac Spiritum S. Duo priora capita etiam *ratio*, poſtremum ſola docet *revelatio*: ut nefas ſit de hoc myſterio ratiocinari, *Matth*. 16: 17.

2. Ut lumen naturæ, ſic & Scriptura docet, hominem habere inſitas de exiſtente ſummo Numine cogitationes, *Rom*. 1: 19. & 2: 14, 15. nam qui negant Deum eſſe, *Pſ*. 14. 1. redarguuntur à propria mente, *Rom*. 1: 21, 22. timentes-

teſque malarum actionum judicem, optant eum non exiſtere, & quod optant, eſſe ſibi perſuadere moliuntur: cogitationes de exiſtente Deo, in animo ſuo ortas, perverſis ratiociniis, Sermonibus vanis, voluptatibus mundi, & actionibus inquietis ſuffocare ſtudentes.

3. Deinde mens, res finitas diligenter contemplans, non poteſt non extolli ad Deum earum Conditorem: quia non à ſe ipſæ exiſtunt, ſed ab Ente alio, *Job.* 12: 7--10. *Pſ.* 19: 2. *Rom.* 1: 20. *Act.* 14: 17. & 17: 28.

4. Indagaturi quid ſit Deus, recordamur Simonidis, qui interrogatus ab Hierone, *quid aut qualis ſit Deus*, deliberandi cauſſa, ſibi unum diem, mox biduum petiit, tum & ſæpius numerum duplicavit: *quia*, ajebat ad Hieronem mirabundum, *quanto diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior*, Cic. l. 1. de nat. Deor.

5. Eſt reapſe Eſſentia Dei in hac vita nobis ignota, *Exod.* 33: 22. 1. *Joh.* 3: 2. ſed quia Deus à nobis vult quæri & inveniri, *Pſ.* 27: 8. *Eſai.* 45: 19. *Act.* 17: 27. *Hebr.* 11: 6. notum ſe fecit per *nomina*, per *attributa*, & per *opera*, ne eſſet ἄγνωστος, *Act.* 17: 23.

6. Nomen à noſcendo eſt, reddit enim rem notam, *Judic.* 13: 6, 18. *Prov.* 30: 4. ὄνομα à נאם *dixit*, loquendo enim res nominamus. Suntque Dei nomina *Hebræa*, & *Græca*.

7. Nomen *Jehova* (unde Gentilium *Jovis*) notat perfectiſſimam Dei eſſentiam, ac veritatem, qua ſe homini præſtat talem, qualis eſt, bonum, ſapientem, ſanctum *&c.* Deoque eſt

25, 27. *Rom.* 16: 26. notatque æternitas exiſtentiam neceſſariam, menſuræ omnis expertem, non tempus initio & fine carens, etſi ex fluxis partibus, ſibi invicem ſuccedentibus, compoſitum.

18. Exiſtit quoque Deus à ſe, virtute perfectiſſimæ eſſentiæ, *Eſai.* 41: 4. & 43: 10. *Act.* 17: 25. in omnibus rebus à ſe creatis, 1 *Reg.* 8: 27. *Eſai.* 66: 1. *Jerem.* 23: 24. *Act.* 17: 27, 28.

19. Mentem ſcimus eſſe rem cogitantem. ita & Deus ſibi cogitationes tribuit, *Eſai.* 55: 8. abſit tamen procul, ut in cogitationem transformetur, *Rom.* 1: 23. ſive ut putemus, *intelligere ipſum & velle, ut nos, per operationes quodammodo diſtinctas, ſed ita, ut per unicam ſemperque eandem & ſimpliciſſimam actionem omnia ſimul intelligat, velit, & operetur.*

20. Imo quaſcunque rerum finitarum perfectiones Deus ſibi vendicat, eæ non ſunt infinita Dei eſſentia, ſed imperfecta illius & obſcura effigies.

21. Perfectiones mentis, quatenus eſt res cogitans, ſunt facultates, virtutes & affectus. facultates ſunt *intellectus*, & *voluntas*. Et Deus habet intellectum infinitum, *Pſ.* 136: 5. & 147: 5. *Prov.* 3: 19. *Eſai.* 40: 28.

22. Virtutes humani intellectus ſunt ſcientia & ſapientia. Deus *novit* omnia, & quidem ab æterno, ſe, & res alias extra ſe, actiones ſuas & alienas, haſce ſeu neceſſarias, ſeu liberas, bonas, malas, cum caſibus fortuitis.

23. Pollet quoque futurorum præſcientia; at

ſcien-

Digitized by Google

ſcientia media, qua Deus novit, quid homines aut Angeli pro ſua libertate facturi eſſent, in his illisve circumſtantiis poſiti, eſt rei incertæ conjectura, nec probatur è 1 *Sam.* 23: 12. *Matth.* 11: 21.

24. *Sapientia* Deo per excellentiam competit, *Job.* 9: 4. 1. *Tim.* 1: 17. *Jud.* vſ. 25. nam operum ſuorum conſtituit finem optimum, gloriam ſui ipſius velut Entis perfectiſſimi, *Pſ.* 115: 1. *Matth.* 6: 13. *Apoc.* 4: 9, 11. & media adhibet huic fini conſequendo aptiſſima, facillima, certiſſima, humano ingenio plerumque ignota.

25. Affectus noſtri intellectus eſt *admiratio*, Deo tributa *Eſai.* 59: 16. & 63: 5. ubi innuitur, cauſſam non produxiſſe ſuum effectum.

26. Altera mentis facultas eſt *voluntas*. Et Deus ſibi vendicat voluntatem, *Pſ.* 115: 3. *Eſai.* 46: 10. *Eph.* 1: 11. liberam, *Matth.* 11: 25, 26. *Rom.* 9: 18. conſtantem, *Num.* 23: 19. *Malach.* 3: 6. *Hebr.* 6: 17. *Jacob.* 1: 17. efficacem & omnipotentem, *Pſ.* 148: 5. *Eſai.* 14: 27. & 40: 28. & 43: 13. *Matth.* 19: 26. *Luc.* 1: 37. *Apoc.* 4: 11.

27. Præcipua humanæ voluntatis virtus eſt ſanctitas, qua vult ea quæ Deus vult. Sic Deus eſt ſanctus, *Levit.* 11: 44. *Joſ.* 24: 19. 1. *Petr.* 1: 15. *Eph.* 1: 4.

28. Hæc Dei ſanctitas vocatur *juſtitia*, quatenus vult ſuum tribuere creatæ rei, Deum amanti, aut non amanti, *Rom.* 1: 32. & 3: 25, 26. 2. *Theſſ.* 1: 6. & *veracitas*, quatenus nihil niſi verum loquitur, *Num.* 23: 23. *Tit.* 1: 2.

item

Digitized by Google

item *rectitudo*, quatenus nihil niſi decorum & decenter agit, *Deut.* 32:4. *Pſ.* 33: 4.

29. Affectus humanæ voluntatis ſunt *amor*, *odium*, *lætitia*, *triſtitia*, *cupiditas*. Deus *Amore* fertur in perfectiſſimam eſſentiam ſuam, atque in effigiem divinarum perfectionum rebus creatis impreſſam, *Matth.* 3: 17. *Joh.* 3: 16. & 14: 21. *Tit.* 3: 4. 1 *Joh.* 4: 9, 10. *Odio* refugit à malo adverſus divinam eſſentiam tendente, *Pſ.* 5: 6. *Eſai.* 1: 14. *Zach.* 8: 17. *Malach.* 1: 3. *Rom.* 9: 13.

30. *Lætitia* Dei eſt voluntas ſuaviter acquieſcens bono, quod velut ſuum conſiderat, *Deut.* 28: 63. & 30: 9. *Pſ.* 104: 31. *Eſai.* 62: 5. *Jerem.* 32: 41. fitque *irriſio*, quum malum peccatoris reputatur Dei bonum, *Pſ.* 2: 4. *Prov.* 1: 26. uti contra amor miſeri eſt miſericordia, voluntas miſeram rem à miſeria liberandi, *Exod.* 34: 6. *Pſ.* 145: 8, 9. *Rom.* 9: 18, 23. Deo naturalis, *Pſ.* 89: 15. & 116. 5. *Jerem.* 31: 10. *Nehem.* 9: 31.

31. *Dolor* Dei eſt voluntas opus malum vehementer improbans, *Pſ.* 74: 40. *Eſai.* 63: 10. *Eph.* 4: 30. ſicut *pœnitentia* eſt ſtatutum deſtruendi malum opus cum ſuo autore, *Gen.* 6: 6. *Exod.* 32: 12-14. 1 *Sam.* 15: 11. *Jer.* 18: 8.

32. *Ira* Dei eſt ſevera voluntas puniendi raptorem gloriæ ſuæ, *Exod.* 4: 14. *Deut.* 6. 15. *Pſ.* 6: 1. *Rom.* 1: 18. & 2: 5. *Eph.* 2: 3. uti humana ira eſt mœror, ortus ex conſideratione mali contra nos patrati, & conjunctus cum ſtudio repellendi, vel coercendi eum, qui nobis nocuit, aut nocere voluit.

33. Cu-

Digitized by Google

33. *Cupiditas* eſt boni abſentis. igitur quia bonum nullum à Deo abeſt, per deſiderium Dei nihil intelligi poteſt, niſi voluntas adprobans & præcipiens opera legi divinæ congrua, *Deut.* 5: 29. *Pſ.* 81: 14. *Eſai.* 48: 18. *Ezech.* 33: 11. 1 *Tim.* 2: 4.

34. Ad cupiditatem refertur *averſatio*, vel fuga mali imminentis; Dei averſatio notat voluntatem improbantem & prohibentem opera legi divinæ contraria, *Eſai.* 1: 11 – 15. & 66: 3. *Pſ.* 51: 9, 13.

35. Quando bonum abſens adparet impetratu facile, gignit *ſpem*, quæ in Deo eſt voluntas longo nos ferendi animo, donec præſtemus opera reſipiſcentiæ, cujus agendæ media nobis ſuppeditat, *Eſai.* 5: 2. *Luc.* 13: 6. 1 *Petr.* 3: 20. 2 *Petr.* 3: 9.

36. Spei opponitur *metus*, quo mens ſibi perſuadet, bonum quod cupit, non eſſe eventurum, aut eventurum malum, quod averſatur: metus Dei eſt voluntas improbans ſimul & antevertens malum alias eventurum, *Gen.* 3: 22, 23. *Deut.* 32: 27.

37. Metus ſine ſpe vocatur *deſperatio*, quæ Deo tributa notat judicium, opera pietatis, diu licet exacta, nunquam tamen iri præſtitum, *Eſai.* 5: 4. *Zelotypia* eſt metus, ne alius bonum, quod poſſidemus, nobis eripiat; de Deo accepta ſignificat conſtantiſſimam voluntatem, gloriam ſuam alteri non dandi, raptoremque ejus puniendi, *Exod.* 20: 5. *Num.* 25: 11. *Nahum.* 1: 2.

38. Ca-

38. Cæterum humani affectus oriuntur ex vehementi motu ſpirituum animalium verſus cerebrum tendentium, ſuntque veræ commotiones mentis, ut affectum ſentiens, in novo ſit ſtatu; & habent adjunctam perturbationem, lumini intellectus multum incommodantem: quæ omnia ab affectibus Dei longiſſime abſunt.

39. Nec enim ſunt niſi ipſa Dei eſſentia immutabilis, ſpectata uti refertur ad rerum creatarum actiones, bonas adprobando & compenſando, malas improbando & puniendo. nam beatiſſimum Ens nec patitur mutationem, nec vult modo imperfecto, nec afficitur, aut dependet à re extra ſe poſita: ut *Vorſtius* Deo affectus in tempore accidere ſtatuens, Deum mutabilem faciat, ſummamque ejus & ſemper æqualem beatitudinem neget.

40. Porro mens intelligens & volens *vivit*, ſive eſt efficax, & efficaciæ ſuæ conſcia. Sic & Deus vivit, *Matth.* 16: 16. *Act.* 14: 15. 1. *Theſſ.* 1: 9. nam agit, & agere ſe novit, diſſimillimus falſis Diis, *Pſ.* 96: 5. & 115. 5, 6.

41. Naturam quoque habet mens *ſimplicem*, nam intelligendo & volendo cogitat, intelligit volens, vultque intelligens. Et Deus eſt ſimpliciſſimum Ens, non compoſitum è rebus diverſis, quæ forent imperfectæ, hinc & propria Dei nomina ab ejus eſſentia petuntur, ſecus ac *Volkel.* & *Vorſt.* putarunt, *Rom.* 1: 23.

42. Attributa Dei ſunt ipſius eſſentia aliter, atque aliter conſiderata; *lux*, 1. *Joh.* 1: 5. *charitas*, 1. *Joh.* 4: 8. *ſanctitas*, *Amoſ.* 4: 2.

Hebr.

Digitized by Google

Hebr. 6: 13. Determinatio intellectus & voluntatis Dei ad res extra ipſum exiſtentes, eſt relatio quæ non componit: ſicut nec mentis noſtræ ſimplicitas tollitur ejusdem ad diverſa objecta determinatione.

43. Potentia Dei non differt à voluntate; tantum latius patet, vel plura habet objecta quàm voluntas. plura enim Deus poteſt, quàm vult. Et immanentes Dei actiones ſunt ipſa ejus eſſentia per ſe efficax, uti quum ſe cognoſcit, amat.

44. Mens à corpore non dependet, ſed ſine eo multa intelligit & vult, etiam dum eſt conjuncta corpori; atque poſt in mortem hominis, ſine corpore exiſtit immortalis. Et Deus eſt immortalis, 1 *Tim.* 1: 17. & 6: 16. *Hebr.* 7: 16.

45. Neque pendet ab ulla re alia, ſed à perfectiſſima ſua natura habet quicquid habet, *Gen.* 17: 1. *Exod.* 3: 14. *Act.* 17: 25. ceteræque res omnes ab ejus arbitrio accipiunt, quod ſunt & operantur, *Act.* 17: 28. *Rom.* 11: 34-36.

46. Finita eſt mentis exiſtentia & eſſentia. Sed Deus eſt *infinitus*, ſivi perfectiſſimus, præditus eſſentia quæ nullum patitur additamentum, ſed modo nobiliſſimo & eminentiſſimo omnes, quas cogitare poſſumus, perfectiones complectitur, *Job.* 11: 7-9. & 37: 5. 23. *Pſ.* 145: 3. *Matth.* 5: 48.

47. Ut enim finitas eſt perfectionis defectus, ſic infinitas eſt ſumma perfectio: falſoque putat *Hobbes*, Deum dici infinitum, quatenus illius fines nos lateant. imo ſcimus, Deum nullos habere fines.

48. Impie ſtatuit *Bud. S.* non eſſe niſi unam ſubſtantiam, hanc eſſe infinitam, h. e. infinitis conſtare attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimat. cogitationem & extenſionem eſſe duo ex illis attributis infinitis. mentes eſſe cogitationis, corpora extenſionis modos. infinitam hanc ſubſtantiam eſſe Deum, & agere ex neceſſitate, vel legibus, naturæ ſuæ.

49. Ita Anaximander Thaletis ſodalis infinitatem naturæ dixit eſſe, è qua omnia gignerentur. Et Xenophanes docuit, unum eſſe omnia, neque id eſſe mutabile, & id eſſe Deum, neque natum unquam, & ſempiternum, & conglobata figura, *Cic.* l. 4. quæſt. Tuſc.

50. At ubi infinita ſunt attributa à ſe diverſa, ibi & infinitæ eſſentiæ, ac ſingulæ imperfectæ, nam extenſioni deeſt perfectio cogitationis. Infinita autem attributa imperfecta nequeunt conſtituere Ens perfectiſſimum, toto genere præſtantius: ſicut nec innumerabiles numeri finiti conficiunt numerum infinitum.

51. Extra infinitum nihil eſt, quatenus omnia Dei arbitrio exiſtunt & operantur, *Act.* 17: 28. licet non pertineant ad ipſius eſſentiam. ita pila eſt, & agitatur, in manu hominis, nec tamen pars eſt manus motoris.

52. Perfectiones omnes non ſunt æquales, ſed una major altera, cogitatio extenſione; illa exiſtit, & novit ſe exiſtere: hæc ſe exiſtere neſcit. Sin autem perfectio major non complectitur eſſentia ſua perfectionem minorem, cur perfe-

ctiſſi

ctiſſimum Ens componeremus è perfectionibus majoribus & minoribus?

53. Atque hæc de infinitate Dei doctrina apta eſt ad excitandas auguſtas Deoque dignas in animis noſtris cogitationes: quales ſi cœci homines formarent, non conarentur Deum coloribus depingere, vel imaginibus exſculpere; nec ligna, lapides, metalla, pecudes, aſtra, homineſve mortuos in Deos converterent, *Eſai.* 40: 15-18.

54. Ob infinitatem eſſentia Dei non percipitur perfecte, 1. *Cor.* 13: 9, 12. & falſa eſt *Spinoſæ* propoſitio: *mens humana adæquatam habet cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei.* ipſe enim fatetur, tantum extenſionem & cogitationem ex infinitis attributis notam nobis eſſe.

55. Jam in ſpeculo rationis & revelationis Dei naturam, conſilia & opera videmus, ſed obſcurius: olim ſine mediis hiſce notum ſe nobis faciet, 1 *Joh.* 3: 2. & γνῶσις, *ſcientia ratiocinans*, abolebitur, 1 *Cor.* 13: 8. qua unum poſt aliud, & ex alio, compoſita ex ſimplicioribus, difficilia ex facilibus, obſcura è claris, meditando percipimus.

56. Ob finitatem plures queunt eſſe mentes: ſed ob infinitatem non eſt niſi unus & unicus Deus, *Deut.* 4: 35. & 6: 4. 1 *Cor.* 8: 6. nam eſſe infinitum, vel ſumme perfectum, eſt habere omnem perfectionem. igitur ſi duo eſſent Entia infinita, neutrum eorum haberet omnem perfectionem.

Digitized by Google

57. Etiam unicus modo Deus eſt neceſſarius, quia unicus ſufficit rebus creandis & conſervandis. Ergo nec eſt niſi unicos. Deus enim eſt Ens neceſſarium. unde & gentiles credidere Jovem Exuperantiſſimum.

58. Ob finitatem mens per ſe beata non eſt, ſed ob infinitatem Deus eſt per ſe beatus, 1 *Tim.* 1: 11. & 6: 15. ſibique ſufficit, *Gen.* 17: 1. *Pſ.* 50: 9--12. *Act.* 17: 25.

59. Ob multiplices defectus mens, etſi ſupra corpus excellat, non debet naturam ſuam, ceu valde perfectam, magni æſtimare, ſed tenuitatem, qua proxime ad nihil accedit, agnoſcere, *Pſ.* 62: 10. at Deus ſemet jure, velut Ens perfectiſſimum, maximi facit, rebusque cæteris præfert, 2. *Tim.* 2: 13.

60. Atque hæc eſt Dei *gloria*, natura perfectiſſima, aliis infinite excellentior, *Pſ.* 19: 2. *Eſai.* 42: 8. *Matth.* 6: 13. *Rom.* 1: 23. 2 *Cor.* 3: 18. quam Deus nobis oſtendit, fulgidiſſimam ſummæ perfectionis ſuæ extellentiam menti noſtræ demonſtrans, *Exod.* 33: 18--22. *Joh.* 12: 41.

61. Viciſſim Deo gloriam damus, quando agnoſcimus fatemurque, ipſum eſſe perfectiſſimum, rebuſque omnibus infinito modo præſtare, *Pſ.* 29: 1, 2. & 66: 2. *Eſai.* 6: 3. *Malach.* 2: 2. *Apoc.* 1: 6. & 4: 9. & 5: 12.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quo demonſtratur, Deum eſſe Patrem, Filium ac Spiritum S.

1. DOctrina de Deo Patre, Filio & Spiritu S. eſt myſterium à Patre revelatum, humanæque rationi ignotum & imperſcrutabile, *Matth.* 16: 17. eoque non tradendum *ſermonibus quos humana docet ſapientia, ſed quos docet Spiritus* .S 1. *Cor.* 2: 13.

2. Et hic ſermo Spiritus S. de Deo Patre, Filio ac Spiritu S. non eſt explicandus per rationis lumen: hoc enim tantum docet, Deum eſſe, & eſſe Ens perfectiſſimum, *Rom.* 1: 19, 20. neque vero ſignificat, *quis ſit Deus*, & quomodo Pater habeat Filium, & uterque Spiritum S.

3. Summa ſermonis cœleſtis de hoc myſterio eſt: Unum eſſe Tres, & Tres illos eſſe unum Ens perfectiſſimum. Diſputare, num Ens perfectiſſimum ſit unum unitate *numerica*, vel *ſpecifica*, eſt Enti infinito adponere notam entium finitorum.

4. Tres ſubſtantias divinas, tres mentes Scriptura S. non nominat, memorat enim in ſingulari תושיה *eſſentiam*, non תושיות, *Job.* 12: 16. *Eſai.* 28: 29. & Filius non vocatur ὑπόστασις, ſed χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς, *character ſubſtantiæ Patris*, *Hebr.* 1: 3. ut ſit ſubſtantia una, Patri, Filio ac Spiritui S. communis.

5. Rurſum, Filius eſt ſapientia Patris, Sermo Patris; & Spiritus S. *νοῦς, mens*, intelligentia, Chriſti, 1 *Cor*. 2: 16. quo unitas eſſentiæ eorum exprimitur. Atque ex *Hieron*. l. 1. *Epiſt*. 25. patet, nefas olim fuiſſe, tres in Deo hypoſtaſes ponere.

6. Patefactum eſt hoc myſterium diverſis modis & gradibus, tempore promiſſionis, legis, & N. T. illic clarè ſatis ad faciendam fidem, hic clariſſime, etiam ad confuſionem diſſentientium.

7. א. Creator hominis deſignatur nomine plurali, *Gen*. 1: 26. & 3: 22. *Job*. 35: 10. *Eccl*. 12: 1. ב. paſſim de Deo velut de pluribus ſermo fit, *Gen*. 19: 24. & 20: 13. *Gen*. 31: 42. & 48: 15, 16. *Exod*. 3: 6.

8. ג. Etiam per totum V. T. curriculum fuit demonſtratum, plures eſſe unum verum Deum, *Exod*. 19: 11. ſeqq. *Num*. 6: 24--26. *Pſ*. 50: 1. & 118: 15, 16. *Eſai*. 6: 3. & 48: 16. *Eſai*. 63: 7-9. *Hoſ*. 1: 7. *Dan*. 4: 14. ubi *vigiles* non ſunt Angeli, ſed cuſtos Iſraelis, *Pſ*. 121: 4. licet Judæi cœci non videant Trinitatem in Moſe & Profetis.

9. ד. Sub finem V. T. orto juſtitiæ Sole myſterium Trinitatis clariſſime eſt revelatum, *Matth*. 3: 16, 17. *Joh*. 14: 16. 26. ſicut & in principio N. T. *Matth*. 28: 19. 2 *Cor*. 13: 13. *Apoc*. 1: 4, 5. 1 *Joh*. 5: 7. etſi poſtremus hic locus fraude hoſtium S. Trinitatis è quibuſdam codicibus ſit ejectus.

10. Nempe Deus eſt Pater, qui habet Filium,

Pſ.

Pſ. 2: 7. *Prov.* 4: 3. & 30: 4. *Matth.* 17: 5. unigenitum, *Joh.* 1: 14. & 3: 16. proprium, *Rom.* 8: 32. haud reum ſacrilegii, quando Patri ſe gerit æqualem, *Philip.* 2: 6. *Joh.* 5: 18.

11. Nam quia Filius eſt imago Dei inviſibilis, *Coloſſ.* 1: 15. *Joh.* 14: 9. ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ ejus, *Hebr.* 1: 3. etiam plenitudo Deitatis habitat in eo corporaliter, *Coloſſ.* 2: 9. *Exod.* 40: 34. & 23: 21.

12. Quare & habet *exiſtentiam* Dei, *Philip.* 2: 6. *Joh.* 8: 28. exiſtit enim ab æterno, *Joh.* 1: 1, 2. *Apoc.* 1: 8. & ubique, *Matth.* 18: 20. & 28: 20. *Apoc.* 1: 20. & 2: 1. & *eſſentiam*, inde vocatus Deus, *Act.* 20: 28. 1 *Tim.* 3: 16. Deus verus, 1 *Joh.* 5: 20. magnus, *Tit.* 2: 13. laudatus in ſecula, *Rom.* 9: 5. fortis, *Eſai.* 9: 6. Jehova, *Jerem.* 23: 6. *Hoſ.* 1: 7.

13. Pollet namque *intellectu* divino, ſcientia rerum omnium, *Joh.* 2: 25. & 21: 17. *Apoc.* 2: 23. & ſapientia perfecta, *Prov.* 4: 8, 9. capp. *Eſai.* 9: 6. *Zach.* 6: 13. *Matth.* 11: 19. & *voluntate* Dei libera, *Joh.* 5: 21. & 10: 18. ſancta, *Rom.* 1: 4. conſtante, *Joh.* 13: 1. & potente, *Joh.* 10: 28. *Apoc.* 1: 8.

14. Hinc & Dei vivit vitam, *Joh.* 1: 4. & 5: 26. *Hebr.* 7: 16. & eodem eſt cultu cum Patre honorandus, *Joh.* 14: 1. *Matth.* 28: 19. 2 *Cor.* 13: 13.

15. Pater & Filius habent *Spiritum*, patefactum ut illud ipſum Ens perfectiſſimum, quod eſt Pater & Filius, tamen alium à Patre & Filio *Joh.* 14: 16, 17. qui mittitur, *Eſai.* 48: 16. *Joh.*

Digitized by Google

14: 26. venit, *Joh.* 15: 26. & 16: 13. adparet, *Matth.* 3: 16. *Act.* 2: 2-4. docet, *Joh.* 14: 26. doctores mittit, *Act.* 13: 2. teſtatur, *Joh.* 15: 26. arguit, *Joh.* 16: 8. ſolatur & monet, inde Παράκλητος dictus, *Joh.* 14: 26.

16. Habet Dei *exiſtentiam*, *Gen.* 1: 2. à principio, & exiſtit ubique, *Pſ.* 139: 7. in cordibus fidelium, *Joh.* 14: 17. *Rom.* 8: 9. *Galat.* 4: 6. atque *eſſentiam*; puta intellectum, *Eſai.* 11: 2. 1. *Cor.* 2: 10, 11. 2 *Petr.* 1: 21. & voluntatem, liberam, *Joh.* 3: 18. 1 *Cor.* 12: 11. ſanctam, 1. *Cor.* 6: 11. *Tit.* 3: 5. 1 *Petr.* 1: 2. potentem, *Luc.* 1: 35. velut digitus Dei, *Matth.* 12: 28. *Luc.* 11: 20.

17. Quare & appellatur Deus, *Act.* 5: 3, 4. 1 *Cor.* 3: 16. Jehova *Eſai.* 6: 3. *Act.* 28: 25, 26. Dominus, 2 *Cor.* 3: 17. cum Patre & Filio æqualiter colendus, *Matth.* 28: 19. 2 *Cor.* 13: 13. *Apoc.* 1: 4. fruſtra contendente *Epiſcopio*, nullum adduci poſſe exemplum, quo in terminis adoratus legatur Spiritus S. *Conf. Matth.* 12: 31, 32. 1 *Cor.* 6: 19.

18. Neceſſitas hujus doctrinæ ad fidem ſalutarem tanta eſt, ut qui non adorat Deum, ceu Patrem, Filium & Spiritum S. adoret falſum Numen, non verum Deum, *Joh.* 5: 23. 1 *Joh.* 2: 23. 1 *Cor.* 12: 3.

19. Et ſine cognitione S. Trinitatis nequit intelligi opus creationis, *Gen.* 1: 2. *Pſ.* 33: 6. *Eccl.* 12: 1. *Eſai.* 54: 5. nec conſervationis & gubernationis mundi, quæ vendicatur Patri, *Matth.* 11: 25. Filio, *Hebr.* 1: 3. *Coloſſ.* 1: 17. Spiritui S. *Job.* 33: 4. *Eſai.* 40: 7.

20. Mul-

Digitized by Google

20. Multo minus redemtionis, quam Pater, Filius ac Spiritus S. ab æterno ſecum deliberarunt & conſtituerunt, *Zach.* 6: 12, 13. *Joh.* 17: 16. *Pſ.* 40: 7-9. *Eſai.* 42: 1. *Philip.* 2. 7-9.

21. Cum Filio Pater mittere decrevit Spiritum S. *Eſai.* 48: 16. qui tempore promiſſionis, jam ante diluvium, hominibus reſipiſcentiam ſuaſit, at non perſuaſit, *Gen.* 6: 3. & per curriculum V. T. fuit Spiritus ſervitutis, *Rom.* 8: 15. pavoris, 2 *Tim.* 1: 7. in N. T. autem eſt Spiritus gratiæ & precum, *Zach.* 12: 10. adoptionis, *Rom.* 8: 15. *Galat.* 4: 6. potentiæ, charitatis, ſanæque mentis, 2 *Tim.* 1: 7.

22. Urgentur loca de Deo uno, *Deut.* 6: 4. *Joh.* 17: 3. 1. *Cor.* 8: 6. Eſt autem Deus unus ratione eſſentiæ, quam poſſident tres qui unum ſunt: ſicut & *Deut.* 6: 4. memoratur Jehova, Elohim, Jehova. in conſilio gratiæ Pater factus Filii Deus, *Joh.* 20: 17.

23. Cavillantur & modum, quo Filius ac Spiritus S. exiſtere dicuntur. Sed *nihil de Deo quæras, quod non licet; de Deo nihil dicas, quod non didiceris à Deo. melius eſt animam perdere, quam vanum verbum de Deo proferre. Verbum de Deo reticere præſtat magis quam temere eloqui,* Sext. Pythag. Conf. *Prov.* 25: 27.

24. Ait Scriptura, Patrem generaſſe Filium, *Pſ.* 2: 7. *Joh.* 1: 14. 18. *Joh.* 3: 16. & Filium eſſe Patris Filium. *Matth.* 3: 17. & 17: 5. deſignatque *generatio* æternam & immutabilem Patris voluntatem, qua vult, ut Filius exiſtat, ejuſdem eſſentiæ ac gloriæ conſors.

Digitized by Google

25. Et quia Patris voluntas æterna eſt & omnipotens, ideo Filius non potuit non exiſtere ab æterno, ſive eandem cum Patre durationem habere.

26. Neque omittenda eſt hæc *voluntas* in generatione, nam omnis generatio, quæ fit à re intelligente, connotat voluntatem, ut exiſtat proles ejuſdem naturæ cum generante, *Johi* 1: 13. & ſicuti voluntate hominis naſcitur homo, ſic immutabili voluntate ſupremi Numinis generatur Deus ſummus.

27. Sunt quidem geniti homines ætate poſteriores gignente, quia genitor pluribus annis extitit ante quàm genuit: ſed Deus ab æterno vult, ut habeat Filium ſibi æqualem, ſivi in duratione Dei nullum percipitur momentum, quo non voluerit, ut Filius exiſteret. id propter Filius & Pater ſunt ejuſdem durationis. Finitorum animantium generatio diſſimillima.

28. Hinc conſtat: verbum *generare* plus notare, quàm demonſtrare, patefacere, mittere. Et concinnius aſſeritur, Filium in tempore miſſum à Patre, quia Pater genuit Eum ab æterno: quam ſtatuitur, Filium à Patre dici genitum, quia ſecundum pactum ante creationem mundi initum, in tempore ab Eodem eſt miſſus in terram.

29. Nec Jeſus vocatur Dei Filius, ut *Socini* cohors vellet, quia eſt è virgine conceptus & natus; ſanctitate, & ſapientia, & poteſtate Deo ſimilis; à mortuis ſuſcitatus, *Luc.* 1: 35. *Joh.* 10: 36. *Act.* 13: 33. ſed naſci ſancte è Virgine, ſapien-

pienter & ſanctè vivere, potènter òperari, & reſurgere à mortuis debuit, quia eſt Dei Filius.

30. Spiritus S. nominatur Spiritus Dei, *Matth.* 3: 16. *Rom.* 8: 14. Jehovæ, *Eſai.* 11: 2. & 61: 1. Spiritus Patris, *Matth.* 10: 20. *Rom.* 8: 11. *Eph.* 3: 16. Filii, *Rom.* 8: 9. *Galat.* 4: 6. *Philip.* 1: 19. 1 *Petr.* 1: 11. atque hoc oportet acquieſcere.

31. Unde *proceſſio* Spiritus S. notat æternam Patris ac Filii voluntatem, ut exiſtat Spiritus, ejuſdem cum Ipſis naturæ ac majeſtatis conſors, eſtque Latinorum & Græcorum lis de vocibus: an Spiritus procedat à Patre & Filio, an à Patre per Filium: *Lombard.* in Sent.

32. De nominibus *Perſona*, ὑπόστασις, *ſubſtantia*, ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος, luſum ſtrenue, quod *Melanchthon* ingeniorum petulantiæ tribuit.

33. Porro, quia in natura divina eſt voluntas Entis perfectiſſimi, ut exiſtat Filius: atque in natura Patris ac Filii, ut exiſtat Spiritus S. ideo Pater ordine eſt primus, Filius ſecundus, Spiritus S. tertius: neque Filius perſonam Patris, aut Pater Filii, aut Spiritus S. alterutrius, ſuſtinere potuit.

34. Tandem præſtat, pie adorare Patrem, Filium ac Spiritum S. quibus per adſperſionem aquæ dedicati ſumus, & anhelare vitam meliorem, ubi Deum videbimus ſicuti eſt, & cognoſcemus, ut cogniti ſumus: quàm vanis ratiociniis ſollicitare myſterium imperveſtigabile.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De conſilio & decreto Dei Patris, Filii & Spiritus S.

1. UTi mens humana conſulit, decernit, & decretum exequitur: ita teſtatur Scriptura, Deum conſuluiſſe, *Pſ.* 33: 11. *Prov.* 8: 22. *Eph.* 1: 11. *Hebr.* 6: 17. decreviſſe, *Act.* 4: 28. *Eph.* 3: 11. *Act.* 2: 23. & quæ decrevit efficere, *Pſ.* 115: 3. *Eſai.* 5: 12. & 46: 10.

2. *Conſulit* homo, quando quid factu ſit optimum diligenter diſpicit, & conſiderat, quem ſibi finem proponere, & quæ ſectari media ad eum obtinendum debeat: habetque conſulto opus, quia poſitus inter res diverſas, quænam ſit optima, non ſemper intelligit.

3. Deus novit omnia, neque dubius hærere poteſt inter ea, quæ optima ſunt, vel non ſunt. quare nec proprie, finitæ mentis inſtar, deliberat: ſed conſulere dicitur *a.* quatenus ipſius ſapientia plura ſuppeditat media ad finem impetrandum apta: *b.* quatenus finem ſtatuit optimum, & media eligit ſtatuto fini convenientiſſima.

4. Quo differt conſilium à decreto, quod præciſe notat actum eligendi unum modum mediumque declarandæ gloriæ divinæ, ex pluribus aliis Deo occurrentibus: ubi nefas ſcrutari, cur alio medio non utatur.

5. Operatur Deus omnia propter ſe, *Prov.* 16: 4. ſive ultimus actionum ejus finis eſt gloria ſui

ſui ipſius, velut Entis perfectiſſimi, *Rom.* 1: 20. & 9: 22, 23. *Rom.* 11: 36. *Eph.* 1: 6, 12. *Pſ.* 19: 2. ut Philoſophus l. 2. *Epiſt* 16. §. 10. ratus, Deum hac ratione ambitionis culpam contracturum, non attenderit ad θεοπρέπειαν, *divinam decentiam*.

6. Sed longe pejus *B. d. S.* Deum eſſe rerum omnium cauſſam neceſſariam & immanentem putans, negavit Ipſum habere certum in agendo finem, ac feciſſe hominem, ut ab eo coleretur: quo aſſerto diſcrimen boni & mali, omniſque religio funditus ſubvertitur.

7. At probatum ſupra eſt, Deum eſſe ſapientem, & habere voluntatem liberam. igitur liberè agit, non ex neceſſitate naturæ; & finem optimum conſtituit ſapienter, mediaque eligit ad eum conſequendum aptiſſima, *Eph.* 1: 5, 11.

8. Fines particulares divinis actionibus præſtituti, ſunt diverſi: noti alii, alii ignoti: ſed omnes pertinent ad ſupremum illum generalemque finem, qui eſt divinarum perfectionum declaratio.

9. Media patefaciendis Dei perfectionibus inſervientia ſunt Ipſius actiones in præſente ac futuro mundo: viarum nomine veniunt, quia Deum ad metam ſibi propoſitam ducunt, *Job.* 40: 14. *Pſ.* 103: 7. & 138: 5. *Prov.* 8: 22.

10. Suntque Deo decoræ; ſanctæ, *Deut.* 32: 4. *Pſ.* 77: 14. & 145: 17. *Ezech.* 33: 17--20. omnipotenti faciles, *Job.* 42: 2. *Pſ.* 115: 3. *Luc.* 1: 37. humanæ menti jam imperviæ, *Job.* 36: 23. *Eſai.* 55: 8, 9. *Rom.* 11: 33. ad gloriam Jehovæ

il-

Digitized by Google

illuſtrandam propterea accommodatiſſimæ, *Pſ.* 138: 5. *Eſai.* 64: 5.

11. Homo interdum conſulit cum altero, ſive quia ejus conſilio indiget, ſive quia res deliberata ipſum quoque ſpectat. at Deus hominem non conſulit, *Eſai.* 40: 13, 14. *Rom.* 11: 34. 1. *Cor.* 2: 16. ſed deliberat ſecum, *Gen.* 1: 26. & 11: 7. Pater cum Filio, *Pſ.* 16: 7. *Eſai.* 9: 6. *Zachar.* 6: 13. & Spiritu Sancto, 1. *Cor.* 2: 10, 11.

12. Ut enim Pater non eſt ſine Filio, & Spiritu S. *Joh.* 14: 10, 11. 1 *Joh.* 5: 7. ita nec ſine utroque conſulit, *Joh.* 5: 19, 21. *Joh.* 16: 14, 15. adde, gloriam declarandam iis communem eſſe, *Eſai.* 6: 3. *Joh.* 12: 41. *Act.* 28: 25. *Joh.* 17: 10.

13. Conſilio jungitur decretum, *Act.* 2: 23. *Rom.* 8: 28. *Eph.* 1: 11. & 3: 11. ubi attendendum א. ad ipſam Dei decernentis voluntatem. ב. ad res, quas Deus decernendo vult. ג. ad divinæ voluntatis determinationem verſus hoc objectum.

14. *Voluntas* Dei decernentis eſt ipſa ejus eſſentia, conſiderata quatenus fertur ad rem objectam, *Act.* 4: 28. *Eph.* 1: 11. non exiſtentem citra decretum, ſed voluntate Dei decernentis, uti ſunt ſubſtantiæ, modi, caſus, eventus, actioneſque omnes, *Thren.* 3: 37, 38. *Eph.* 1: 11.

15. *Determinatio* voluntatis divinæ ad objectum, virtute decreti aliquando extra Deum exſtiturum, non eſt niſi relatio, eoque eſſentiæ Dei nullam addit novam perfectionem: malè autem à *Crellio* & *Vorſtio* inter accidentia numeratur.

16. De-

Digitized by Google

16. Determinatur voluntas Dei ad res objectas ab æterno, *Act.* 15: 18. *Eph.* 1: 4. & 3: 7. 1 *Cor.* 2: 7. 2 Tim. 1: 9. ut nulla decreta fiant in tempore: ſecus ac mens humana hodie de iſto, eras de altero decernit negotio; quia novi ſubinde caſus ei obtingunt; ſæpe & neceſſaria ad decernendum ſapientia, promtitudo, vel notitia deeſt.

17. *Liberè* determinatur voluntas Dei ad res extra ſe: potuiſſetque ad eas non determinari, & quòd ſe ad eas determinavit, lubentiſſime fecit, *Matth.* 11: 26. *Rom.* 9: 18. 21.

18. Res decretæ ſunt plurimæ, *Prov.* 8: 22. *Eſai.* 25: 1. ſed determinatio voluntatis Dei verſus res decernendas eſt unica: ſive omnia, quæ Deus decrevit, uno & ſimpliciſſimo actu decrevit, concinno ordine inter ſe cohærentia.

19. Eſt enim inſignis perfectio, res innumeras uno velle actu; ſicuti res plures pluribus actibus decernere, imbecillitatem & inſcitiam arguit. ſanè quotquot Deo plures decernendi actus tribuunt, mentem infinitam mutant in finitam, quæ per naturæ conditionem pro data occaſione nova decreta facere debet.

20. Decreta hominum, neque efficacia ſemper, neque immutabilia ſunt; aut enim vi majore impediti exequi illa nequeunt: aut mutato animo nolunt.

21. At Decretum Dei, quia eſt omnipotentis voluntatis Dei determinatio, efficaciſſimum eſt, ut certo fiat quicquid Deus decrevit, eoque modo, & tempore, & ordine quo de-

Digitized by Google

crevit, *Pſ.* 115: 3. *Eſai.* 14: 24. & 46: 10. *Act.* 4: 28.

22. Neque mutatur unquam, vel reſcinditur, *Num.* 23. 19. *Eſai.* 46: 10. *Malach.* 3: 6. *Matth.* 5: 18. *Hebr.* 6: 17. nam & unica eſt divinæ voluntatis determinatio, qua ſtatuta ſunt omnia: multiplicaretur autem, ſi novum Deus conderet decretum, priore abolito. & decretorum abrogatio, ſive imbecillitatem arguit, ſive ſapientiæ defectum, ſive imperitiam futurorum eventuum.

23. Qûum ergo Deum pœnituiſſe ſententiæ ſuæ dicitur, innuitur, Ipſum velle auferre bonum uſque huc conceſſum, aut tollere malum illatum, aut non inferre annunciatum: id quod facit congruenter decreto.

24. Nec Phariſæi & Scribæ ſpernentes baptiſmum Johannis abrogarunt Dei decretum, *Luc.* 7: 30. ſed reſtiterunt præcepto Dei, hortantis, ut reſipiſcentiam teſtarentur per immerſionem in aquam. Conf. *Prov.* 1: 25. *Luc.* 10: 16.

25. Multæ res decretæ dependent à conditione, ut ſalus à fide, vita ab obedientia, exitium ab obſtinatione in peccato. Sed actus, quo Deus hæc bona, aut mala præſtituit, eſt abſolutus, non ſuſpenſus ab incerta hominis actione.

26. Similiter rerum decretarum una ordine naturæ antecedit aliam, creatio lapſum, lapſus miſeriam, fides ſalutem, obedientia vitam, contumacia mortem. *&c.* Sed non datur *antecedens*, vel *conſequens* decretum, quia eſt unicum.

27. Equi-

Digitized by Google

27. Equidem homines ſolent interdum de rebus agendis apud ſe ſtatuere, ſub conditione in alterius arbitrio poſita, cujus animum ignorant, atque ad propoſitum dirigere nequeunt: aut decretum condere *generale*, pro loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum ratione, ſpecialius poſt definiendum.

28. Sed utrumque decernendi genus ex finitæ mentis noſtræ inſcitia & impotentia oritur, qualia non licet de perfectiſſimo Ente cogitare.

29. *Ezech.* 18: 32. & 33: 11. non memoratur Dei decretum, ſed præceptum de officio peccatoris ad impetrandam vitam: & populus Judaicus reſtitit fideli ſtudio, quod Chriſtus, ceu Profeta, impendit ad eum cum Deo reconciliandum, *Matth.* 23: 37.

30. Cæterum tam abſurdas fovent adverſarii de decreto Dei cogitationes, quia putant decreto abſoluto & immutabili libertatem hominum in agendo tolli, tamen Herodes & Pilatus cum Judæis lubentiſſime Jeſum egere in crucem, licet ſecundum definitionem potentis conſilii, vel efficacis voluntatis Dei, *Act.* 2: 23. & 4: 28.

31. Etenim rerum finitarum actiones, ſive liberæ, ſive neceſſariæ, ſive fortuitæ dicuntur, prout ab iis aut ſponte, aut ob determinationem eſſentiæ, vel coactæ voluntatis, aut præter conſilium producuntur. virtute autem decreti divini certo & immutabiliter fiunt. Lege pium *Philoſophi* monitum l. 1. princip. §. 40, 41.

32. Plerumque etiam decretum Dei, prius quàm in tempore efficitur, ignoramus, *Rom.* 6:

25. *Eph.* 3: 9. quare eo nos eſſe excitatos ad agendum, vel non agendum cauſſari non poſſumus.

33. Interdum revelat Deus, quid agere decreverit ab æterno, partim ut loquentis adpareat divinitas, partim ut operis, quod fit ſtatuto tempore, autor agnoſcatur. atque tum ea, quæ revelat, ad Eccleſiæ officium, ſpem & conſolationem pertinent, *Deut.* 29: 29. *Pſ.* 25: 14. *Job.* 29: 4.

34. In tota vero Scriptura S. revelavit partim conſilium & decretum ſuum de divinis perfectionibus demonſtrandis, partim rationes ac media ejus conſilii decretique exequendi.

CAPUT VIII.

De Creatione & rebus creatis.

1. DEus gloriam ſuam rebus, & in rebus, extra ſe poſitis, oſtenſurus, producere eas debuit, quia non ſunt à ſe ipſæ; ſive non exiſtunt virtute eſſentiæ ſuæ: Epicuro olim, & recentius *B. d. S.* temere arbitratis, mundum *natura* exiſtere ab æterno.

2. Mundus enim eſt compages rerum finitarum, quæ poſſent non exiſtere, & ſiquidem nunc exiſtunt, alieno arbitrio eſſe intelliguntur: quo & intereunt, *Pſ.* 104: 29.

3. At homines animales, dubia ratiocinatione, uti non originem, ita nec ſcopum mundi conditi, ſunt aſſecuti. *Quid autem erat, quod*

con-

concupiſceret Deus, mundum ſignis & luminibus tanquam ædilis ornare? Si, ut Deus ipſe melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio habitaverat, poſt autem verietatene eum delectari putamus, quæ cœlum & terras exornatas videmus? quæ iſta poteſt eſſe oblectatio Deo? quaſi eſſet, non ea tam diu carere potuiſſet. apud *Cicer.* l. 1. de nat. Deor.

4. Nempe *fide intelligimus, mundum fuiſſe conſtructum verbo Dei, ut ea, quæ videntur, fierent ex non apparentibus, Hebr.* 11: 3. Scriptura ſignificante creationem, Creatorem, rerumque creatarum ſeriem, naturam & uſum.

5. Creatio eſt productio rei novæ per imperium, & tribus verbis Hebræis notatur, ברא, יצר & עשה. quorum primum ſignificat proprie productionem rei novæ per omnipotentem voluntatem: alterum dationem formæ vel figuræ; & tertium majorem exornationem, atque perfectionem, *Gen.* 2: 3. *Num.* 16: 30. *Eſai.* 43: 7. *Jerem.* 31: 22.

6. Revera & creatio facta eſt per mandatum, *Gen.* 1: 3. *Pſ.* 33: 9. & 148: 5. Deo volente, ut res, quæ nondum erant, eſſe inciperent, *Rom.* 4: 17. *Hebr.* 11: 3. *Apoc.* 4: 11.

7. Deinde terra inornata & incondita, creatione accepit formam figuramque, ut pulcra jam ſit valdeque ornata, *Gen.* 1: 2. *Eſai.* 45: 18. omniaque creationis opera ſunt conſummata ut ad naturam complementumque eorum nihil deſit, *Gen.* 1: 31. & 2: 1, 2.

8. Creator eſt Deus, *Gen.* 1: 1. *Pſ.* 124: 9.

Digitized by Google

Eſai. 40: 28. Act. 17: 24. & quidem ſolus, Eſai. 40: 12. & 44: 24. qua & nota ſeſe à falſis Diis diſcrevit, Jerem. 10: 11-13. nemo enim quum mundus conderetur, præter Deum exſtitit, Job. 38: 4. nemoque præter eum pollet virtute infinita, qualis requiritur ad productionem rerum novarum per ſolum imperium, Rom. 1: 20.

9. Sicut autem Deus eſt Pater, Filius ac Spiritus S. ita quoque tres hæ perſonæ mundum condiderunt, Pſ. 33: 6. Eſai. 42: 5. & 44: 24. Pſ. 106: 26. Hebr. 1: 10. Gen. 1: 2. hinc memorantur *facientes, creantes*, Job. 35: 10. Eccl. 12. Eſai. 54: 5. Gen. 1: 26. Pſ. 149: 2.

10. Sed quia Filius & Spiritus. S. ſunt à Patre, ideo Pater per Ipſos creat quicquid creat, Job. 26: 13. Joh. 1: 3. & 5: 19. 1 Cor. 8: 6. Eph. 3: 9. Hebr. 1: 2. non tamen eo ſunt Patris inſtrumentum, quod de Filio perſuadere vellent poſt Arium Sociniani, ſi quaſdam ejus in mundo creando partes fuiſſe concederent. nam Joh. 1: 3. Coloſſ. 1: 16. Hebr. 1: 2. creationem non primam, ſed *ſecundam*, mundi reſtaurationem per Evangelium, intelligunt.

11. Inſtrumentum ſane vim operandi habet nullam, Eſai. 10: 15. Filius Dei vero mundum condidit virtute ſua, Eſai. 44: 24. & 48: 14. Joh. 5: 19, 20. quæ & Patris virtus eſt, Joh. 10: 30. neque eſt neceſſarium inſtrumentum, ubi opus ſolo imperio producitur.

12. Cæterum ſine ope inſtrumentorum, virtute immediata, Deum omnia produxiſſe, Scriptura S. innuit, quum non modo ab Eo, ſed

&

&per Eum omnia eſſe dicit, *Rom.* 11: 36. *Hebr.* 2: 10.

13. Et quando ait, omnia eſſe *ex Deo*, docet: mundum hunc ex nulla materia prius exſtante, ſed ex ſola Dei ſufficientia prodiiſſe. i. e. Deum tam eſſe divitem, potentem ac bonum, ut è nihilo procrearit ea, quæ jam ſunt. falſoque ſcripſit *Volkel.* omnia eſſe orta ex quadam materia, quæ jam ante creationem à Moſe recenſitam exſtiterit.

14. Hæc enim materia aut ipſa debuit condi à Deo; aut exſtitit virtute ſuæ eſſentiæ. ita foret æterna, neceſſaria, Deus ipſe. Sin vero eſt à Deo condita, exſtare cœpit cum rebus aliis in principio.

15. Urgebat *Epicur.* è nihilo nihil fieri, quod concedimus de virtute finita, naturali; negamus de infinita, vel divina, qua vocantur ea, quæ non ſunt, tanquam ſint, *Rom.* 4: 17.

16. Res creatæ aut omnino non erant, aut ſaltem non erant id, quod poſtea factæ ſunt, *Gen.* 1: 1, 11, 12, ſeqq. quare in ſcholis dicitur, quaſdam eſſe creatas ex nihilo ſui, quaſdam ex nihilo ſubjecti.

17. Principium mundi probabiliter incidit in æquinoctium autumnale. nam & proxime illud fuit revolutio anni, *Exod.* 23: 16. & 34: 22. & in extremo menſis Tiſri ſabbato incipit lectionarium Judaicum, cujus primum caput eſt initium Geneſeos, menſiſque Niſan demum poſt exitum Iſraelis ex Ægypto conſtitutum eſt anni caput, *Exod.* 12: 2.

Digitized by Google

18. Conditus eſt mundus intra ſex dies, non momento, uti poſt *Philon. S. Auguſt.* putavit, *Gen.* 1. *Exod.* 20: 11. momento tamen producti ſunt ſpiritus, & univerſa moles extenſa, ex qua Deus corpora formavit: quia tranſierunt à non eſſe ad eſſe, Deique vocantis imperio reſiſtere non potuerunt.

19. At ipſa corpora inde formata prodiere motu, adeoque ſucceſſu temporis: ut recte credamus, integrum quemque diem eſſe impenſum producendis corporibus iis, quæ Moſes eo die creata narrat. nam alias Deus, penſo abſoluto, ſingulis jam diebus, neque ſeptimo demum, quieviſſet.

20. Opera *primi* diei ſunt cœlum, terra, lux & Angeli. cœlumque intelligitur diverſum ab expanſo, ſecundi diei opere, ſupremum, *Eph.* 4: 10. tertium, 2 *Cor.* 12: 2. quod eſt verus locus, *Act.* 3: 21. & 7: 56. domicilium Dei, *Eſai.* 66: 1. *Joh.* 14: 2. beatorumque Angelorum & hominum, *Joh.* 14: 2, 3. & 17: 24. in rerum primordiis conditum, *Gen.* 2: 1. *Pſ.* 33: 6. *Eſai.* 66: 2. *Hebr.* 11: 10.

21. Terræ nomine & aqua comprehenditur, nondum enim terra erat ornata & fundata, ad lineam & perpendiculum facta; *Gen.* 1: 2. *Eſai.* 34: 11. ſed tenebricoſa aquarum voragine cincta undique & cooperta, *Pſ.* 104: 6--9.

22. Aquis autem incubabat Spiritus S. *Gen.* 1: 2. ad eas fovendas, conſervandas, perficiendas, fertileſque reddendas. haud dum enim creatus erat ventus, vel aer, quem dictione

Spi-

Spiritus Dei innui pertendunt Judæi & Sociniani.

23. E tenebricoſa aquarum voragine creavit Deus lucem, *2 Cor.* 4: 6. *Gen.* 1: 3. *Pſ.* 104: 2. ingens materiæ ſubtiliſſimæ copia, globum è terra & aqua conſtantem, per vices continuo ambitu illuſtrans. vocavitque diem, uti tenebras noctem, *Gen.* 1: 5. debetque noctis ac diei perpetua eſſe in orbe terrarum viciſſitudo, *Gen.* 8: 22. *Jerem.* 33: 25.

24. Dies naturalis, *νυχθήμερον Damaſceno* dictus l. 2. de Orth. fid. c. 7. erat compoſitus è veſpera & mane, è nocte & die artificiali. unde Hebræi initium diei putarunt à ſolis occaſu, feſtoſque dies à veſpera, vel nocte, ordiri à Deo juſſi ſunt, *Exod.* 12: 18. *Lev.* 23: 22.

25. De *Angelis* dicetur *cap.* IX. Opera *ſecundi* diei ſunt duo: creatio expanſi, & fundatio terræ. *Expanſum* eſt omne illud ſpatium, quod à ſuperficie globi terreſtris uſque ad extremos cœli adſpectabilis terminos extenditur, & cum aerem, tum cœlum ſidereum complectitur.

26. Sunt enim in eo nubes ſuſpenſæ in aere; & die quarto ibidem Deus collocavit aſtra. produxit vero expanſum mediis ex aquis, *Gen.* 1: 6. ſicut & fluida eſt cœlorum natura, licet Græci *στερέωμα*, & Latinus Interpres firmamentum appellarint.

27. Et nomen שמים (*ibi aqua*) quo Deus inſignivit expanſum, monet, non modo jam ibi hærere nubes, ſed & in principio eodem loci fuiſſe aquas, ubi poſt cœlum eſt conditum.

Digitized by Google

28 Expanſum ſeparat aquas ſuperiores, in nubibus contentas, *Gen.* 1: 6. *Pſ.* 104: 3. ab inferioribus, quæ unum cum terra globum conſtituunt. nam temere finguntur aquæ ſupra cœlum, & nubes nominantur aquæ cœli, *Gen,* 7: 11. & 8: 2. 2 *Sam.* 21: 10. *Jerem.* 10: 13.

29. Atque coiverant à vaporibus de terra adhuc humida adſcendentibus ad ipſam irrigandam, poſtquam aquæ inde fuere ſecretæ, *Gen.* 2: 6.

30. Secundo enim jam die fundavit Deus terram ſuper maria & flumina, *Pſ.* 24: 2. jubens, ut aquæ deſuper cœlo exſtantes in locum unum congregarentur, tellusque arida adpareret, *Gen.* 1: 9.

31. Quo potentiſſimo juſſu terram, aquarum mole uſque huc coopertam, diffringens ac diffindens, montes, valles, campos planos, & cavernas iis humiliores produxit, in quas ultimas aquæ ſine mora confluxerunt, *Pſ.* 104: 6-8. *Pſ.* 33: 7. *Job.* 38: 8. 2 *Petr.* 3: 5.

32. Tum terra comparuit ſicca, ארץ vocata ſive à רוץ *currere*, ſive à רצץ *terere.* uti receptaculis inditum nomen ימים *marium*, *Gen.* 1:10.

33. Expanſum, terram & maria, Deus, uti lucem, bona eſſe judicavit. vſ. 9. ויאמר cum Aben Ezra reddimus: *& dixerat.* ita fundatio terræ pertinet ad ſecundum diem, nec reddenda eſt ratio, cur Deus opera ſecundi diei nulla, tertiæ vero gemina adprobatione dignatus ſit.

34 *Tertio* die procreavit Deus cum herbas & gramina, tum arbores frugiferas. דשא notat in genere viridem telluris veſtitum, עשב herbas ipſas,

ipſas, eum veſtitum conſtituentes, *Jarch.* ad *Gen.* 1: 11, inerat iis ſemen, unde ſimiles alio tempore & loco herbæ naſcerentur, *Gen.* 1: 11, 12. עץ פרי eſt arbor frugifera, ſui ſimile ſemen habens.

35. Terræ non competebat vis quicquam ex ſe producendi., ſed Deus ipſe omne virgultum agri, herbas & arbores è terra creavit, *Gen.* 2: 4, 5, 9. *Pſ.* 104: 14. ſicut & Paradiſum plantavit, in Edene, delicioſa Meſopotamiæ regione, *Gen.* 2. 8, 9. *Ezech.* 27: 23.

36. Opera *quarti* diei ſunt ſidera in expanſo collocata, inter quæ Sol & Luna emicant. atque *Sol* eſt ingens materiæ ſubtilis quantitas, in centro vorticis ſui collecta, & præeſt diei. *Luna* per ſe opacum eſt corpus, ac moderatur noctem, à Sole lumen mutuans. *Gen.* 1: 14-16. *Pſ.* 74: 16. & 104: 19—23.

37. Aſtra omnia, præter temperandas diei & noctis vices, menſurando quoque tempori, & dignoſcendis variis anni tempeſtatibus, laborisque agendi obſervandis occaſionibus inſerviunt.

38 *Quinto* die fecit Deus aquæ & aeris incolas, piſces & aves, *Gen.* 1:20, 21. piſcium materia eſt aqua limoſa: habent enim & ipſi carnem, 1 *Cor.* 15: 39. quæ ex particulis terreſtribus conſtat, licet plures in ea ſint aquoſæ.

39. Aves ſunt conditæ ex terra, ſed aqua macerata, ſecus nec ipſarum caro ſuccoſa, corporique noſtro alendo apta foret. Hebræi ajunt מן הרקק *è palude*, quod interpretantur ועפר מים *aquam & pulverem*, *Gen.* 1: 19.

40. Utrumque iſtud viventium genus, piſces & aves, non ſolum adprobavit Deus, ſed & ſui multiplicandi & propagandi virtute mactavit, *Gen.* 1: 22.

41. Die *ſexto* condidit Deus incolas terræ, animantia bruta, & hominem. de homine agetur *cap.* X. Brutorum claſſes memorantur tres: בהמה *jumentum*, ſive animal domeſticum & manſuetum; רמש *reptile*, aut nullis, aut breviſſimis pedibus inſtructum; & חיה, *ſylveſtre* & ferum animal, *Gen.* 1: 24.

42. Quæ omnia fuere à Deo producta ſecundum ſpeciem ſuam, *Gen.* 1: 25. naturis haud commiſtis, uti poſt promiſcuo & lege vetito coitu accidit, *Levit.* 19: 19.

43. Incertum eſt, quod Cl. *Lightf.* Op. t. 1. p. 1. ſtatuit, beſtias mundas creatas eſſe ſeptenas, tria paria ad gignendam prolem, reliquas ſingulas datas Adamo ad ſacrificium poſt lapſum: immundas autem tantummodo binas ad propagationem generis. probabilius putat, mundum ea ſaltem parte, qua jacebat hortus Edenis, beſtiis feris, cicuribus & reptilibus inſtructum fuiſſe, *p.* 194.

44. In fine creationis Deus omnia opera ſua generali adprobatione laudavit ceu valde bona, i. e. voluntati Conditoris convenientiſſima, & ad præſtitutum ipſis finem obtinendum aptiſſima, *Gen.* 1: 31.

45. Die *ſeptimo* ceſſavit à creando, rebus omnibus ſex præcedentibus diebus conditis, *Gen.* 2: 1, 2. *Exod.* 20: 11. nam quæ poſtea generantur

tur corpora, eorum ſingulæ jam particulæ, diviſæ licet ac diſperſæ exſtabant à principio.

46. Eundem ſeptimum diem fecit *beatum* & *ſanctum*, *Gen.* 2: 3. א. bene ei dixit, quia judicavit, opus creationis illo eſſe conſummatum, ad gloriam Conditoris boni, potentis, ſapientis. ב. *Sanctum* eum fecit, homini indicans, quod debeat vivere ad honorem Creatoris, & opera ipſius meditari ac laudare.

47. Et ſicut ſex dies primæ creationis, conſentientibus Theologis, divina ordinatione, adumbrarunt diverſa creationis ſecundæ tempora, vel reſtaurationis mundi à vanitate per peccatum accerſita: ita ſeptimus fuit imago ſeptimi & ultimi temporis, quo Deus à liberationis opere quieſcit. Judæis ſeptimi millenarii, vitæ futuræ, ubi non Satanas, non figmentum malum.

CAPUT IX.

De Angelis.

1. QUandoquidem Deus voluit per creationem innoteſcere divinas perfectiones ſuas, corpore autem notitia carent: ideo debuere *Spiritus* condi, intelligentia præditi, eaque apti ad cognoſcendam Creatoris potentiam æternam ac divinitatem.

2. Eſſentiam habentes à corporibus diverſam, longeque nobiliorem, in cogitando, id eſt, in intelligendo & volendo conſiſtentem: dum corpora non ſunt niſi moles extenſa, motus & effica-

Digitized by Google

caciæ omnis expers, niſi à principio externo accipiat: ignara prorſus quid de ſe fiat: Spiritus autem actionum ſuarum ſunt conſcii.

3. Ex ſacris literis, & experientia multiplici conſtat, Spiritus vel eſſe immunes à corporis ſocietate, vel deſtinatos ad conjunctionem cum corpore. *illi* vocantur Angeli; *hi* animæ rationales, mentes humanæ.

4. Angelos & Spiritus dari poſt Sadducæos, *Act.* 23: 8. negavit *Hobbes*, credens, *Angelum, vel nuncium à Deo, eſſe omne id, per quod Deus ſupernaturaliter præſentiam, ſive potentiam ſuam extraordinariam, manifeſtam facit, precipuè vero in ſomniis & viſionibus.* Ita *phantaſmata, etſi ſubſtantia non ſint, ſed accidentia organorum ſentiendi, quando tamen à Deo ad voluntatem ſuam ſignificandam, ſupernaturaliter producantur, non improprie nuncios à Deo, i. e. Angelos appellari,* Leviath. c. 34.

5. Sed quid? num phantaſma Lothum è Sodoma eduxit? Ægyptios & Aſſyrios morte percuſſit? num phantaſma vigilibus Bethlehemiticis adparuit, & locutum eſt? an phantaſmata, accidentia organorum ſentiendi, è cœlo veniunt, eoque redeunt? an phantaſmata Chriſto tentato ſervierunt, triſti & anxio ſolatium præbuerunt, ſuſcitato à mortuis teſtimonium præbuerunt? Vid. *Matth.* 18: 10. & 25: 31. *Act.* 7: 53. 1 *Tim.* 3: 16.

6. Falſum eſt, quod addit, *de creatione Angelorum in Scripturis Sacris diſertis verbis nihil tradi*: in principio enim perfecti ſunt exercitus

cœli,

Digitized by Google

cœli. *Gen.* 2: 1. Angeli, *Luc.* 2: 13, 15: *Pſ.* 104: 4. *Coloſſ.* 1: 16.

7. Non extiterunt ante mundi præſentis ſecula, uti poſt Origenem & Hieronymum, pejore animo *Volkel.* putabat, ſed conditi ſtatim ſunt die primo cum cœlo ſupremo, jam enim Deum laudarunt, quum terra fundaretur, *Job.* 38: 4-8.

8. A potentia & cognitione ſecundum *Spencer.* vocantur כרובים *diſſert.* de Cherub. c. 1. *Gen.* 3: 24. ab officio מלאכים ἄγγελοι, legati, *Gen.* 32: 1, 2. à natura ſpiritali רוחת πνεύματα Spiritus, *Pſ.* 104: 4. *Hebr.* 1: 14. ab ardenti ſtudio in munere exequendo שרפים Seraphim, ſive ſecundum *Lightf.* exuſtores, ab exuſtione templi.

9. Facultates Angelorum, ſicut omnium mentium, duæ ſunt, intellectus & voluntas: ad illum cognitio, ad hanc actiones eorum pertinent.

10. Norunt Angeli ſe, Creatorem, reſque alias à Deo creatas, nam propter eas Deum laudant: de futuris eventibus, & doctrina noſtræ liberationis ſciunt tantum, quantum Deus iis revelat, *Dan.* 8: 16. *Marc.* 13: 32. *Eph.* 3: 10. 1 *Petr.* 1: 12.

11. Actiones noſtras norunt, vel quatenus ad eas producendas concurrunt, vel ex ſignis & effectis de iis judicant, vel quatenus ex Deo audiunt, *Luc.* 15: 10. *Matth.* 18: 10. *Dan.* 9: 21-23. *Matth.* 28: 5.

12. Intellectum ſequitur *voluntas,* quæ cernitur in liberrimis Angelorum actionibus, & valde potens eſt, *Pſ.* 103: 20. cum in movendis

Digitized by Google

dis corporibus, *Gen.* 19: 10, 11. *Pſ.* 78: 49. 2. *Reg.* 19: 35. *Act.* 5: 19. tum in definiendis aliarum mentium cogitationibus, 1. *Reg.* 22: 21. tamen ad nutum Dei, non pro arbitrio proprio, *Exod.* 12: 29. *Pſ.* 78: 49. *Matth.* 8: 31. unde Angelorum potentia nominatur Domini potentia, 2. *Theſ.* 1: 7.

13. Angelus ibi eſt, ubi operatur, proinde & ab una re movetur ad alteram, quatenus ceſſans in una operari, efficit quid in altera, *Marc.* 5: 12, 13. multique ſimul Angeli in una re eſſe & operari queunt, vſ. 9.

14. Officium Angelorum eſt, Deum Conditorem cognoſcere, amare & laudare, opera ejus omnia meditari & adprobare, & mandata Domini promto animo expedire, *Job.* 38: 8. *Pſ.* 103: 20. *Hebr.* 1: 14.

15. Ab initio Deus omnes condidit bonos, quorum hi *electi* in primæva ſanctitate perſtiterunt, 1. *Tim.* 5: 21. illi originem non ſervarunt, *Jud.* vſ. 6. bonorum magnus eſt numerus, *Pſ.* 68: 18. *Dan.* 7: 10. *Matth.* 26: 52. *Apoc.* 5: 11. iisque præeſt *Archangelus*, Filius Dei, 1. *Theſſ.* 4: 16. princeps & caput Angelorum, *Eph.* 1: 10. *Hebr.* 1: 4-6. 1 *Petr.* 3: 22. dux militiæ cœleſtis, *Joſ.* 5: 14, 15.

16. Propter id tamen non eſt ipſorum Mediator, 1. *Tim.* 2: 5. *Hebr.* 2: 16. quo opus non habuerunt, quia Deum Patrem non offenderunt, licet natura inſtabiles eſſent, *Job.* 4: 18. & 15: 15.

17. Miniſterium bonorum Angelorum in terra

vel

Digitized by Google

vel eſt temporale, *legatio* ad homines, B. Mariam, paſtores Bethlehemiticos, Zachariam; vel perpetuum, *defenſio* piorum, *Pſ.* 34: 8. & 91: 11. *Hebr.* 1: 14. quæ fit per unum aut plures, 2 *Reg.* 6: 16, 17. *Gen.* 32: 1.

18. Mali defecerunt à Conditore unius potiſſimum inſtinctu, *Matth.* 25: 41. *Apoc.* 12: 7-9. ſuperba, uti videtur, invidia acti ad hominem mendacio occidendum, *Joh.* 8: 44. inde condemnati ad æterna ſupplicia, *Matth.* 8: 29. 2 *Petr.* 2: 4. *Jud.* vſ 6. quæ duo loca de exploratoribus Cananææ à Moſe emiſſis velle intelligere, eſt ingenio abuti ad corrumpendas Scripturas; *Daillon* apud Bekk. mund. faſc. l. 2. c. 8.

19. Humanæ mentes corpori jungendæ, è nihilo creantur à Deo, *Eccl.* 12: 7. *Zach.* 12: 1. *Hebr.* 12: 9. tempus creationis S. literæ non definiunt. junctæ corpori ſuas retinent proprietates, diriguntque ejus motum; ſicut corpus definit ac variat cogitationes mentis; in hac tamen multæ ſunt cogitationes à corpore non dependentes.

20. Tandem, quia Spiritus omnes unam conſtituunt civitatem magnam, probabile eſt, Creatorem cogitationes omnium vinculo quodam ligaſſe, uti in Rep. corporea cernimus, moto corpore uno, integrum ſimul corporum circulum moveri.

CA-

CAPUT X.

De Homine & ejus officio.

1. ULtima rerum creatarum eſt *homo*, mens ſociata cum organico corpore, cujus mirabilis præſtantia vel inde patet, quod ad ipſum producendum Pater monuit Filium ac Spiritum S. & quod homo præ Angelis dicatur ad Dei imaginem ſimilem factus, *Gen.* 1: 26.

2. Conditus eſt autem mas ac femina, ad genus ſuum generatione propagandum, *Gen.* 1: 27, 28. *Matth.* 19: 4. die ſexto, licet *Grot.* Evam ſerius productam velit, quia tam paucæ horæ tot faciendis operibus non ſuffecerint.

3. Vir primum creatus eſt, 1 *Tim.* 2: 13. extra Paradiſum, in quem mox à Deo ducebatur, *Gen.* 2: 8, 15. è terra formoſa. nam אדמוני non modo eſt *rufus*, ſed & elegans, candidus, ſplendens, 1 *Sam.* 16: 12. & 17: 42. *Thren.* 4: 7. Vid. *Maj.* diſſert. l. 4. §. 15.

4. Quæ terra ut fieret corpus vivum, Deus in faciem hominis inſpiravit נשמת חיים *ſpiritum vitarum*, *Gen.* 2: 7. ſive aliquam ſanguinis portionem agitando, & tenuiorem reddendo animam fecit, *Gen.* 9: 4. *Levit.* 17: 11. ſimulque indidit mentem, quo Adamus & animalis, & hominis vitam viveret.

5. Ante Adamum homines alii non exſtitere, *Gen.* 2: 5. *Act.* 17: 26. 1 *Cor.* 13: 46, 47. & *Peyrer.* Præadamitarum pater, ea ſcribens quæ ipſe

ipſe non credidit, petulanter Adami filiis illudere voluit. Scivere autem Gentiles Adami & Evæ nomen.

6. Ex viri dormientis coſta una, ad ejus auxilium, in Paradiſo eſt formata mulier, *Gen.* 2: 21-23, 1 *Cor.* 11: 8, 9. Solitarius namque ſi Adamus vixiſſet, multa felicitatis parte caruiſſet, nec humanum genus propagaſſet, *Gen.* 2: 18.

7. Uterque, mas & femina, fuere creati ad imaginem & ſimilitudinem Dei, *Gen.* 1: 27. quærendam א. non in corpore Deum repræſentante, quia corporei nihil Deo ineſt, *Act.* 17: 29. & bruta Deo diſſimillima, non minus ac homines membris valent.

8. ב. Non in Adami ſtatura, corpus Filiô Dei deſtinatum referente: eam quippe ſervavit poſt lapſum, amiſſa licet imagine Dei. ג. non in mentis eſſentia, quæ & diſſimilis eſt infinito modo eſſentiæ Dei, & relicta peccatori pecudibus ſimili, *Pſ.* 32: 9. & 49: 21. *Jud.* vſ. 10. ד. nec in dominio ſuper res creatas, id enim homo accepit, quia geſtavit imaginem Dei. Sapientum & ſanctorum eſt regere.

9. Igitur homo ſimilis eſt Deo ſapientia & ſanctitate, ut ſtultitia & vitiis ipſi fit diſſimilis, *Pſ.* 50: 21. Deus enim ſe cognoſcit amatque, & virtutibus his præditum condidit Adamum, *Gen.* 1: 31. *Eccl.* 7: 29. Conf. *Eph.* 4: 24. *Coloſſ.* 3: 10.

10. Ut *Socinus*, naturalem pravitatem ac bonitatem inficiatus, male crediderit, appetitum & ſenſus dominatos Adami rationi, nec melius

ſcholaſtici tuentur, in eo fuiſſe luctam inter carnem & ſpiritum, atque ad illam inhibendam additum donum ſupernaturale originalis juſtitiæ.

11. Nam dominatio ſenſuum & appetitus ſuper rationem, & lucta inter carnem ac ſpiritum vitioſa eſt, nec convenit cum integritate hominis primi, qui alias media ſervandi corporis legitime & ſapienter expetiit.

12. Imago autem Dei, ſive rectitudo, erat ei naturalis, quia 1. eam ab origine accepit, & 2. ad poſteros propagaſſet generatione, ſi perſtitiſſet integer. 3. ſine ea creari non potuiſſet, ſecus ac *Voſſ.* putavit *Hiſt. Pel.* l. 2. p. 3. th. 1.

13. Primo enim momento ſi pravus fuiſſet homo, gloria Dei in eo non adparuiſſet, ſed malum opus malum arguiſſet opificem, ad quem primo originis momento diligentiſſime attendit. Cæteris momentis, quibus evaſit malus, libertas & mutabilitas hominis acceſſit præter Conditoris ſanctitatem.

14. Non erat tamen imago Dei pars aut proprietas naturæ humanæ, quæ non modo recta, ſed & prava eſſe poteſt, amiſſæque imagini ſuperfuit. hinc Deus cædem hominis vetat, non quod jam gerat imaginem ſuam, ſed quia creatus eſt, ut gerat, *Gen.* 9: 6.

15. Porro Adamus, quoniam ſapiens ac ſanctus erat, acceperat à Deo rerum omnium, maxime inferiorum, dominium, ſive jus utendi iis ad ſuam utilitatem, *Gen.* 1: 26. quem Dei ſcopum gentiles iterum non aſſecuti ſunt. *An hac, ut ferè dicitis, hominum cauſſa à Deo conſtituta ſunt?*

ſunt? ſapientumne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. an ſtultorum? at primùm cauſſa non fuit, cur de improbis bene mereretur. deinde quid eſt aſſecutus, cum omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi: maxime quod ſtulti ſunt. apud Cic. l. 1. de nat. Deor.

16. *Carteſ* Princ. Phil. p. 3. §. 2, 3. non probat per omnia hanc dictionem: cuncta propter hominem facta eſſe. Et l. 2. *Epiſt.* 16. §. 10. *puerile &* *abſurdum* ait *eſſe*, *aſſerere*, *ſolem multoties terra majorem non alio fine creatum eſſe, quam ut homini minimam terræ partem occupanti lumen præberet.* Laudet hæc *Wittich.* & reprehendit inde illos qui omnia ad ſe referunt, terræque ſe affigunt, quaſi ipſi menſura & norma univerſi eſſent, cum modo ſint exigua ejus pars. *Theol. Pacif.* §. 106.

17. Reſp. *a.* Omnia propter hominem creata dicuntur, quatenus homo omnibus uti poteſt ac debet ad Conditoris gloriam. Cœlum enim homini ſuppeditat lucem, terra fructus, aqua piſces. *b.* corporum omniumque rerum *finis ultimus* & univerſalis eſt demonſtratio perfectionum Dei. *particularis* & ſubordinatus unus eſt homo. an ſint, vel eſſe poſſint plures alii fines particulares, non inquiritur.

18. Erat etiam Adamus immortalis, neque morbum mortemve ſenſiſſet, niſi peccaſſet, quia mors eſt pœna peccati, *Gen.* 2: 17. *Rom.* 5: 12. & 6: 23. 1 *Cor.* 15: 56. non ſequela naturæ, ut poſt Pelagianos vult *Socin.* Sane Adamus erat factus in animam viventem, *Gen.* 2: 7. 1 *Cor.* 15: 45

19. Habebat quidem corpus pulvereum, *Gen.* 2: 7. 1 *Cor.* 15: 47. è contrariis elementis conflatum: tamen ſine peccato nulla in eo erat moriendi cauſſa, Deo ſociata ſemel elementa in perpetuum continente: uti & domus, niſi tempeſtatis injuria, vel manu inimica deſtruatur, ſola materiæ diverſitate non collabitur.

20. Vitam animalem ſervabat cibis, herbis puta & fructibus arborum, inſigni tum vegetandi vi pollentibus, nondum conceſſo carnium eſu: mactatæ enim in principio pecudis genus propagatum non eſſet.

21. Gignendæ proli dare operam primi parentes debebant, non quod mortales eſſent, ſed ut plures extarent homines immortales, & imagine Dei fulgentes, nondum completo filiorum Dei numero.

22. Nam differt immortalitas *via* ab immortalitate *patria*, ſicut & diverſa ſunt in utroque ſtatu corpora, ibi ψυχικὰ *animalia*, hic πνευματικὰ, 1 *Cor.* 15: 44. à Spiritu S. mota & agitata.

23. In cœleſti patria qui agunt, mori non poſſunt, cibis haud indigent, ſobolem non gignunt, 1 *Cor.* 15: 53, 54. 1 *Cor.* 6: 13. *Matth.* 22: 30. Adamus in terra vivens ſanctè, potuit non mori, & ne moreretur, debuit edere ac bibere, & ne cum uxore viveret ſolus, liberos gignere.

24. Quemadmodum vero poterat ab integritate deficere, mutabilis quippe creatus, ita & poterat mori: nam vita ſequitur ſanctitatem,

Digitized by Google

quæ ſi eſt immutabilis, oportet ut talis quoque ſit immortalitas.

25. Propter hanc ipſam mutabilitatem indiguere primi parentes auxilio Dei ſpeciali, negante licet *Bellarm.* nam ut momento primo exſtitere recti ſola Dei voluntate, ita ſine eadem momentis ſequentibus integri permanere nequeunt, ſecus momentis hiſce poſterioribus fuiſſent perfectiores ac primo: iis enim à Deo non dependiſſent.

26. Atque in hoc auxilio divino conſiſtebant Adami vires, ſive potentia, ad perſeverandum: nam ſolius Dei eſt potentia, *Matth.* 6: 13. *Apoc.* 4: 11. & omne robur noſtrum eſt efficax Dei voluntas, qua bonum facimus, & malum fugimus.

27. Quod ad *officium* hominis integri attinet, quia non erat ſui juris, ſed Conditori ſubjectus, corpuſque & ſpiritus illius erat Dei, 1 *Cor.* 6: 19, 20. ideo utrumque impendere debuit ad Dei gloriam, intellectu Ipſum cognoſcere, voluntate ſuper omnia amare, & corpore uti ad exequenda Creatoris mandata.

28. Et quoniam Creator eſt Pater, Filius & Spiritus S. ideo debuit Adamus ſcire, tres iſtos eſſe unum verum Deum, ſecus ac *Amyrald.* putavit. Eum ſane qui ignorat, eſt ſine Deo, *Eph.* 2: 12. vitæque ſuæ autorem non colit, *Eccl.* 12: 1--22. Occaſione rerum creatarum meditari & laudare oportuit perfectiones divinas, quarum characteres iis erant impreſſæ, bonitatem, ſapientiam, ſanctitatem, potentiam, &c. *Rom.*

1: 19, 20: & piis hiſce cogitationibus inter cæteras quoque actiones indeſinenter vacare, à rebus conditis mentem ad Conditorem attollendo.

29. Huc ſine dubio pertinebat notitia voluntatis divinæ recta jubentis & prava vetantis, quam Adamo inſitam fuiſſe, docent cogitationes de recto & pravo, poſterorum animo infixæ, *Prov.* 20: 27. *Rom.* 2: 14, 15. 1 *Cor.* 11: 14. licet *Socin.* naturalem honeſti & turpis cognitionem cum imagine Dei negarit.

30. Et qui homini recto *Eccl.* 7: 29. non eſſet cognata recti ſcientia? ישר enim non eſt נקי *innocens*, ſed voluntati Creatoris congruus, talis qualis eſſe debet, rectum ſciens, amans, & faciens.

31. Amoris erga Deum ſummi teſtimonium exigebatur abſtinentia à fructibus arboris ſcientiæ boni & mali, quos prohibuit Deus, partim ut demonſtraret, ſe ſolum eſſe ſummum rerum omnium Dominum, hominemque non niſi villicum, partim ut exploraret primos parentes, an bonum finitum ſenſu oblectans infinito prælaturi eſſent necne? *Gen.* 2: 16, 17.

32. Arbor ea peculiaris *Gen.* 3: 3. poſita in medio horto juxta arborem vitæ, *Gen.* 2: 9. ſic vocabatur à Deo, quod patefactura eſſet cum hominis perſeverantiam in bono, aut lapſum in malum; tum diſcrimen inter bonum quod poſſidebat, & obedientia porro acquiſiturus erat, atque malum eſu fructus prohibiti accerſendum.

33. Ju-

Digitized by Google

33. Jubebatur deinde Adamus, hortum colere ac cuſtodire, *Gen.* 2: 15. cum Eva, uxore diligenda, vſ. 22-24. gignendæ proli operam dare, & ſemen Dei quærere, *Malach.* 2: 15. nam verba, quibus novis conjugibus Deus bene eſt precatus, *Gen.* 1: 28. mandatum includunt.

34. Denique & omiſſo labore omni, tempore ſat frequenti, debebant unice Deum contemplari, & liberis ac nepotibus in congregato cœtu laudes Creatoris narrare.

35. Hæc divinæ voluntatis de hominis integri officiis declaratio, ſive per verbum interius, excitatas in mente cogitationes, ſive per verbum exterius, formatum in aere ſonum, facta, *lex* appellatur.

36. Et voluntas Legiſlatoris vel nititur perfectiſſima & immutabili Ipſius ſanctitate, uti mandatum amandi Conditorem; vel arceſſitur ex ſumma Dei libertate, ut interdictum arboris ſcientiæ boni ac mali, cujus fructus permittere Deus Adamo potuiſſet, ſi voluiſſet.

37. Amorem ſui Deus non potuit non præcipere: & jubere odium vel contemtum Entis perfectiſſimi, evertit & Creatoris & hominis naturam: non aliter ac pugnat, parentes nolle à liberis diligi & honorari.

38. Igitur virtutes lege præcipiuntur, quia ſunt honeſtæ, Deique & hominis naturam decent: neque contra honeſtæ fiunt, quia præcipiuntur. Atque vitia non ſunt turpia, quod prohibentur, ſed prohibentur ob turpitudinem.

Certe imago Dei nequit eſſe imago Satanæ, nec Satanæ imago fieri imago Dei.

CAPUT XI.

De præmio officii.

1. POllebat Adamus libertate officium præſtandi, ſponte enim & lubentiſſime Deum amavit, quandiu manſit integer vitæ ſceleriſque purus: tamen *indifferens* erat, quia potuit non amare, ſive natura non determinabatur ad amandum.

2. Quæ naturæ indifferentia inter ſanctitatem & pravitatem eſt imperfectio, eoque multum diſtat à vera libertate, cujus non eſt niſi infimus gradus, ex cognitionis defectu ortus: ac per eam, veluti per portam, peccatum intravit in mundum.

3. Quare & abeſt à multis cauſſis liberrimis, Deo, Angelis Sanctis & hominibus beatis, quorum ille natura, iſti voluntate Creatoris, hi gratia Liberatoris ad Sanctitatem, Deique amorem determinati ſunt.

4. Et vere liberi ſunt, quotquot ſummo & conſtantiſſimo animi ſtudio Conditori ſerviunt, *Joh.* 8: 32, 36. ut contra omnis, qui peccat, eſt ſervus peccati, vſ. 34. *Rom.* 6. 16--20. 1 *Petr.* 2: 16. 2 *Petr.* 2: 19.

5. Cum libertate, aut lubentia non pugnat N. lux intellectus, quam voluntatis aſſenſus, vel diſſenſus, electio, vel fuga certo ſequitur: imo

tanto

tanto eſt libertas major, quanto major eſt cognitio. neque 3. decretum æternum, aut præſcientia Dei, ut *Socini* & *Arminii* ſecta docet. Deus enim actiones tales decernit & præſcit, quales ſunt; & decretum ac præſcientia illarum cauſſa non eſt.

6. Neque 3. omnipotens Dei voluntas, qua homo agit, vel non agit, *Act.* 17: 28. nam ſponte agunt, qui Deo volente agunt, *Gen.* 45: 8. *Act.* 2: 23. & 4: 28. 2 *Cor.* 8: 16, 17. Sed adverſatur libero arbitrio coactio, qua vis infertur voluntati, 1 *Petr.* 5: 2. & neceſſitas phyſica, qua cauſſæ ſecundæ, ſine ſcientia ac voluntate, ſecundum leges motuum corporis, actionem producunt: quo modo ignis urit, Sol lucet.

7. Pontificii, Sociniani, & Remonſtrantes, arbitrati, efficacem gratiam, & ſervitutem peccati, adverſam eſſe libertati, eam in indifferentia ad utrumque oppoſitorum collocant: ſed jam monuimus §. 2. indifferentiam eſſe imperfectionem ortam ex inſcitia.

8. Nam ſi verum & bonum recte noſſemus, inter illud oppoſitumque falſum & malum ancipites non hæreremus, uti famelicus & ſitiens non dubius pendet inter panem & lapidem, inter potum ſalubrem & venenatum. Conf. *Cartes.* Medit. IV.

9. Cæterum quia Adamus libertate fuit prædítus, potuit legem accipere, & legem ſervando præmium mereri: rectum enim & pravum, præmium & pœna non, niſi inter liberos obtinet. hinc nemo laudat ignem urentem, aquam irrigantem.

Digitized by Google

10. Brutorumque, ſiderum, & aliarum rerum intellectu & voluntate deſtitutarum, actiones fiunt quidem congruenter legi naturæ; ſed eam legem ſervat Deus ipſe, neque dictis rebus ſervandam dedit.

11. Primi autem parentes quamdiu legem Dei cuſtodierunt, obedientiæ ſuæ præmium à Deo juſto ac bono ſperarunt. nec enim fruſtra ab iis quæri voluit, *Eſai.* 45: 19. *Hebr.* 11: 6. ſed obedituris vitam cœleſtem promiſit, *Levit.* 18: 5. *Ezech.* 20: 21. *Matth.* 19: 16, 17.

12. Nam decet Deum quærentibus ſe fruendum dare, *Gen.* 15: 1. & 17: 7. *Eſai.* 55: 6. *Jer.* 29: 13, 14. uti contra eum dedecet, majeſtatis ſuæ cultorem deſtruere, vel cruciatibus addicere: quod *Twiſſ.* credidit. hanc enim ratione Deus donum & opus ſuum improbaret.

13. Plane ſicut is, qui prope ignem ſtat, neceſſario caleſit: ita homo, per ſapientiam & ſanctitatem cum ſummo bono conjunctus, non poteſt non beari, 1 *Cor.* 6: 17.

14. Quanquam autem amorem Dei certo ſequatur beatitudo, haud tamen ea eſt merces dignitate operis promerita, *Luc.* 17: 10. ſed tantum ex pacto, congruenter divinæ bonitati, data.

15. Nam dignitate operis meretur, qui ſuis viribus facit opus indebitum, ex quo ad alterum, de quo meretur, tanta redundat utilitas, quantam ipſe ex opere ſuo percipit. Ita meretur, qui alterius vineam fodit.

16. Atqui Adamus non ſua facultate, ſed Dei virtute, præſtitiſſet opus debitum, è quo mal-

nullum Deus incrementum accepiſſet, *Job* 22: 2, 3. & 35: 7. & 41: 2. *Rom.* 11: 35. 1 *Cor.* 4: 7. ſupremo Domino obedientium vel ſine ſpe præmii.

17. Magna utique fuit felicitas primorum parentum ante lapſum; pollebant enim ſapientia & ſanctitate, eoque læta animi tranquillitate, & corporis vigore florebant: ſed mutabiles erant, medii inter perſeverandum in integritate, & deficiendum ab ea. igitur & metui defectionis obnoxii.

18. Deinde non defigebantur unice in intima Dei contemplatione, ſed rerum terrenarum, horti colendi, ciborumque cogitationibus diſtrahebantur, etſi ex iſtis ambagibus ad Deum converterentur. eſt vero beatius, unice in ſummi boni intuitu defigi, 1 *Reg.* 10: 8.

19. Quare major potuit Adamo felicitas promitti eâ, qua jam fruebatur. nempe א. immutabilitas ſanctitatis & immortalitatis. ב. perfecta tranquillitas & lætitia, ex immutabilitate fluens. ג. arctior in cœlis cum Deo conjunctio. quæ bona *vita æterna*, vel cœleſtis, nomine veniunt.

20. Equidem Moſes vitæ promiſſionem non memorat diſcerte, uti mortis comminationem: ſed interior animi ſermo inculcabat, Deum eſſe bonum, & remuneratorem: habebatque Adamus ingenitum arctioris cum Deo communionis deſiderium, quod vanum eſſe non potuit. id enim Deus indidit.

21. Spem vitæ cœleſtis firmabat Paradiſi intuitus, & fructuum arboris vitæ uſus. *Paradiſus*

quip-

Digitized by Google

quippe, hortus amœniſſimus, omnium rerum neceſſariarum, & deliciarum copia abundans, & præſentia Dei illuſtris, erat imago cœli, *Luc.* 23:43. 2 *Cor.* 12:4. *Apoc.* 2:7.

22. *Arbor vitæ* & vitam corporis fulciebat fructibus, & cœleſtem obſignabat. eſt enim ſignis ſacris ſolenne, utramque ſimul vitam firmare: quo modo ſigni & rei ſignatæ major eſt ſimilitudo; panis & carnis, vini & ſanguinis Filii Dei.

23. Unica erat poſita in medio horto, & deſignabat unicum Filium Dei, *Prov.* 3:18. *Apoc.* 2:7. & 22:14. cum Patre & Spiritu S. vitæ terreſtris & cœleſtis autorem, *Joh.* 1:4. & 5:21. 26.

24. Non pollebat vi conferendi immortalitatem cœleſtem, quod *Bellarm.* exiſtimabat: à ligno non expectandam. & permittebatur fructus ejus edi ante abſolutum obedientiæ curriculum, *Gen.* 2:16. & 3:2. neceſſario tamen abſolvendum ante conſecutionem cœleſtis immortalitatis.

25. *Socin.* arborem vitæ judicat dictam, quod mortem naturalem averteret: ſed ea homini integro metuenda non erat, eſtque aliud à morte liberare, aliud fulcire & ſervare vitam. cæteræ etiam arbores ferebant fructus conſervandæ vitæ aptos.

26. Credidit enim, parentibus primis vitæ cœleſtis, obedientibus licet decretæ, promiſſionem factam non eſſe. Jeſum Chriſtum enim hanc primo attuliſſe; & natura nos ignorare, quod recta fructum ferant ea facientibus.

Digitized by Google

tibus. *Socino* conſentiunt *Epiſcopius* & *Grotius*.

27. Pulvereum corpus, è carne & ſanguine compoſitum, haud quidem eſt cœleſtis vitæ capax: ſed Adamus in cœlum transferendus id permutaſſet, uti ſuperſtites ultimo die momento transmutabuntur, 1 *Cor.* 15: 47—50. ſic Enochus & Elias.

28. Nec *Amyrald.* th. de trib. feder. §. 11, 12. bene ſenſit, ratus, Adamo nihil præter continuationem vitæ & felicitatis in Paradiſo promiſſum. Vita in cœlo apud Deum majus eſt bonum, atque in terris gratia conſtans præſtat mutabili felicitate.

29. Præclariſſimum hoc præmium à Deo petendi jus non habuit Adamus ante completum tempus, quo Legislator ejus obedientiam explorare voluit: uti non datur merces ante opus conſummatum. eſt tamen juſtitia pars imaginis renovatæ in homine poſt lapſum, *Eph.* 4: 24.

30. Quod ſi in ſtatu integritatis cum Eva conſueſſet, liberos utique genuiſſet ſibi ſimiles, ſapientes, ſanctos & immortales: ſed Deus ab iis non minus, quàm à parentibus, obedientiam exegiſſet ad vitam cœleſtem conſequendam.

31. Declaratio voluntatis Dei, Adamo & poſteris obedientibus præmium dandi, & contumaces afficiendi pœna, in ſcholis dicitur *fedus operum*, quo citant *Hoſ.* 6: 7.

32. Homo enim lubenter eſt adſtipulatus Deo, communionem ſui ſub conditione obedientiæ ipſi & gignendis liberis offerenti: non aliter ac duo federati in mutuas conditiones conſentiunt.

33. Ha-

33. Hactenus tamen intercedit diſſimilitudo, quod de federibus humanis eſt mutua deliberatio, mutua utilitas: & penes utrumque federatum ſtat, fedus facere, vel non facere.

34. At ſolus Deus deliberavit de homine beando, *Eſai.* 40: 13, 14. *Rom.* 11: 34. *Eſai.* 43: 22. & ſolum ad hominem omne conſilii illius commodum pertinet: atque Deum decuit, Adamum ad ſui communionem invitare, & is natura obligabatur ad eam quærendam.

CAPUT XII.

De prima hominis culpa.

1. Officium erga Deum primus homo non diu conſervavit, ſed cito nimis mutabilem voluntatem ad malum flexit, ſecundum *Bechai*, ſexto jam die principii Moſaici, *Pſ.* 49: 13. ſaltem interea non conſuevit cum Eva, quæ alias fœtum ſanctum concepiſſet, licet genus humanum propagare debuerint.

2. Peccandi occaſionem ſuppeditavit tentator *ſerpens*, qui erat ſpiritus, iſque malignus: nam eſt ratiocinatus, & parentes primos mentiendo decepit, & in maximam miſeriam conjecit; imo de ipſo Deo male ſenſit, & male locutus eſt: Satanas, Diabolus, *Rom.* 16: 20. *Gen.* 3: 15. *Joh.* 8: 44. *Apoc.* 12: 9. & 20: 2.

3. An ſerpente, animali bruto, ſit uſus inſtrumento, diſputatur. negat *Amyrald.* diſſert. de ſerp. tent. affirmant Judæi & plerique Chriſtiani,

ni, per os ſerpentis formaſſe eum voces humanas, uti & Deus os aſinæ Bileami aperuerit, *Num.* 22: 28.

4. Adortus alloquio eſt Evam ſolitariam, *Gen.* 2: 2. 2 *Cor.* 11: 3. 1 *Tim.* 2: 14. callido fine, quod interdictum ex marito, non ipſo ex Deo audiiſſet, Adamo quippe ante conditam Evam datum, *Gen.* 2: 16-18.

5. Primo in dubium vocavit verbum Dei de vitando cujusdam arboris fructu: id ſcil. non decere Dei bonitatem, aut hominis rerum creatarum Domini præſtantiam. deinde negavit diſerte, eſu fructus vetiti mortem iri acceſſitum: imo impetratum æqualitatem cum Deo, bonique & mali ſcientiam: Deo in teſtem vocato.

6. Quare Eva, converſis ad arborem vetitam oculis, illius fructum judicavit bonum ad comedendum, pulcrum, elegantem, effectu, comparatione ſcientiæ, nobilem: decerptumque comedit, ſimulque marito partem ejus comedendam præbuit, ſeducto ab uxore iiſdem argumentis, quibus tentator Evam expugnavit.

7. Deus enim diſerte Adamo exprobrat ſpem impetrandæ majoris ſcientiæ, *Gen.* 3: 22. forte & cogitavit, uxorem jam manducaſſe, pœnæ adhuc expertem, unde & ſibi impunitatem promittere potuit. ſuntque hæ & ſimiles multæ illæ cogitationes, quibus homo mentem rectam perdidit, *Eccl.* 7: 30.

8. Ita peccatum admiſerunt graviſſimum. nam ſummum bonum quæſiverunt in re creata, eaque vetita, non in Creatore; pomum ſupra

Deum

Digitized by Google

Deum dilexerunt, & Diabolo quàm veritatis autori credere maluerunt. Et ſcelus eo judicatur majus, quo eſt facilior obedientia, & vilius delicti objectum, & latior mali communio.

9. Igitur juſta eſt ira ſupremi judicis delictum illud ſeverè punientis, invita *Socini* ſecta: ſed Julii III. impium fuit convicium, quo conceptam ob pavonem calentem, quem frigidum in cœna adponi voluerat, horribilem iram excuſavit: ſi Deus ob unum pomum adeo ſit indignatus, ut primos parentes Paradiſo ejecerit, licere & Vicario Dei iraſci ob pavonem pomo pretioſiorem, *Szegedin.* in Spec. Pont.

10. Cæterum lapſi ſunt diverſis paſſibus, nam א. Eva fuit curioſa, nec attendit, quis cum ea loqueretur, & qua de re: quàm item verax ſit Deus fructum prohibens. æqualitas enim cum Deo à Satana memorata Evæ mentem occupavit totam, ut de alia re non cogitaret. Juvit tenebrarum principem caligo noctis.

11. ב. Omiſit in periculo fundere preces pro conſervatione mutabilis felicitatis, qua tum fruebatur. ג. credidit verbum Dei poſſe incertum eſſe. ד. deſideravit æquari Deo. ה. amavit cupiitque fructum vetitum, & decerpſit.

12. Infidelitatem præceſſiſſe ſuperbiæ, diſſerit *Calvin.* Inſtit. l. 2. c. 1. §. 4. at, ſuperbiam intraſſe Adami animum ante infidelitatem, *Bellarm.* contra eum probare contendit *l.* 3. de amiſſ. grat. c. 4. Saltem conſtat, Tentatorem prius fidem quàm modeſtiam Evæ oppugnaſſe: & vix optaſſet æqualitatem cum Deo, niſi eam impetrabilem credidiſſet.

13. Ser-

Digitized by Google

13. Serpenti potius quàm Deo credidit, ignara eum, qui loquebatur, eſſe mendacem ſpiritum, humanæque invidum felicitati, & mortis comminationem non intellexit de pœna à Creatore ob legem violatam infligenda, ſed forte explicuit de noxia fructus natura, guſtanti præſentiſſimam mortem, veneni inſtar, inferente.

14. Ideo reſpiciens arborem, & nulla in ejus fructu tam noxiæ naturæ ſigna obſervans, imo elegantia & oculis grata cernens poma, induci facile potuit, ut crederet, vanum eſſe mortis metum ex eſu tam formoſi fructus.

15. Tum mulieris animum ſubiere cogitationes de memorabili arboris nomine, quod mortem non intentet eſuro, ſed ſcientiam promittat: proinde certiorem eſſe ſerpentis pollicitationem ſermone Adami, de morte eſum hujus pomi ſecutura.

16. Sed & verum eſt, ea quæ optamus, leviſſimis nos inductos rationibus credere, quia fides firma ad inepta & inania deſideria concipienda haud requiritur.

17. Ex eo, quod primi parentes tam cito peccarunt, *Socin.* & *Epiſcop* colligunt caruiſſe eos ſapientia & ſanctitate illa, qua vulgo ornati fuiſſe dicantur: imo inſitam naturæ Pugnam inter appetitum & rationem patrati delicti cauſſam & originem faciunt.

18. Sed pravus facile evaſit homo mutabilis, è cogitationibus & motibus compoſitus, qui cum à Deo dependeret, non oravit, ſapientiam & ſanctitatem ſibi conſervari à primo ejus datore.

19. Quæcunque vero ſit lapſus cauſſa, culpæ pars nulla transferri in Deum poteſt, qui in toto negotio nihil indecori admiſit; ſed omnia convenienter perfectiſſimæ ſuæ eſſentiæ egit.

20. Decuit Deum, Adamum condere ad imaginem ſuam, eàmque conſervare, ſi homo id peteret. viciſſimque non decuit, quum id non oravit: nam requiritur ab homine, ut teſtetur, ſe à Deo dependere, quæ cultus divini ſumma eſt.

21. Pro abſoluto dominio ac liberrimo arbitrio potuit Deus Adamo non dare voluntatem petendi à Conditore integritatis cuſtodiam: ſu[illegible]citque dediſſe ſapientiam, qua noſſet, ſine p[illegible]cibus ſe non poſſe in integritate perſeverare.

22. Porro decuit Deum, facere hominem mutabilem, quia decuit, dare ipſi, legem qua ſervata vitam, aut violata mortem mereretur: non tamen Deus creavit Adamum, ut legem transgrederetur, nam cuſtodire juſſit; ſed transgredi permiſit fine ſancto, nempe ut poteſtatis ſuæ liberrimæ. ſapientiæ, juſtitiæ & miſericordiæ gloriam declararet; ſicuti Angelos bonos in ſanctitate firmavit.

23. Magiſtratus tamen, & quilibet alius, peccat, quando peccata, ſi poteſt, non impedit, nam ex officio impedire debet; Deus autem nulla lege fuit obligatus, ad impediendum Adami delictum, ſiquidem eſt ſummus Dominus & lediſtator.

24. Permiſit Deus Adami peccatum congruenter æterno decreto, quo de rebus omnibus præſtituit, quid in tempore fieri debeat: ſed nec ipſo

ipſo hoc decreto ullam culpam lapſus contraxit, uti *Volkel.* & *Epiſcop.* putant.

25. Eſt enim aliud peccare, aliud peccatum decernere: nam qui peccat, gloriam Dei obſcurat, ejúſque Perfectiones abnegat: Deus autem peccata decernens manifeſtas fecit ſuas perfectiones; eóque ſanctiſſime egit.

26. Neque decreto Dei coactus eſt Adamus ad peccandum, ſed liberrime ac ſponte vetitum pomum amavit edìtque: indifferentiam tollunt decreta Dei, non lubentiam vel libertatem.

27. Denique homini integro Deus nihil ſubtraxit, ſecus innocentem mulctaſſet bono prius dato: nec ei negavit donum perſeverantiæ: id enim Adamus & Eva, à ſerpente tentati, non expetierunt à Deo, quod negatur, petitum eſſe intelligitur.

28. Ex quibus omnibus ſequitur, peccati primi cauſſam, extra Adamum & Evam, dari nullam præter inſtinctum Diaboli, qui tamen & ipſe nonniſi ſuadendo egit.

29. Servatam lapſus Adamici memoriam inter gentiles, docet Ευασμὸς, & vetitus malorum Punicorum eſus in ipſorum ſacris, & fabula de Proſerpina apud inferos ob pomum detenta. Et malum Punicum Fœminis gravidis, inordinato appetitu laborantibus, *Plauto* & *Plin.* teſte, offerri ſolitum.

CAPUT XIII.

De miſeria primam hominis culpam ſecuta.

1. INdicatur ea *mortis* nomine, *Gen.* 2: 17. quo continetur omne malum ex peccato ortum, ſicut *vita* notat omne bonum, quo compenſatur obedientia: א. conjunctionem cum Deo per ſanctitatem. ב. lætam animi tranquillitatem ex communione Dei. ג. conjunctionem mentis cum corpore. ד. beatitudinem mentis ſeparatæ apud Deum. ה. immunitatem à morbis, doloribus, & cæteris vitæ hujus calamitatibus.

2. Quintuplici huic vitæ generi opponitur *mors* quintuplex: א mors in peccatis. ב. angor oriens ex ſeparatione à Deo ceu ſummo bono, & pudor natus ex conſcientia malefactorum. ג. ſeparatio animæ à diſſoluto corpore. ד. angor poſt mortem. ה. morbi, calamitates, & reliqua vitæ præſentis mala.

3. Omne illud mortis genus è peccato naſcitur, ſeparante nos à fonte vitæ, *Eſai.* 59: 2. *Pſ.* 36: 10. Is autem, qui ſeparatus eſt à vera vita, non poteſt non omni mortis genere mortuus eſſe. *Eſai.* 26: 19. *Matth.* 8: 22. *Eph.* 2: 1. 5. *Coloſſ.* 2: 13.

4. Sed oportet dictorum malorum א. naturam, ב originem ex peccato, & cum illo arctiſſimam connexionem, diſtinctius contemplari.

5. Primus ergo culpæ Adamicæ effectus eſt *peccatum*, & mors in peccato, vel ſervitus peccati,

cati, *Rom.* 5: 12. eſtque peccatum actus gloriam Dei obſcurans; ſicut enim Deus eſt ſanctus quatenus vult ſibi decentia: ita homo eſt pravus, quando aliquid vult, aut agit, Deo indecorum, i. e. gloriam Dei obſcurans, negans.

6. Nomina peccati varia ſunt: *ἀνομία, facinus legi adverſum.* *παράπτωμα lapſus* è ſede felici in infelicem. *ὀφείλημα debitum* Deo ſolvendum. *παρακοὴ inobedientia.* *ἀσέβεια omiſſio cultus.* חטאה *ἁμαρτία, aberratio* à ſcopo, ein fehler. פשע *ἀποστασία defectio,* מרד *rebellio.* עון *ἀδικία pravitas,* diſceſſio à regula.

7. Vocatur & מרי *ἀπείθεια inobedientia,* qua aliud volumus ac Deus vult. בגר *perfidia.* אשם *cauſa reatus.* עברה *παράβασις, transgreſſio* viarum Dei. טמאה *impuritas,* cujus communio fœdat. מעל prævaricatio à מעל *ἀσυνθετεῖν* ſub amicitiæ ſpecie adverſari; cultum ſimulando non obedire.

8. Peccatum, peccare eſt à *pecus,* ac deſignat actionem pecude dignam, recte rationi adverſam. nam peccando pecudibus ſimiles ſimus, *Pſ.* 49: 21. 2 *Petr.* 2: 12. *Jud.* vſ. 10.

9. Exercitus peccatorum eſt numeroſiſſimus, & patrantur quædam contra Deum, quædam contra alios homines, quædam contra nos ipſos.

10. Peccatum contra Deum Patrem eſt violatio legis de amore Dei & hominis proximi; contra Filium, præcepti Evangelici de Jeſu Chriſto pro vero Liberatore habendo; contra Spiritum S. eſt convicium, veritatem eſſe mendacium, eſſe contemtu dignam, & Spiritum ejus aucto-

rem mentiri, fidem non mereri, *Matth.* 12: 31, 32.

11. Homo alter contra quem delinquimus, eſt vel ſuperior, vel inferior, vel æqualis nobis: & ſunt infiniti modi eum lædendi, communi nomine *injuſtitia* venientes, qua aliis ſuum non tribuimus, *Rom.* 1: 18. 2 *Theſſ.* 2: 10. 2 *Tim.* 2: 19.

12. Adverſus ſe ipſos peccant αὐτόχειρες, impudici, qui corpori maculam inurunt. 1 *Cor.* 6: 18. ebrioſi, qui valetudini nocent; rerum vanarum æſtimatores, qui mentem debitis virtutibus ac ſcientiis non ornant.

13. Memoratur quoque peccatum *omiſſionis*, patratum contra præceptum jubens, & *commiſſionis* contra mandatum vetans. ſed peccato omiſſionis continetur peccatum commiſſionis, quia pauperem non juvans ſtipe, ſi poteſt, fit ejus homicida, aut ſaltem ei rapit quod ſuum eſt. Et peccatum omne cogitationem malam includit.

14. Deinde peccata committuntur cogitando, loquendo, feciendo: illud fit mente, *Matth.* 15: 19. 2 *Cor.* 7: 1. iſtud ore, *Eph.* 4: 25, 29. hoc corpore, *Rom.* 6: 12, 13. tamen cum omni pravo ſermone, aut fecinore, conjuncta eſt mala cogitatio.

15. Et quia cogitationes vel ad intellectum, vel ad voluntetem pertinent, quædam mentis peccata in intellectu ſunt, ut ignorantia. cæitas, caligo, ſtultitia &c. quædam in voluntate, ut pravæ cupiditates, *Eph.* 4. 18. *Tit.* 3: 3.

17. Pec-

16. Peccata intellectus & ipſa ſunt voluntaria, ſive oriuntur è voluntate: nam mens tum ignorare, & cæca eſſe vult.

17. Mala cupiditas variat: vel enim in mente naſcitur, & ſine mora ab eo damnatur & expellitur; vel ea delectamur. interdum & de mediis eam explendi deliberamus. primum genus ſcholæ vocant motus *primo primos*, ſecundum & tertium *ſecundo primos*.

18. Romana Eccleſia, ut tueatur, regenitos poſſe in hac vita perfectos eſſe, baptiſmum habere vim tollendi totum id, quod habet peccati rationem, negat concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi delectatio & conſilium de illa explenda accedat: contra *Rom.* 7: 7. *Matth.* 22: 37.

19. Certe ut minima aquæ gutta eſt aqua, & minia motus particula eſt motus: ita minimus actus gloriam Dei obſcurans eſt peccatum.

20. Equidem prava ſuggeſtio ſæpe in mente oritur nobis invitis. ortàque mox repudiatur, *Rom.* 7: 15, 16, 19. tamen à voluntate ſuggeritur eo momento, quo malum cupimus, licet poſtea id deſleamus ac damnemus. Et ſi cupere eſt velle, cupiditas non poteſt non voluntaria eſſe.

21. *Jacob.* 1: 15. intelligit peccatum externum, conſummatum, membris corporis peractum: concupiſcentia autum eſt peccatum internum, cordis, inchoatum, & mater peccati externi, conſummati.

22. Peccatum, quod committimus inſcii, aut

præcipites, dicitur error. *Num.* 15: 25. *Pſ.* 19: 13. quod facimus prævia deliberatione, vocatur petulantia, *Pſ.* 19: 14. Scriptura ait fieri elata manu, *Num.* 15: 36. adverſus proprii animi ſenſa & dictata, 1 *Tim.* 4: 2.

23. Peccatum ex ignorantia commiſſum non eſt involuntarium; ſponte enim id patramus; licet fiat ſine conſilio: & peccatum contra conſcientiam adverſatur quidem judicio mentis *abſoluto*, non tamen *comparato*.

24. Nam *Medea* v. g. videns meliora probansque, & deteriora ſequens, duo formavit judicia: unum, peregrinos amores eſſe turpes, eóque fugiendos: alterum, turpia ſibi eſſe jucunda, eóque ſectanda.

25. Quando idem peccatum frequenter ab homine admittitur, dicitur in eo regnare, *Rom.* 6: 12. Scelera immaniora vocantur clamantia, uti ſunt cædes, *Gen.* 4: 10, crimen Sodomiticum, *Gen*, 18: 20. expilatió pupillorum & pauperum, oppreſſio viduarum, *Exod.* 22: 22--24. *Habak.* 2: 11. *Jacob.* 5: 4.

29. Nec enim peccata omnia ſunt æqualia, ut Stoici voluerunt, ſed alterum altero majus eſt, *Matth.* 7: 3. *Joh.* 18: 11. eóquè majorem pœnam meretur, *Matth.* 11: 22--24. *Luc.* 12. 47, 48.

27 Peccatum ſequitur mors in peccatis, *Eph.* 2: 1. 5. *Coloſſ.* 2: 13. *Jud.* vſ. 12. quæ eſt impotentia rectè agendi, *Matth.* 26: 41. *Rom.* 5: 6. & 6: 17 *Rom.* 8. 3. ſervitus peccati, *Rom*: 6: 16, 17, *Joh.* 8: 34. lex peccati, *Rom.* 7: 23. & 8: 2.

Digitized by Google

8: 2. ab *Epiſcop.*, temere explicata de peccandi conſuetudine, à qua nonnulli ſe exemerint.

28. Ut enim mortuus nihil agere poteſt: ita mortuus in Peccatis habetur, qui nequit agere bene, deſtitutus ſcil: principio vitæ ſanctæ, Spiritu Dei, *Eph.* 4: 18. *Jud.* vſ. 19. & incitatus ad perverſos motus ab anima, 1 *Cor.* 2: 14.

29. Quid angor ſit, ſenſu, non verbis diſcitur. ut vero læta tranquillitas eſt vita: ſic triſtis angor animæ mors eſt. & angor impiorum in hac vita futurorum cruciatuum eſt initium, *Eſai.* 66. 24. *Luc.* 16: 24. *Apoc.* 20: 10. Cain deſperavit, *Gen.* 4: 13.

30. Futuræ vitæ miſeriam præcedere ſolet mors temporalis, *Gen.* 3: 19. qua machina corporis humani deſtruitur, & mens inde recedit, quia non amplius eſt aptum operandi inſtrumentum. Et vitæ hujus calamitates mortis nomine veniunt, nam ad naturæ noſtræ deſtructionem faciunt, *Exod.* 10: 17.

31. Omnia hæc mala ſunt amari fructus peccati, nullumque eorum invaſiſſet hominem niſi peccaſſet: at quia peccavit, omnia ſibi accerſivit: ſicut & omnia parentes primi ſunt experti.

32. Nam ex peccato uno ruerunt in aliud, culpam admiſſam male excuſantes; erubuerunt in nudo corpore; Dei adventantis conſpectum metuentes, ſub arboribus ſe abſconderunt; Paradiſo ejecti, varias vitæ hujus moleſtias ſenſerunt, & tandem obierunt, *Gen.* 3: 7. ſeqq.

33. *Socini* ſecta falſo ſolam moriendi neceſſi-

Digitized by Google

tamen facit peccati pœnam; cruciatus æternos impiorum tollit, peccata leviora mortem æternam non mereri ſtatuit; & peccatum primum habuiſſe vim corrumpendi voluntatem hominis. in quæ & Remonſtrantes aliqui conſentiunt.

34. Si impii pœnam non ſentirent, ſed in nihilum redigerentur, magnum, quod optant, pro ſceleribus beneficium acciperent. contra *Pſ.* 50: 21. *Matth.* 26: 24.

35. Peccatum *veniale* natura eſt nullum, lege perfectiſſimam ſanctitatem poſcente, *Matth.* 22: 37. & 5: 19. ut culpæ unius reus cenſeatur totius legis violator, *Jacob.* 2: 10. verbique otioſi reddenda ſit ratio, *Matth.* 12: 36, 37.

36. Nec juvat *Bellarm.* ſermo Chriſti *Matth.* 5: 21, 22. ubi nec peccati, nec pœnæ gradus memorantur, ſed uni delicto, convicio adverſus fratrem, gemina tribuitur pœna, temporalis, infligenda à Synedrio, & æterna.

37. Poteſtas quinque hæc malorum genera peccatoribus infligendi penes Diabolum eſt, cui obediens Eva facta eſt ſerva, *Eſai.* 49: 24, 25. 2 *Tim.* 2: 26. 2 *Petr.* 2: 19. unde vocatur Deus ſeculi hujus, 2 *Cor.* 4: 4. princeps hujus mundi, *Joh.* 12: 31. & 14: 30. pater improborum, *Joh.* 8: 44. 1 *Joh.* 3: 8. operans in filiis contumacibus, dominans aeri, *Eph.* 2: 2. & 6: 12. ac tenebris, *Coloſſ.* 1: 13.

38. Scil. eo volente peccatum patratur, 1 *Reg.* 22: 22. 1 *Chron.* 21: 1. *Joh.* 13: 2. *Eph.* 6: 11. 2 *Cor.* 2: 11. mors infligitur, *Heb.* 2: 14. *Job.* 1: 18, 19. morbus graſſatur, *Job.* 2: 7. angor

&

Digitized by Google

& inquies obveniunt, 2 *Cor.* 12: 7: aut aliæ calamitates ingruunt, *Job.* 1: 12. ſeqq. *Apoc.* 2: 10. & 12: 12, 13. velut à miniſtro juſtitiæ divinæ.

39. Nam juſta Dei ipſius ſententia peccator tot mala experitur, quæ veræ ſunt pœnæ, quibus Deo ſatisfit, vel erepta gloria reſtituitur.

40. Dum enim homo Satanæ obedivit, ſervum ei ſe addixit, putavitque, ſe peccando quoque poſſe eſſe ſapientem & ſanctum, ac beatum ſine Deo: quare in ſervitute diaboli relinquitur, ſtultus, pravus, & miſer manet: & hactenus, licet invitus, fatetur, Deum eſſe ſapientiæ, ſanctitatis, vitæ & beatitudinis autorem unicum.

41. Errant ergo Sociniani, negantes, Deo naturaliter ineſſe juſtitiam peccata punientem, ut ne agnoſcere debeant, neceſſariam eſſe Sponſoris pro peccatis noſtris ſatisfactionem.

42. De pœnis duo obſervantur: *unum*, poſſe eas ſapientia, bonitate ac potentia Dei converti in remedia peccati; *alterum*, non neceſſario ſigulas pœnas ſingulis peccatoribus inferri, ſed pro libertate Judicis immitti.

43. Juſtitia Dei notat א. voluntatem ejus ſuum cuique tribuendi, ſicque reſpicit bonum & malum, præmium & pœnam. ב. voluntatem reddendi ſibi gloriam à peccatore ereptam, & hactenus pro objecto habet Deum ipſum, ג. voluntatem peccatori infligendi malum, quod è peccato oritur, & ſic reſpicit peccatorem & peccatum.

44. Atque

44. Atque excellentiſſima hæc perfectio, uti nequit abeſſe ab Ente perfectiſſimo: ita paſſim Deo tribuitur, *Exod.* 23: 7. *Nahum.* 1: 2, 3. *Rom.* 1: 32. & 3: 25. 2 *Cor.* 6: 14. 2 *Theſſ.* 1: 6, 7. itàque & odium, quo proſequitur peccatum, nihil eſt præter voluntatem id puniendi, *Pſ.* 6: 1. & 5: 5-7. & 7: 12, 13.

45. Sunt viri docti, qui putant Deum poſſe per omnipotentiam ſuam peccatum dimittere impunitum, & juſtitiam punientem nonniſi ex libero, quanquam immutabili, decreto derivant.

46. Imo non differt à ſancta Dei eſſentia, cui rectum & decorum placet, pravum & indecorum diſplicet, *Habak.* 1: 13. ubi mundities oculorum non juſtitiam decreti, ſed ſanctitatem naturæ ſignificat. Et ſi Deus poſſet peccatum non punire, poſſet fieri ſimilis peccatori, qui nihil vehementius optat præter impunitatem, *Pſ.* 50: 21.

47. Nec ſufficit, peccati improbationem teſtari ejus deſtructione, vel peccatoris emendatione, imaginìsque divinæ in eo reſtauratione: neque etiam peccatoris abolitione & perpetua diſſolutione: utrumque eſt enim beneficium, quod pro maleficio reddere juſtitia vetat.

48. Adde, ut in hominis animo ex ſapientia & ſanctitate tranquillitas & lætitia, in corpore veró incolumitas, integritas ac vigor oritur: ita ſtultitiam & malitiam non poſſe non inquietem, triſtitiam & angorem dolorémque efficere: contrariorum enim ſunt contraria effecta.

49. Poteſt

49. Poteſt quidem omnis Dominus de jure ſuo remittere: at nequit Deus eſſentiam ſuam abnegare, 2 *Tim.* 2: 13. vel perfectionem diſſimulare: eſt autem peccati impunitas divinæ ſanctitatis abnegatio, non juris alicujus remiſſio.

50. Atque privatis hominibus convenit, acceptas condonare noxas: totius mundi judicem decet exercere jus, *Gen.* 18: 25. ſicut nec Magiſtratibus, illius vicariis, licet impunitate peccandi facere licentiam:

51, Quo tamen pacto Deus non ſpoliatur poteſtate remittendi peccata, nam ejus ſapientia ſuppeditavit medium, juſtitiam cum miſericordia conciliandi.

52. Et populo ſuo delicta gratis condonat, ſed in perſona ſponſoris, legi congruenter punita; Sponſoremque admittere potuit, quia exercitium juſtitiæ immutabilis libertimo Dei arbitrio temperatur, *Pſ.* 85: 11.

53. Dum præſens durat ævum, quandoque levius, quandoque gravius punit ſcelera, piisque interdum male, & impiis bene eſt: ſed in futuro ævo ad juſtitiæ normam ſupplicia infliget, & vitæ hujus fata, adverſa vel amica, non ſemper pœnæ aut præmii rationem habent, ſed ſæpe emendandis & explorandis piis &, indurandis excæcandisque impiis inſerviunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De propagatione miſeriæ in genus humanum.

1. MIſerum eſſe univerſum genus humamum, proclive in peccata, ſtultum, cæcum, morbis, ſollicitudini, doloribus, moleſtiis & morti obnoxium, triſtis docet experientia; originem miſeriæ ſola indicat Scriptura.

2. Inde enim conſtat, ut ſancta radix habet ramos ſanctos, ita ex Adamo & Eva peccatoribus naſci heredes omnium peccati fructuum, ſemen ſerpentis, *Gen.* 3: 15. *Matth.* 3: 7. & 12: 34, filios iræ, *Eph.* 2: 3. deſtitutos gloria Dei, *Rom.* 3: 23.

3. Nam quia Adamus imaginem divinam, ad poſteros propagandam generatione, non cuſtodivit, juſte à Deo cenſetur indignus ſobole divina imagine ornata, quæ propter id naſcitur ad imaginem ſimilem vitioſi parentis, *Gen.* 5: 3. patrèmque habet Diabolum, 1 *Joh.* 3: 8. *Joh.* 8: 44. *Act.* 13: 10.

4. Ut enim voluntate viri naſcitur fetus, *Joh.* 1: 13. ita voluntate diaboli gignitur peccatum; ſive peccamus, quia malignus Spiritus vult, ut peccemus, 1 *Chron.* 21: 1. *Act.* 5: 3. 2 *Theſſ.* 2: 9. tentator, *Matth.* 4: 3. 1 *Cor.* 7: 5, 1 *Theſſ.* 3: 5. deceptor, 2 *Cor.* 11: 3. & 2: 10, 11. *Eph.* 6: 11, 16. 1 *Petr.* 5: 8. 2 *Cor.* 11: 14.

5. Quo ipſo tamen peccatores ſe excuſare nequeunt, lubentes enim Tartarei Domini mandata

exe-

exequuntur. & ſuaſionibus ac illecebris ejus non reſiſtunt, geniti in iniquitate, *Pſ.* 51: 7. caro ex carne, *Joh.* 3: 6. impuri ex impuris, *Job.* 14: 4. impii ab utero, *Pſ.* 58: 4. filii contumaciæ, *Eph.* 2: 2.

6. Hæc corruptio nominatur mors in peccatis, *Joh.* 5: 25. *Eph.* 2: 1. 5. *Hebr.* 9: 14. abalienatio à vita Dei, *Eph.* 4: 18. ſervitus peccati, *Joh.* 8: 34. *Rom.* 6: 16, 17. lex peccati, *Rom.* 8: 2. lex peccati in membris, *Rom.* 7: 23. caro, *Matth.* 26: 41. *Rom.* 7: 5. & 8: 5--9. homo exterior, 2 *Cor.* 4: 16. quia per membra corporis dominium exercet. vetus homo, *Eph.* 4: 22. *Coloſſ.* 3: 9. cor lapideum; *Ezech.* 11: 19. peccatum per excellentiam, *Rom.* 7: 7, 8. peccatum inhabitans, *Rom.* 7: 20.

7. Cogitationes enim mentis pravæ ſunt omni die, *Gen.* 6: 5. & 8: 21. quia Deum non conſideramus, non cognoſcimus, non amamus, *Job.* 21: 14, 15. *Pſ.* 14: 2, 3. *Rom.* 1: 30, 31. unde intellectus eſt cœcus & tenebroſus, *Rom.* 1: 21. *Eph.* 4: 18. & 5: 8. *Apoc.* 3: 17. & voluntas prava, omne aliud præter Deum appetens, 2 *Petr.* 1: 4. corpus autem agitatur motibus perverſis, malas in mente cogitationes excitantibus, *Rom.* 6: 6, 12, 13.

8. Scholæ corruptionem iſtam vocant *peccatum originale*, negatum à *Pelagio*, *Socino*, *Epiſcopio*; agnitum è *Maſſilienſibus* Semipelagianis; non definitum à Patribus Tridentinis ob ſententiarum divortia; *Bellarmino* poſitum cum in lapſu Adami imputato, tum in carentia juſtitiæ originalis

nalis, quæ tamen non ſit peccatum propriè dictum, ſiquidem eſt involuntaria.

9. At א. qui caret imagine Dei, ſanctusque & ſapiens non eſt, eopſe pravus & ſtultus eſſe intelligitur, *Matth.* 12: 30. ב. voluntaria eſt peccati ſervitus, non invita, aut coacta; quamprimum enim mens exiſtit in corpore impuro, malum vult, & amat. ac jubet lex, non modo bene vivere, ſed & vitam bene ordiri.

10. *g.* Lapſus Adami non eſt ipſa corruptio ingenita, ut ſomniavit *Pighius* & *Catharinus*; nec ejus pars, ut vult *Bellarm.* ſed mali fontis malus rivus; ſive corruptio eſt lapſus Adamici pœna.

11. Nam quia primi parentes deliquere, juſto judicio Deus ordinavit, non modo ut ipſi eſſent peccati ſervi, ſed et ut poſteri eorum toti naſcerentur corrupti; quæ eſt peccati Adamici *imputatio.* à Pelagianis, Socinianis & Remonſtrantibus vehementer oppugnata.

12. *Imputare* חשב, λογίζειν, eſt judicare, facinus quoddam mereri præmium aut pœnam, *Gen.* 15: 6. *Rom.* 4: 3 - 8. 2 *Cor.* 5: 19. & quia id facinus aut noſtrum eſt, aut alienum, idcirco & præmium, ac pœna, ſive ob noſtrum, ſive ob alienum facinus tribuitur.

13. Lapſum Adami luunt א. Adamus ipſe, ב. ejus poſteritas, quæ propter dictum lapſum naſcitur mortua in peccatis, *Rom.* 5. 12 - 19. & obnoxia morti, 1 *Cor.* 15: 21., 22. ſicut è fonte venenoſo nonniſi venenoſa aqua manat.

14. *Placæus* exiſtimavit, lapſum Adami hactenus

ius nobis imputari: *quod ob peccatum nobis inhærens digni ſumus, qui eodem loco habeamur, ac ſi inobedientiam illam admiſiſſemus.* at ſecundum Paulum corrupti naſcimur propter offenſam Adami, nec aliunde ingenita malitia hominum derivari poteſt.

15. Scil. liberi ſunt parentum pars: pars ſequitur naturam totius. igitur parentibus ſunt ſimiles, & per eos accipiunt corpus, quod motibus ſuis pravas in mente cogitationes efficit. Imo vel ejus ſemen extitit in lumbis Adami fructum vetitum comedentis, & tum utique pravo motu agitatum.

16. Equidem nondum vixerant poſteri primorum parentum, quando hi in paradiſo deliquerunt: ſed colonus infidelitate perdit feudum etiam liberis quos poſtea gignit, nec Dominus feudi propterea injuſtus habetur.

17. Scripturæque adverſatur quod ait *Epiſcop.* poccatum non poſſe eſſe pœnam peccati antecedentis, ſive proprii, ſive alieni, *Judic.* 9: 23, 24. 2 *Sam.* 12: 11, 12. *Rom.* 1: 26.

18. *Ezech.* 18: 4. memoratur peculiaris ratio, qua Deus volebat agere cum murmurantibus Iſraelitis, puniendo ſolum propria peccantium, non item & parentum delicta: ſed cum Adamo egit Deus, ut cum humani generis capite.

19. Neque fit ita corruptionis autor, ut *Epiſcop.* cauſſatur, ſed juſto judicio dat pravo parenti ſemen ſimile, tale quale quærit.

20. Porro ſicut è prima culpa in humanum genus dimanavit corruptio: ita ex corruptione venit mors ad omnes, quia omnes peccarunt; etiam ad infantes, qui mala animi cogitationes non per-

fecere membris corporis, ut Adamus, *Rom.* 5: 12. 14. nam temere *Epiſcop.* puniendorum numero infantes & fatuos eximit.

21. Mors intelligitur temporalis & æterna; quæ poſterior eſt perpetuus dirorum cruciatuum ſenſus, inevitabilis iis, qui faciem Dei non vident: ut malè ſtatuerit *Lombard.* infantes damni modo, non ſenſus pœnam luere. qui enim non eſt lætus ac tranquillus in Deo, triſtis eſt & anxius.

22. Propagatur autem mors ad nos ab Adami lapſu mediante peccato noſtro, *Rom.* 5: 12--17. atque hoc immediatam ducit originem a primorum parentum offenſa. nam peccamus, quia peccavit Adamus, & morimur, quia peccamus.

23. Poteſt quis ob aliena peccata morte affici, ſi propria accedant. nam ſi puniret Deus innocentem, ſanctum, teſtaretur, innocentiam & ſanctitatem ſibi diſplicere.

24. Præter mortem cætera quoque peccati mala late in orbem diffluxerunt; omnes enim Adami poſteri jam à matris utro doloribus & ærumnis vexantur, *Gen.* 5: 16, 17, 18. quin univerſa terra execrationi & vanitati ſubjecta eſt, *Rom.* 8. 20.

25. Impieque inſaniunt putantes, vitæ humanæ adverſitates, quæ ſecundum leges naturæ accidunt, non eſſe pœnas peccati.

26. Denique ob peccatum injuſta eſt rerum terreſtrium poſſeſſio, uſúſque impurus, *Tit.* 1: 15. peccator enim nullum in eas jus habet, quia caret imagine Dei, qua dominum in res creatas nititur.

27. Id tamen de foro *poli*, non *ſoli* intelligendum. inter homines enim juſta poteſt eſſe poſſeſſio, licet pura & legitima non ſit coram tribunali Dei.

LIBER SECUNDUS

de Salute peccatoris in Chriſto.

CAPUT I.

De conſilio gratiæ & iræ exercendæ erga genus humanum.

QUemadmodum homo beatitudinem ſibi ab initio non dedit: ita nec amiſſam reddere poteſt; ſed à Deo, à quo primum eam accepit, recuperet oportet, *Exod.* 15: 26. *Eſai.* 41: 14. & 43: 11. *Hoſ.* 13: 4, 9.

2. Etiam placuit Deo, ab æterno formare conſilium de nonnullis hominibus liberandis è miſeria, in quam peccato inciderunt, *Zach.* 6: 11. *Eph.* 1: 11; primæque in eo partes ſunt Patris, qui velut prima Deitatis perſona primus cuncta opera divina orditur, *Joh.* 5: 19. *Eph.* 1: 3. 2. *Cor.* 1: 3. ſecundæ Filii, & tertiæ Spiritus S. 1 *Petr.* 1: 2, 3.

3. Benigna hæc Dei Patris, Filii ac Spiritus S. de noſtra liberatione conſulentis, voluntas nominatur *amor*, propenſio in opera manuum Dei, *Joh.* 3: 16. *Rom.* 5: 5. 8. *Tit.* 3: 4. 5. dein gratia, quatenus ea propenſione ſumus indigni, *Eph.* 1: 7. & 2: 5. 8. *Tit.* 2: 11. & *miſericordia*, quia eſt amor miſerorum, *Rom.* 9: 15, 16, 23. *Tit.* 3: 5.

4. Scil. Pater quosdam ex miſero genere humano præcognovit, *Rom.* 8:29. & 11:2. 1 *Petr.* 1: 2. ſive dilexit, 1 *Cor.* 13: 13. ſicut τὸ *noſſe* in Hebræo & Græco codice interdum eſt benevole reſpicere, ante oculis habere, diligere, curare, *Pſ.* 1: 6. *Hoſ.* 13: 5. *Amos.* 3: 2. *Rom.* 7: 15. 1 *Cor.* 8: 3.

5. Dum autem Pater nos præcognovit, vel amavit, ſimul reſpexit Filium, 1 *Petr.* 1: 20 & ſtatuit nos ei tradere liberandos, *Joh.* 17: 6. 9. 11. & liberatos in pecculium concedere, *Pſ.* 2: 8. *Hebr.* 1: 2. unde dicimur electi in Filio, *Eph.* 1: 4. 9. & 3: 11.

6. Eum niſi habuiſſet, poſt peccatum diligere nos non potuiſſet; atque hactenus Filius Dei eſt fundamentum electionis, ſummóque erga nos ductus amore, *Eph.* 5: 2. 25. *Joh.* 13: 1. ſibi nos aſſeruit, *Hebr.* 2: 16. *Gen.* 48. 16.

7. Spiritus S. tum conſtituit eos, quos Pater Filio dedit, & Filius ſibi vendicavit, regenerare, renovare, ſanctos reddere, 1 *Petr.* 1: 2. 2 *Theſſ.* 2: 13. *Tit.* 3: 5.

8. Actus, quo noſtra liberatio eſt decreta, appellatur βουλὴ *conſilium*, quia ſapienter ac liberè Deo placuit, hac, neque alia ratione nos ſalvare, *Eph.* 1: 11. *Hebr.* 6: 17. προορισμὸς *prædeſtinitio*, certa ac determinata ſalvandorum deſignatio, facta ab æterno, *Rom.* 8: 29, 30. *Eph.* 1: 5. nam ὁρίζειν eſt limitibus circumſcribere, nominatim deſignare, *Act.* 17: 31. *Rom.* 1: 4.

9. Vocatur & πρόθεσις *propoſitum*, voluntatis ſtatutum, *Eph.* 1: 9. 11. *Rom.* 8: 28. & 9: 11.

11. ἐκλογὴ *electio*, ſeparatio & acceptio è pluribus, *Rom.* 11: 5. *Eph.* 1: 4. διαθήκη *teſtamentum*, ſignificatio ultimæ voluntatis de bonis Teſtatoris, *Hebr.* 7: 22. & 8: 6.

10. *Teſtator* Deus eſt, Pater, Filius ac Spiritus S. *Heredes* Dei Filius cum populo redimendo, *Rom.* 8: 17. legata *hereditas* ſalus & gloria cœleſtis, *Pſ.* 16: 5, 6. *Hebr.* 6: 12. 1 *Petr.* 1: 4 teſtamenti *tabulæ* ſunt Scriptura S. & liber vitæ, *Exod.* 32: 32. *Apoc.* 13: 8. & 17: 8. & *confirmatio* facta eſt morte Liberatoris, *Zach.* 9: 11. *Hebr.* 9: 15-17 & 13: 20. ut perpetuo ratum ſit, *Hebr.* 6: 17. *Rom.* 11: 29. 2 *Tim.* 2: 19.

11. Non omnes homines à Deo ſunt inſtituti heredes: quare nec erga omnes gratiam exercere Deus ſtatuit: ſed datur porro conſilium *iræ* demonſtrandæ, *Rom.* 9: 22. 1 *Theſſ.* 5: 9. *Jud.* vſ. 4.

12. Nam Pater non tradidit omnes Filio, ut liberarentur per Eum, *Joh.* 17: 9. Filius non novit omnes, *Matth.* 7: 23. & Spiritum S. non conſtituit in omnibus imaginem Dei reficere, 1 *Petr.* 2: 8. *Act.* 16: 6.

13. Sed quoſdam Deus odit, *Malach.* 1: 2. *Rom.* 9: 13, 25. vult indurare, *Rom.* 9: 18. non miſeratur, *Hoſ.* 1. 6. non ſcribit in libro vitæ, *Apoc.* 20: 15. & Filius Dei nonnullis ponitur offendiculum, *Eſai.* 8: 14. *Luc.* 2: 34. *Matth.* 21: 44. *Rom.* 9: 22.

14. Objectum conſilii cum iræ tum gratiæ exercendæ ſunt certæ perſonæ, *Luc.* 10: 20. *Apoc.* 13: 8. & 17: 8. *Rom.* 9: 13. quæ omnes

G 3   Deo

Digitized by Google

Deo eligenti, vel reprobanti, occurrunt ceu ſervi peccati, & filii iræ, *Eph.* 2: 3, 4. *Ezech.* 16: 6.

15. Sed Deus ex liberrimo arbitrio, *Hoſ.* 14: 5. *Matth.* 11: 16, *Luc.* 12: 32. *Eph.* 1: 5. nulla ad id ratione extra ſe commotus, *Exod.* 33: 19. *Rom.* 9: 15. & 11: 35. miſeros ſimiliter homines diſcrevit, 1 *Cor.* 4: 7, & ex eadem maſſa fecit vas, aliud ab decus, aliud ad dedecus, *Rom.* 9: 21. 1 *Theſſ.* 5: 9. propter gloriam ſuam, *Rom.* 9: 22. 23. *Eph.* 1: 6. 12. idque ab æterno, *Eph.* 1: 4. & 3: 11. 2 *Tim.* 1: 9.

16. Et una quidem ac felicior claſſis fuit deſtinata ad ſanctitatem, fidem & vitam, *Eph.* 1: 4. *Act.* 13: 48. 2 *Tim.* 2: 10. *Jacob.* 2: 5. altera vero relicta in ſervitute peccati & mortis, *Rom.* 9: 22. & 11: 7, 8.

17. Præter doctrinam de S. Trinitate, & de perſona officióque Jeſu Chriſti, vix aliud caput religionis noſtræ eſt vehementius oppugnatum, ac dogma de prædeſtinatione, licet omnem gloriam liberationis Deo, nullam homini tribuat, ſalutem faciat immutabilem, peccati & miſeriæ culpam omnem in peccatorem transferat, & à Deo temporaria, fluxa & inconſtantia conſilia removeat.

18. Quiſquis autem materiam hancce arduam utiliter meditari cupit, cogitare debet, *a*, ſe propter ſolum Conditorem eſſe factum, *Prov.* 16: 4. eóque ſubmiſſum divinæ voluntati, contra quam murmurare nefas, *Eſai.* 45: 9, 10. *Jerem.* 18: 46. *Rom.* 9: 19-21. *b.* nam Deum eſſe ſupremum

mum

nuum Dominum, Ens præſtantiſſimum; nos autem cinerem ac pulverem, *Gen.* 18: 27. tineam, vermem, *Job.* 25: 6. nihil, *Pſ.* 62: 19. & *Pſ.* 144: 4. g. quicquid in tempore fit, fieri æternæ & immutabili voluntati Dei congruenter, *Eph.* 1: 9. 11. *Pſ.* 115: 3. *Apoc.* 4: 11.

19. *Pelagiani* prædeſtinationis cauſſam fecere bonum uſum virium ex creatione inſitarum, doctrinâque Auguſtini fatum ſtoicum introduci, & Deum perſonarum acceptorem conſtitui, cauſſati ſunt.

20. *Semipeligiani* in fidei præſcientia poſuerunt, rati, vitam æternam eſſe omnibus à Deo paratam, ſed perſeveraturis in fide deſtinatam. cœterum eligendorum, aut rejiciendorum numerum non definitum.

21. *Socimiani* vires liberi arbitrii defenſuri, dogma de præſtinatione ceu Deo & religioni adverſum, repudiant, ſtatuúntque, Deum ante conditum mundum, nihil de perſonis ſalvandis, aut damnandis, ſed tantúm de conditione ſalutis, aut exitii, decreviſſe. atque in tempore hominem eligere, quando credit; reprobare, quando non credit. electionem vel infirmam, vel firmiorem eſſe, & iritam reddi, quum à fide & obedientia deficimus.

22. Arminiani, noſtram de conſilio gratiæ & iræ ſententiam, iiſdem quibus Pelagiani & Sociniani conviciis proſcindunt: ac docent, Deum ſtatuiſſe, miſereri omnium in Filio Mediatore, ſervare credendes, damnare non credendes. neque intelligunt per prædeſtinationem niſi

decretum de ſalutis vel interitus conditione.

23. Electionis *cauſſam* faciunt fidem prævi-ſam; *objectum*, homines credentes. electionem i-pſam & reprobationem diſcernunt in *peremtori-am*, quæ fiat in articulo mortis, & *non peremtori-am*, quæ ſit mutabilis, homine credente, vel ite-rum à fide deficiente.

24. Quia fides habetur electione poſterior, *Joh.* 6: 37. *Tit.* 1: 1. ajunt electionem unam eſſe ad *gratiam*, & hanc fidem ſequi; alteram ad *gloriam*, & fidem eam præcedere; utramque vero in tempore fieri.

25. *Rom.* 8: 29. agi de prædeſtinatione ad crucem. c. 9. probari, non operarios, ſed cre-dentes haberi à Deo pro filiis, exemplo non per-ſonarum, ſed populorum Eſavi & Jacobi, in re-bus temporalibus vel neglectorum, vel dile-ctorum.

26. *Eph.* 1: 4. intelligi electionem ad gloriam, quæ fidem præſupponat; *Rom.* 11: 5. 1 *Theſſ.* 1: 4. 2 *Petr.* 1: 10. electionem ad gratiam, ſive vo-cationem. Electos paſſim memoratos eſſe fideles Dei cultores, qui magnos jam in pietate profe-ctus fecerint, & Evangelico obediant.

27. E Pontificiis *Bellarm.* recte credidit, præ-deſtinationis divinæ nullam eſſe ex parte noſtri cauſſam, operàque bona tantum ad executionem ejus pertinere. *Becan.* cavillatur, noſtra de hoc argumento placita omnem tollere arbitrii liberta-tem; agnoſcit tamen decretum, quo bene agenti-but præmia, male agentibus ſupplicia prædeſtina-ta ſint.

28. Sy-

Digitized by Google

28. Synodi Trident. *Seſſ.* VI. canon XVII, hic eſt: *ſi quis juſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.*

29. Lutherani contendunt, Deum velle omnes ſalvare voluntate antecedente, non conſequente, electionem factam ſub conditione fidei, reprobationem ſub conditione inpœnitentiæ vel incredulitatis finalis. electos eſſe qui in fide perſeverent, ſed eorum numerum non definitum.

30. Eſavum & Jacobum proponi non exemplum reprobationis & electionis, ſed typum rejectionis Judæorum & aſſumtionis gentilium; odiúmque Dei interpretantur de poſthabitione.

31. Conqueruntur, Reformatos Chriſtum ſubducere decreto electionis, cujus tamen ſit fundamentum & cauſſa meritoria; ac ſentire, Deum cum majore hominum parte non ſerio agere, ſed iis ſimulatè gratiam offerre.

32. E noſtris Theologis, Germanis & Gallis, aliqui tribuunt Deo univerſalem amorem erga genus humanum, aut voluntatem miſerendi omnium ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ: ſed nobiſcum fatentur, ob malitiam hominum, & credendi impotentiam, neminem ſalutis compotem futurum fuiſſe, niſi Deus amore ſingulari impulſus, nonnullis fidem dare decreviſſet, in quo à Pelagianis & Semipelagianis longiſſime diſſentiunt.

33. *Gomarus* objectum prædeſtinationis fecit

Digitized by Google

genus humanum condendum, non creatum & lapſum. *Piſcator* credidit, Deum quoſdam ad ſalutem elegiſſe paulo poſt conditum mundum, Adamo jam in peccatum lapſo.

34. Oportet nunc reſpondere partim ad opiniones diſſentientium, partim ad criminationes, quibus adverſarii noſtram doctrinam impetunt.

35. *Primo* bonus uſus virium ex creatione inſitarum nequit eſſe cauſſa prædeſtinationis, quia *a*, alia non eſt niſi libera Dei voluntas, *b*, vires in creatione acceptæ peccato perierunt, *g*, natura corrupti mente & corpore male utimur, & bonus illorum uſus eſt electionis fructus.

36. Dogma de prædeſtinatione nihil habet cum fato ſtoico commune, nam ſecundum illud Deus agit liberrime; ſecundum hoc ex neceſſitate naturæ, ut cauſſa prima ſit illigata ſecundis.

37. NequeDeum facit *perſonarum acceptorem*, ſpectantem externas actoris vel rei qualitates, ad cauſſam nihil pertinentes. nullæ enim erant in hominibus eligendis aut reprobandis. Maſſa eadem, lutum idem fuere omnes.

38. Et quis Pomponium habiti perſonarum reſpectus inſimulabit, quando pro abſoluto in bona ſua jure, Cajo præterito, Mevium inſtituit heredem, in quo nihil reperiit, quod eum præ Cajo commendaret.

39. Præſciri, aut prævideri, fides non potuit in homine corrupto, cœco, ſtulto, ad credendum tardo, *Luc.* 24: 25. 1 *Cor.* 2: 14. & prorſus inepto, niſi Deus cor ejus aperiat, *Act.* 16: 14. & Pater ipſum ad Chriſtum trahat, *Joh.* 6: 44. 65.

65, nec eligimur, quia credimus, ſed credimus, quia electi ſumus. *Act.* 13: 48. *Tit.* 1: 1. *Joh.* 10: 26.

40. Definitus eſt electorum numerus, nam eorum nomina ſunt ſcripta in cœlo, *Luc.* 10: 20. & Deus novit qui ſint ſui, 2 *Tim.* 2: 19. *Joh.* 10: 14. Nec parata eſt omnibus vita, ſed quidam ſunt præſcripti ad condemnationem, *Jud.* vſ. 4. 1 *Theſſ.* 5: 9.

41. Doctrina Reformatorum non adverſatur religioni, teſtatur enim, & præſentem & futurum ſtatum, & vitam, & omnia noſtra tota dependere à liberrimo arbitrio conſilióque æterno Dei, eſt autem religio teſtimonium noſtræ à Deo dependentiæ.

42. Neque eſt mater *deſperationis* & *ſecuritatis.* nomo enim deſperare poteſt, aut debet, niſi qui certo novit, nullum ſibi relictum gratiæ locum; qualem angorem non excitat Deus in animis, hominum, quamdiu eos ad reſipiſcentiam invitat,

43. Et nemo ſe habeat pro reprobo, cujus character eſt petulans obſtinatio in peccatis uſque ad finem vitæ. neſcit enim, an non Deus ante mortem ipſum ſit potente gratia ad meliorem vitam traducturus,

44. Securis non licet nobis eſſe, quia ſalus eſt efficienda in timore ac tremore, *Philip.* 2: 12. nec dependet ab humano arbitrio, ſed à gratia Dei, quam negligere eſt nefas. Hinc electi ad gloriam ſimul vocantur ad ſanctitatem, & alias virtutes Chriſtianas, *Eph.* 1: 4. *Coloſſ.* 3: 12.

45. In

45. In conſilio pacis non modo fuit præſtituta ſalutis conditio, fides, ſed & Filio à Patre datus certus populus, *Eſai.* 8: 18. *Joh.* 17: 6, 9. *Hebr.* 2: 13. quem redimendum ſibi vendicaret, vſ. 16. *Matth.* 1: 21. *Joh.* 10: 14-16.

46. Electio credentium non fit in tempore, *Rom.* 9: 11. ſed ante jacta mundi fundamenta, *Eph.* 1: 4. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ab origine mundi, *Matth.* 25: 34. *Apoc.* 13: 8. & 17: 8. nec eſt infirma vel mutabilis, 2 *Tim.* 2: 19. *Hebr.* 6: 17, 18. quia filorum Dei hereditas nequit corrumpi, contaminari, aut marcere, conſervata in cœlo, 1 *Petr.* 1: 14.

47. Atque ipſimet virtute Dei cuſtodiuntur per fidem ad ſalutem paratam revelari tempore noviſſimo, vſ. 5. nam quos Pater prædeſtinavit, etiam glorificavit, *Rom.* 8: 30. & quos Filius dilexit, ad finem uſque dilexit, *Joh.* 13: 1. & 14: 23.

48 Electionis cauſſa non eſt fides prævifa, homo enim ſe ipſe non diſcernit ,ſed quicquid habet, accepit, 1 *Cor.* 4: 7. à Deo miſerante, *Rom*, 9: 16. nec qui eliguntur, credentes Deo objiciuntur, ſed jacentes in ſanguine, *Ezech*: 16: 6: lutum ejusdem maſſæ, cujus ſunt vaſa dedecoris, *Rom.* 9: 21.

49. Deus elegit pauperes hujus mundi, non quia erant divites fide, *Jacob.* 2: 5. ſed ut tales fierent, *Eph.* 1: 4. utique ſine fide nemo placere Deo poteſt, *Hebr.* 11: 6. nec eligendi placuimus ob fidem, ſed ut placeremus, fidem nobis pro immenſa gratia Deus dare ſtatuit.

50. Et *præcognitio* Dei eligentis non eſt actum fidem,

Digitized by Google

fidem, vel ſanctitatem noſtram prævidens & adprobans, ſed benevolus reſpectus Dei, oculos gratiæ ad nos in miſeria jacentes dirigentis, *Rom*. 8:29.

51. Electio *non peremtoria* argueret voluntatem Dei mutabilem, ac ſuſpenſam ab actibus humani arbitrii. imo quos Deus prædefinivit, quoque vocavit, juſtos declaravit, & gloria decoravit, *Rom*. 8:30.

52. Et electio ad gratiam & ad gloriam, nonniſi unica eſt. nam unico & ſimpliciſſimo actu ſtatuit Deus ab æterno, heredibus ſuis dare & gloriam cœleſtem, & media illam impetrandi. quum autem in tempore eos è corrupto mundo ſeparat Evangelii præconio, non eſt ea electio, ſed electionis executio.

53. Paulus *Rom*. 8: 29, 30. non agit de prædeſtinatione ad crucem, ſed diſputat, ſaluti juſtorum in Chriſto Jeſu inſervire omnia, etiam adverſa, quia ſint vocati, vel adducti in communionem Dei, eóque & præcogniti ac deſtinati ad gloriam.

54. Electionem noſtram firmanus, 2 *Petr*. 1. 10. quatenus indeſinenti ſanctitatis ſtudio defectionem ab Evangelio vitantes, roboramus ſpem noſtram, qua confidimus, nos eſſe ex numero electorum Dei.

55. Petitio Moſis, *Exod*. 32: 32. non arguit, quendam é libro vitæ deleri poſſe, ſed probat fervidum ejus erga Iſraelitas amorem, quali & Paulus flagravit, *Rom*. 9: 3.

56. Deus prædeſtinando nos ad ſalutem, non tollit libertatem voluntatis noſtræ. nec enim ſalutari

tari hoc decreto cogimur ad pietatem, ſed emendamur & flectimur, ut lubentes Deo ſerviamus.

57. Tridentinum anathema ipſum ferit Paulum, qui gloriam, juſtitiam & vocationem ſolis prædeſtinatis tribuit, *Rom.* 8: 30. Cæterum ſuſpenſio Jeſu Chriſti de cruce arceſſitur ex prædefinito Dei conſilio, *Act.* 2: 23. & 4: 28.

58. Voluntas antecedens ſalvandi omnes homines Deo non decet, quia dubia eſt, & ſuſpenſa ab incerto hominis actu: neque prodeſt peccatoribus, nam fidem per eam non accipiunt, ſub cujus conditione Deus dicitur eos ſervare velle.

59. Servantur qui in fide perſevarant, *Matth.* 24: 13. atque perſeverant electi, quia Deus virtute ſua ipſos cuſtodit per fidem, 1 *Petr.* 1: 5. & Chriſtus pro iis orat, ne fides eorum deficiat, *Luc.* 22: 32. ſúntque definiti, nam Deus novit, qui ſint ſui, 2 *Tim.* 2: 19. & quid *προορίζειν prædefinire*, niſi nominatim deſignare eos, qui imagini Jeſu Chriſti ſimiles, & gloriæ cœleſtis heredes ſunt, unde & Pater eos *προέγνω præcognovit*, *Rom*, 8: 29, 30.

60. Paulus *Rom.* 9: 11. memorat *propoſitum ſecundum electionem*; firmum, vel *manens*, non ex operibus, ſed *ex vocante* ortum: quod probat Eſavi & Jacobi exemplo, vſ. 12, 13. Deique erga unum odio, erga alterum amore.

61. Reformatis Chriſtus eſt fundamentum electionis, quatenus Pater benevolis nos intuens oculis, ſimul reſpexit Filium, cui nos liberandos traderet, *Eph.* 1: 4. *Joh.* 17: 2. eúmque conſtituit primogenitum multorum fratrum, *Rom.* 8: 29.

62. Eo

62. Eo enim ipſo, quo Pater voluit, nonnullos ſalvari, voluit quoque Filium eſſe ſalvatorem: dúmque inſtituit nos heredes Dei, fecit nos coheredes Chriſti, *Rom*. 8: 17.

63. Neque agit Deus *ſimulatè* cum reprobis Evangelium audientibus, id enim ipſis annunciatur, quia degunt inter electos, quos diſcernere à turba reproba præco non poteſt, ſegreganda dedemum ultimo die, *Matth*. 24: 32. 33.

64. Et Evangelium nemini quicquam promittit, niſi credenti & reſipiſcenti: Deúſque promiſſum bonum confert omnibus hanc conditionem præſtantibus. is vero ſimulat qui pollicetur ea, quæ nunquam dare cogitat.

65. Ut creator & conſervator diligit ac miſeratur Deus omnia opera ſua, *Pſ*. 145: 9. ſed in conſilio gratiæ & iræ exercendæ miſeretur cujus vult, quem autem vult, indurat, *Rom*. 9: 18. Jacobum dilexit, Eſavum odio habuit, vſ. 13. *Malach*. 1: 2, 3.

66. Profecto & irritus foret hic miſericordiæ affectus, reſpectu omnium qui ab exitio æterno non vindicantur. Eſt vero Deus potens, & certo efficit quicquid vult, *Pſ*. 115: 3. *Eſai*. 46: 10, 11.

67. Neque propoſuit ſibi Deus miſerari omnes, ſi credant. nam voluntas à conditione hominis dependens non convenit cum Dei æterna ſapientia & immutabilitate. Et cauſſæ primæ efficacia non ſubjicitur actui cauſſæ ſecundæ.

68. Quum dicitur Deus, dilexiſſe mundum, *Joh*. 3: 16. miſereri omnium, *Rom*. 11: 32. admonentur Judæi, eos non ſolos amari à Deo,

ſed

ſed aliis quoque gentibus & populis deſtinari beneficia Meſſiæ. Sic & 1 *Tim*. 2:4.

69. Hominum eſt amicus, *Tit*. 3: 4. quatenus aliquos eorum beat, dum è lapſis Angelis nullos diligit. nec vult perire ullos, ſed omnes tendere ad reſipiſcentiam, 2 *Petr*. 3: 9. quos ab exitio liberare ſtatuit.

70. Qui animum de ſalute anxium conſolatur gratia univerſali, ſimilis eſt medico nonniſi remedium generale ægroto danti neque ad ſtatum ejus particularem attendenti.

71. Miſeratio Dei inter cætera vel in eo comparet, quod corruptis hominibus vult dare Spiritum S. cujus virtute fiduciam in Chriſto Liberatore collocent. igitur illorum, quibus Spiritum fidei haud concedit, non miſeretur.

72. Voces in hoc argumento adhibitæ per ſe innocuæ ſunt. *Deſtina* (à deſtineo) eſt vinculum quo continetur ædificium, unde deſtinare proprie eſt colligare, qui ſecum quid ſtatuunt, ad id ſe quaſi alligant.

73. Ideo Latini dixerunt deſtinare pro *decernere*, ſibi proponere. ut *prædeſtinare* ſit facere firmiſſimum ſtatutum ante rei eventum.

74. Ὁρίζειν eſt limites figere, agrum terminis definire: & per metaphoram ſignificat, accurate & ſecundum omnes circumſtantias deſignare. Igitur προορίζειν in materia præſenti eſt ante conditum mundum, & homines, & hominum actiones omnes, & actionum finem, tam circumſcripte deſignare, ut in iis dignoſcendis error admitti nequeat.

75. Sa

75. Sapienter monuit *Florus* Magiſter, de vocabulo prædeſtinationis *non eſſe contentioſe & ſupervacue diſceptandum, vel rixandum, ſed pia concordia rem ipſam tenendam*, Uſſer. in hiſt. *Goteſcb.* Et veterum multi, *pereuntes* maluerunt *præſcitos* quam prædeſtinatos dicere.

76. Qui objectum *prædeſtinationis* faciunt genus humanum condendum, ea voce non deſignant præciſe conſilium gratiæ & iræ demonſtrandæ, ſed propoſitum generale declarandi gloriam perfectionum divinarum per creationem mundi ac humani generis. Occulta ſapientia dicitur prædefinita à Deo, 1 *Cor.* 2: 7.

77. Si voluntas miſerandi omnes ſub conditione fidei jacere creditur, ſolvatur & hæc quæſtio: num Deus ab æterno præſciverit, aut ignorarit, conditionem ab homine iri impletum, aut neglectum.

78. Abſit, ut Deo omnia ſcienti tribuatur ignorantia. ſin autem præſcivit, oportet, Deum decreviſſe conditionis impletionem, vel neglectum; nam ſcientia futurorum eventuum divino decreto nititur.

79. Concludam cum Veteribus. *Auguſt.* ad Laur. c. 100. *Miro & ineffabili modo non fit præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, niſi ſineret, nec utique nolens ſinit, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.* Remig. apud Uſſer. l. c. *Præſcivit Deus malos futuros: ſed ipſa ſua præſcientia non eos compulit fieri malos. Prædeſtinavit juſto judi-*

cio ſuo eos qui in malis perſeveraverint, puniendos, nec tamen eadem prædeſtinatione ſua, ut mali eſſent, vel in malis perſeverarent, coegit.

CAPUT II.

De Liberatore.

1. IS in quo Deus Pater conſilium gratiæ habuit, & exequitur, *Eph.* 1: 3, 4. vocatur איש יהוה *vir Jehova, Gen.* 4: 1. גאל *vindex*, aſſertor, *Gen.* 48: 16. *Job.* 19: 25. Angelos interpres, *Job.* 33: 23. cuſtos hominum, c. 7. 20. unctus, 1 *Sam.* 2: 10. Angelus faciei, *Eſai.* 63: 9. *σωτὴρ Servator*, qui ex periculo interitus vindicat, *Eph.* 5: 23. 2 *Petr.* 1: 11. *μεσίτης*, *Mediator*, diſſidentium partium conciliator, 1 *Tim.* 2: 5.

2. Poſſet & pleno ſenſu appellari λυτρωτὴς *Luc.* 24: 21. *Tit.* 2: 14. 1 *Petr.* 1: 18, 19. ut tenuiore vocatur Moſes, *Act.* 7: 35. Redemtor, Liberator per ſolutionem pretii.

3. Nam peccata noſtra ſunt debita, *Matth.* 6: 12. contracta apud Legiſlatorem, quæ non expunguntur, niſi ſolvantur, aut à nobis, aut ab alio nomine noſtro.

4. Et ſtatus miſeriæ carcer eſt, in quo nos peccatum, mors, & Satanas, captivos detinent, ſecundum ſententiam à juſto judice pronunciatam, *Pſ.* 68: 19. *Eſai.* 42: 7. & 49: 24, 25. & 61: 1. unde nullus patet exitus ante ultimi quadrantis ſolutionem, *Matth.* 5: 26.

5. Atque peccatum tam procul à Deo nos ſe-

pa-

paravit, *Eſai.* 59:2. ut nos ad ejus conſpectum fugiamus, *Gen.* 3: 8. *Jerem.* 30:21. Ipſe veró à peccatoribus faciem occultet, *Deut.* 31: 17. purior oculis quam ut adſpiciat malum, *Habak.* 1: 13. aut iis appareat velut devorans ignis, *Deut.* 4:24. *Hebr.* 12: 19. & leo truculentus, *Thren.* 3: 10.

6. Quapropter Liberatore opus habemus, qui judicem iratum nobis placet; qui carcerem, cui ſumus incluſi, rumpat & aperiat; qui denique debita noſtra exolvat. Is debet eſſe א homo. ב homo ſanctus. ג ſimul Deus.

7. Homo legi eſt debitor, & peccavit: Igitur & homo legi facere ſatis, & luere debet. Ad ſtatuendum in ſeditioſa cohorte exemplum, aliqui ex ipſa hac rebelli cohorte, non ex alia, puniri ſolent. Inde Jeſus *frater* noſter, *Matth.* 28: 10. *Hebr.* 2: 11, 12. 17. *Pſ.* 22: 23.

8. Neque Liberator poſſet eſſe caput populi liberandi, niſi homo foret: caput enim ejusdem eſt naturæ cum cæteris membris. Neque fuiſſet גאל, *aſſertor* qui jure communis ſanguinis liberandos ſibi vendicat. eſt enim גאל propinquitatis jure ſibi quid aſſerere, *Levit.* 25: 25, 26. *Num.* 5: 8 *Ruth.* 3: 12.

9. Sanctus eſſe homo debebat, ſecus & ipſe redimi opus habuiſſet, & in reatu hæſiſſet, *Hebr.* 7: 26. Qui tantum ipſe debet, quantum poſſidet, pro altero nequit ſolvere. neque miniſter regius, cui Rex indignatur, alium in Regis gratiam reducere poteſt. Et victimæ V. T. debuerunt macula carere.

10. Sed præter humanam naturam divina quoque requirebatur in Liberatore, quis enim ligaret hoſtem fortem, niſi fortior? *Eſai.* 49: 24, 25. *Matth.* 12: 29. quis mortuis valet reddere vitam, niſi auctor vitæ? quis Dei bona legare, niſi Deus? quis reſtaurare vaſtatum peccato opus, niſi Conditor?

11. Neque pœna unius, niſi ſit conditionis vehementer excellentioris, compenſat multorum ſupplicia. non gregarius miles, aut inferioris ordinis præfectus, ſed Rex ſolus æquat 10000. è vulgo, 2 *Sam.* 18: 3. & exercitus integer nonniſi pro Duce dimittitur. Nec frater fratri redimendo ſufficit, homo merus.

12. Liberator à populo liberato eſt adorandus, fiducia in eo ponenda: liberati fiunt peculium Liberatoris, at merus homo non debet adorari, *Deut.* 6: 13. *Matth.* 4: 10. in eo fiducia non eſt collocanda, *Jerem.* 17: 5. 7. *Pſ.* 146: 3. 5. dominium ei in res à Deo creatas non competit.

13. Laudatus ſit in omnia ſecula Deus pater, habens Filium obeundo Mediatoris officio idoneum: & celebretur cum Patre Filius, qui id ſuſcipere in ſe voluit. quia Filius eſt, potuit cauſſam noſtram apud Patrem agere, Patris voluntatem docere, *Joh.* 1: 18. & explere, *Joh.* 5: 30. à Patre in ſervitutem mitti, & hæres omnium conſtitui, *Hebr.* 1: 2. *Coloſſ.* 1: 15.

14. Potuit eſſe particeps conſilii Paterni, tanquam æterna ſapientia: & mittere Spiritum S. quia eſt Filii Spiritus; tolerare iram Dei, & vincere noſtros hoſtes, quia Deus; & denuo nos

Digitized by Google

beare, quia prius felices nos creaverat.

15. Summo itaque jure gratias ei habemus, qui, quod facere potuit, etiam voluit. nam ſponte factus eſt noſter Liberator, & divina voluntate pro nobis ſeſe obtulit victimam puram, *Hebr.* 9: 14. & 10: 10.

16. At Sociniani injuria ſumma Chriſtum ideo tantum putant *Liberatorem* dici, quod viam ſalutis oſtenderit, & confirmarit: olimque vitam & gloriam nobis ſit collaturus, accepta ejus à Patre poteſtate: *Mediatorem*, quod divinæ voluntatis apud nos fuerit internuncius, ac novi federis conditor.

17. Inde Servatorem faciunt omnium, etiam pereuntium, & redemtionem fingunt metaphoricam, liberationem captivorum factam ſine pretii ſolutione.

18. Atqui D. Jeſus eſt princeps & cauſſa ſalutis, *Hebr.* 2: 10. & 5: 9. cauſſa vero producit effectum, ſolo tamen præconio & exemplo Chriſti ſalus non efficitur: nam quanquam ea adſint, ſalvari poſſet nemo, fatentibus adverſariis.

19. Et Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Doctoresque Evangelii omnes, forent ſervatores, quia ſalutis viam oſtenderunt, & confirmarunt: vanumque eſt excipere, Prophetas modo prædixiſſe Chriſtum venturum, & Apoſtolos non ſuo, ſed Chriſti nomine Evangelium annunciaſſe.

20. Nam Chriſtus venturus erat veteribus monſtrata ſalutis via ac cauſſa: & quæ locutus eſt, non ſuo, ſed Patris nomine indicavit, *Joh.* 12: 44, 45, 50. & 14: 10. Apoſtoli autem credentes dicuntur

 ſer-

ſervare. *Rom.* 11: 14. 1 *Cor.* 9: 22. 1 *Tim.* 4: 16. *Jacob.* 5: 20. quia verbum ſalutis ad eos attulerunt, *Act.* 13: 26. *Rom.* 1: 16.

21. Chriſtus modo & jure peculiari dicitur Salvator, *Matth.* 1: 21. *Tit.* 1: 4. & Mediator, quia Patrem nobis iratum, *Eph.* 2: 3. *Joh.* 3: 36. reddit propitium, *Rom.* 5: 9, 10. & c. 3: 25. præfiguratus à Moſe, *Galat.* 3: 19. qui non modo fuit divinæ voluntatis interpres apud Iſraelitas, ſed quoque inter Deum & ipſos medius ſtetit, *Deut.* 5: 5. Deum populo morte ſua placaturus, *Exod.* 32: 32. *Deut.* 9: 18. ſeqq.

22. Redemtio per Jeſum facta eſt veri nominis, nam pater pro noſtris debitis *Matth.* 18: 23. accepit λύτρον, vitam Liberatoris, *Matth.* 20: 28. 1. *Tim.* 2: 6. & Filius non modo firmitatem promiſſionum federis ſpopondit nobis, ſed & Deo ſolutionem noſtrorum debitorum, *Pſ.* 69: 6.

23. Appellatur Servator mundi, *Joh.* 4: 42. 1 *Joh.* 4: 14. quia ipſius gratia non pertinet ad ſolos Judæos, ſed quoque ad ceteras gentes, 1 *Joh.* 2: 2. *Joh.* 11: 52. Deus autem nominatur Servator omnium hominum, maxime fidelium, 1 *Tim.* 4: 10. ob conſervationem vitæ corporeæ.

24. Arminianis Chriſtus eſt *Mediator*, quia ſanguine ſuo meruit, ut Pater non obſtante juſtitia vindicatrice cum genere humano in gratiam redire poſſet: & *Sponſor*, quatenus Patri confirmat promiſſionem, nos per verbum & Spiritum ejus credituros: quum tamen ei ſpoponderit, ſe vitam daturum ἀντίλυτρον.

25. Potuitque oblatam à Deo Liberatoris & Spon-

ſponſoris provinciam recuſare, promiſſumque præmium negligere; & poſtquam in ſe ſuſcepit, ei renunciare: quo tamen pœnam non incurriſſet, quia Pater nullam dictaverat, nec *proprie peccaſſet*; hoc enim eſt pœnam mereri: etſi Patri non obediviſſet. Atqui una eſt Patris & Filii voluntas; peccatumque eſt actio adverſa voluntati Dei, pœnam accerſens.

26. Pontificii præter Chriſtum fecere Mediatores ſecundarios, ſanctos Angelos, beatos homines, Mariam virginem præſertim: unde & putant, Dominum eſſe Mediatorem tantum ſecundum humanam naturam, 1 *Tim.* 2: 5. ſed medius officio, natura quoque ſit medius oportet.

27. Cæterum Angeli & homines non ſunt autores conſilii pacis, nec Deo pretium noſtræ redemtionis ſpoponderunt, aut ſolverunt: atque ſufficit nobis unus Redemtor, ad quem ceu fratrem recta ire licet: & caput cum membris ſine medio jungitur.

28. Erroris occaſio ſunt preces Martyribus factæ, ut noſtri apud Deum, etiam poſt obitum, recordarentur: Patrum Rhetorici flores, laudantium patronos apud Deum, Mariam Evæ advocatam, reſtaurationem feminarum &c.

CAPUT III.

De Vocatione peccatoris ad Deum.

1. SAlus in liberatore nobis deſtinata vocatur ברכה, *ευλογια*, benedictio, *Gen.* 12: 2. *Eph.*

Eph. 1: 3. *Hebr.* 12: 17. σωτηρία, σωτήριον, ſalus, *Act.* 4: 12. & 13: 47. *Hebr.* 1: 14. *Eph.* 6: 17. quæ eſt liberatio à malo, *Luc.* 1: 71. etſi ipſe ſalutis Auctor interdum hoc nomine veniat, *Luc.* 2: 30. & felicitas N. T. *Rom.* 10: 10. 2 *Cor.* 6: 2. *Apoc.* 12: 10.

2. Appellatur & μακαρισμὸς, beatitudo, *Rom.* 4: 6: 9. *Matth.* 5: 3. λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, redemtio, *Eph.* 1: 7. *Coloſſ.* 1: 14. qua voce non ſolum deſignatur actus nos redimendi, *Hebr.* 9: 12. *Luc.* 1: 68. *Rom.* 3: 24. ſed & bonum ex illo actu ad redemtos redundans, velut bonum futuræ vitæ, *Rom.* 8: 23. *Eph.* 4: 30. item liberatio à malo præſente, *Luc.* 21: 28. *Hebr.* 11: 35.

3. Dicitur & χάρισμα, donum, *Rom.* 5: 15, 16. χάρις gratia, 1 *Cor.* 1: 3, 4. 1 *Petr.* 4: 10. & 5: 5. nam id nomen non modo ſignificat benevolentiam Dei erga homines indignos, *Rom.* 4: 4. & 5: 21. *Eph.* 2: 8. 2 *Theſſ.* 1: 12. ſed & bonum hiſce indignis datum, *Rom.* 12: 6. 2 *Petr.* 3: 18. *Jacob.* 4: 6. quandoque certam bonorum divinorum portionem, certis temporibus diſtributam, *Joh.* 1: 14. 16. *Rom.* 6: 14.

4. Inſignitur & nomine κληρονομίας, hereditatis, *Act.* 20: 32. *Eph.* 1: 14. 1 *Petr.* 1: 4. μισθοῦ, mercedis, *Matth.* 5: 12. 1 *Cor.* 3: 8. *Apoc.* 11: 18. atque complectitur beneficia cum hujus, tum futuræ vitæ, 1 *Tim.* 4: 8. illaque ſunt א. communio cum Deo & Mediatore per fidem. ב. adoptio. ג. juſtitia. ד. ſanctitas. ה. horum beneficiorum partim conſtantia, partim conſcientia: & omnibus Dei hæredibus, diverſa tamen menſura, diſtribuuntur.

5. Ut

Digitized by Google

5. Ut primo peccati Adamici momento genus humanum fuit à Deo ſeparatum: ita Liberatori deſtinato populus datus cum Deo iterum eſt conjunctus ab æterno; ubi conſideretur א. actus Dei quo nos ſecum jungit ב. actus à Deo in nobis productus, per quem cum eo jungimur. ג. ipſa noſtri cum Deo communio.

6. Homo ſejunctus à Deo habet opus, ad Eum vocari, converti, duci, imo trahi: eſtque *vocatio* præceptum Dei jubentis, ut ad ſe, velut ad Salvatorem, redeamus, *Pſ.* 27: 8. *Eſai.* 45: 22. & 55: 6, 7. *Matth.* 11: 28. *Hebr.* 4: 16. fitque cum per hominem, verbum Dei annunciantem, tum per Spiritum S. *Matth.* 28: 19. *Eph.* 4: 11. *Eſai.* 2: 3. 1 *Cor.* 3: 9. nam una eſt vocatio quæ per eos fit: præco enim eſt Spiritus S. miniſter.

7. Redire jubemur ad Deum velut ad Salvatorem, nam ab irato Judice aufugimus, *Gen.* 3: 10. *Jerem.* 30: 21. Deique ipſius eſt verbum, hunc peccatoris reditum ad ſe eſſe juſtum, neceſſarium, & ſalutarem docentis, *Rom.* 10: 17. 1 *Cor.* 1: 21. humanum enim verbum eſt inefficax, 1 *Cor.* 4: 19, 20. divinum efficaciſſimum, *Rom.* 1: 16. 1 *Cor.* 2: 4, 5. *Hebr.* 4: 12.

8. Homo divinum mandatum proponit, confirmatque rationibus; ultra ejus nec labor, nec dona penetrant, 1 *Cor.* 3: 6, 7. 2 *Cor.* 3: 5, 6. Sed Spiritus S. nos arguit, & convincit, *Gen.* 6: 3. *Joh.* 16: 8. 1 *Cor.* 2: 4. 1 *Joh.* 5: 7. per Dei verbum, *Jerem.* 23: 29. 2 *Cor.* 10: 5. 2 *Tim.* 3: 16. *Hebr.* 4. 12. nec tamen ſufficit actio qua Sp. S. nos convincit, nam aliud eſt, veritatem noſſe, aliud amare, *Joh.* 14: 21-24.

9. Quidam enim veritatem cognitam contemnunt, odioque habent, Spiritui S. reſiſtentes, *Act.* 7: 51. *Eph.* 4: 30. *Eſai.* 63: 10. 1 *Theſſ.* 5: 19. addito interdum convicio, *Matth.* 12: 31, 32. quare neceſſarium eſt, ut in nobis accendatur amor cognitæ veritatis per Spiritum ſapientiæ & fidei, *Eph.* 1: 17. 2 *Cor.* 4: 13. juſſu omnipotenti, *Eph.* 1: 19. *Eſai.* 53: 1. *Rom.* 15: 13. quali mundus fuit productus, *Rom.* 4: 17. ſecus incaſſum laboraſſet Dei Filius, *Eſai.* 49: 4. peculio non potitus.

10. Ut vocem Dei per hominem & Sp. S. ad nos loquentis audiamus, auribus & quidem apertis opus eſt: *corporis* ad audiendum Evangelium; *cordis* ad illud amandum, *Pſ.* 95: 7, 8. ut ſimus factores verbi, *Jacob.* 1: 22. determinantes voluntatem ad obediendum Deo, *Prov.* 4: 20. *Jerem.* 7: 26. & 11: 8. *Act.* 2: 14. ſicut aures avertere, obturare, eſt nolle obſequi divinis juſſibus, 2 *Tim.* 4: 4. *Prov.* 28: 9. *Pſ.* 58: 5. *Eſai.* 6: 10. *Act.* 7: 57. ſed velle intellectui proponere res vanas, & malas.

11. Naturali pravitate aures noſtræ ſunt ſegnes & præputio obductæ, *Hebr.* 5: 11. *Jerem.* 6: 10. *Act.* 7: 51. quare Deus cor aperiat neceſſe eſt, intellectum illuminans, & voluntatem flectens, *Act.* 16: 14. quod beneficium ex ſola Dei miſericordia pro arbitrio diſtribuitur, *Rom.* 9: 11. *Matth.* 11: 25, 26. neque obtingit niſi heredibus ſalutis, *Rom.* 8: 28. 30. & 9: 23, 24. propter meritum Chriſti, 1 *Petr.* 5: 10. *Matth.* 22: 2, 3. *Joh.* 12: 32. *Eſai.* 49: 6.

12.

Digitized by Google

12. Loquor de integro beneficio, quo nobis datur, non modo audire & percipere, ſed quoque credere & amare Evangelium: & qui ſic vocantur, certo gloriam cœleſtem conſequuntur, *Rom.* 8: 30. & 11: 29. & *Matth.* 20: 16. & 22. 14. intelliguntur auditores verbi, non factores: uti paſtores electos à reprobis diſcernere nequeunt, *Matth.* 13: 3-8. Spiritu S. mundum arguente ob gloriam Filii, *Joh.* 16: 8. 10.

13. Quotquot autem omnipotenti imperio Dei vocantur, etiam convertuntur, ducuntur, trahuntur. nam quia receſſimus è Deo, requiritur, ut ipſe nos *convertat* ad vias ſuas, *Jerem.* 31: 18. quæ converſio nominatur & *ductio* ad ſemitam rectam, *Pſ.* 143: 11. item *tractio*, *Cant.* 1: 3. *Joh.* 6: 44. 65. & 12: 32. differtque à viæ monſtratione, *Pſ.* 27: 11. quæ eſt Chriſtus Liberator, *Joh.* 14: 6. *Hebr.* 10: 19, 20. multi enim viæ monſtratæ non inſiſtunt.

14. Homo ita vocatus etiam *regeneratur*, *Joh.* 3: 6. *Tit.* 3: 5. 1 *Petr.* 1: 3. & *renovatur*, *Eph.* 4: 22-24. *Coloſſ.* 3: 9, 10. *Eph.* 2: 10. eſtque hoc Dei opus creatio nova, *Pſ.* 51: 12. datio novi cordis novìque ſpiritus, *Ezech.* 36: 26. vivificatio, *Coloſſ.* 2: 13. circumciſio cordis, *Deut.* 30: 6. inſcriptio legis in mentem, *Jerem.* 31: 33. præfigurata inſcriptione Decalogi in tabulas lapideas.

15. Tamen negat *Socini* ſecta, Deum ad ſe nos vocantem, in intellectum & voluntatem hominis vocatì omnipotenti actione agere; tantum enim afferre Evangelium, cui obtemperare valeamus adjuti & promiſſis miniſque, & promiſ-

Digitized by Google

miſſorum obſignatione in corde obedientium: Scripturam intelligi poſſe ſine illuminatione Spiritus S. cujus donum ſit vel ad tempus, virtus patrandi miracula; vel perpetuo manens, aut Evangelium ipſum, aut certa ſpes vitæ æternæ.

16. Secundum *Remonſtrantes* ſtatuit Deus omnes ad ſalutem vocare, illos lumine naturæ; hos voce Evangelii: vocati omnes obedire queunt, communi tamen gratia ad ſalutem non perducuntur, licet naturæ lumine bene utentes ob Chriſtum ignotum beentur, aut præter ordinem cognitionis ejus donentur: Omnibus Evangelii auditoribus datur gratia ſufficiens, quæ fit efficax voluntatis humanæ conſenſu: interna vocatio cum externa ſemper conjungitur, nec ab ea niſi gradu differt: nec Deus in voluntatem credentis agit vi inſuperabili, ſed *morali* ſaltem nos vocat actione, ſuadens, promittens, comminans.

17. *Bellarm.* gratiam diſtinguit in *ſufficientem*, electis ac reprobis communem, & *efficacem*, electis propriam: atque hæc voluntatem non determinat ad credendum, ſed eſt modo ſuaſio interna, efficaciter vocandi ingenio congrua: nam Deus hortatur & conſulit gratia præveniente & operante; homo libere conſentiens cooperatur, ſeque diſponit ad juſtitiam. *Concil. Trid.*

18. *Lutheri* diſcipuli docent, Deum omnes vocare ad ſalutem, utpote quam Liberator omnibus meruerit, & mundo univerſo ſe patefeciſſe primorum parentum, Noæ & Apoſtolorum ætate: hinc tot tanta inter gentes ſacrificia: naturæque lumen ducere ad pleniorem Dei notitiam in

Eccle-

Eccleſia conſequendam multos populos deſtitui Evangelio propria culpa; omnibus interim vocatis concedi gratiam ſufficientem, quæ fiat efficax ubi obicem Deo non ponimus; nec enim converti nos omnipotenti virtute, cui reſiſtere nequeamus.

19. Secundum *Reformatos* quoſdam in Adamo & Noa omnes eorum poſteri vocati, gentesque omnes in ſchola naturæ ad pietatem erudiuntur.

20. Jam olim *Pelagius* gratiam homini neceſſariam circumſcripſit natura & libero arbitrio, homini à Deo gratis dato: item doctrina qua mentes noſtræ illuminantur, precibus à Deo expetenda. *Semipelagiani* fatebantur corruptionem naturalem, ſed negabant 1. gratiæ prævenientis neceſſitatem, (quæ propria eſt Semipelagianiſmi nota) eo quòd homo naturæ bono bene uſus, ad gratiam ſalvantem initialis gratiæ ope pervenire meruerit. 2. prædeſtinationem æternam, quia liberum arbitrium tollat.

21. Poſt Eraſmum Remonſtrantes quoque vires liberi arbitrii ad bonum defenderunt. At major eſt noſtra corruptio, quàm ut valeamus Evangelio obtemperare: propterea tamen mandata Dei non ſunt irrita, quia ſunt officii norma: atque bonitas Dei mundum conſervantis eo fine gentes retrahit à criminibus, & ornat virtutibus. nec pietas Cornelii erat naturæ fructus, *Act.* 10, 2. 44.

22. Haud omnes vocantur ad communionem gratiæ in Chriſto, utpote cujus nomen plu-

res ignorant nationes. Nec quia Adamus & Noa audivere ex Deo promiſſionem Liberatoris, ideo & omnes eorum poſteri illam ſciverunt, neque naturæ lumen oſtendit Deum placatum, aut placamentum: ſufficit tamen ad excuſationem omnem homini præſcindendam, *Rom.* 1: 18-21. Et Chriſtus illuminat omnem hominem, quia lux Evangelii non ſolum Judaico, ſed & aliis populis affulgere debuit, *Joh.* 1: 9.

23. Beneficia bonis & malis obtingentia teſtantur de bonitate Dei Conſervatoris, non de gratia Liberatoris. Et naturæ lumine nemo bene uti poteſt ſine ſingulari ope Spiritus S. neque Scripturam intelligere.

24. Gratiæ ſufficienti non favet *Eſai.* 5: 4. quia א. Deus heic diſputat, hominem naturæ viribus, licet communi & externa gratia adjutum, non poſſe opera Deo placentia præſtare. ב. agit Deus cum Iſraelitis, qui Ipſi promiſerant obedientiam ſuis viribus præſtandam, *Exod.* 19: 8. *Deut.* 5: 28, 29. quare ג. ſenſus horum verborum eſt: Exhibui vobis omnia bona, quæ cum majoribus veſtris ſufficere putatis ad proferendum fructus reſipiſcentiæ & fidei: igitur tales fructus ferre debuiſſetis; at ſecus evenit, unde ד. conficitur, præter communia converſionis media, requiri etiam omnipotentem Dei virtutem.

25. Iidem Iſraelitæ occulos ad videndum, aures ad audiendum habuerunt, nec tamen viderunt vel audiverunt, *Jer.* 5: 21. *Ezech.* 12: 2. at non erat iis data gratia quæ ſuffeciſſet ad fidem & reſipiſcentiam in eorum animo gignendam, *Deut.* 29: 4. 26.

2. Quod autem jubentur ſibi facere cor novum & ſpiritum novum, *Ezech.* 18:31. haud probat eos accepiſſe ſufficientem ad converſionem gratiam; nam א. mandatum eſt norma officii, non menſura virium. ב. Deus creat cor novum & ſpiritum novum, *Pſ.* 51: 12. *Ezech.* 11: 19, 20. ut noſtra voluntas, antea rebellis, in Dei opus conſentiat. interim effectus divenæ gratiæ non pendit ab arbitrii aſſenſu, ſed omnipotenti virtute Dei: nec enim convertimur, quia converti volumus, verum converti volumus, quia Deus efficaciſſime vult, ut convertamur, *Jerem.* 31: 18. *Philip.* 2: 13.

27. Eſt quidem Evangelium potentia ad ſalutem unicuique credenti, *Rom.* 1:16. ſed quatenus Deus per id virtute omnipotenti agit, 1 *Cor.* 3. 7.

28. Poſt lapſum habemus intellectum, at cæcum; voluntatem, at averſam à Deo, 1 *Cor.* 2: 14. quare verbum ſalutis ſine ſpiritu ſapientiæ & fidei intelligere & credere non poſſumus, *Eph.* 3: 16.

29. Quum convertimur, non ſumus trunco & ſtipiti ſimiles, quia tum opus Dei in nobis ſcimus & approbamus: niſi tamen Spiritus S. nos potenter immutet ac renovet, non modo lignei, ſed & lapidei ſumus, ac manemus, licet verbum ſalutis audiamus.

30. Quia virtus Dei, qua nos convertit, eſt omnipotens, nemo ei reſiſtere poteſt: atque Judæi tantum reſtitere adhortationibus, promiſſionibus Dei, *Eſai.* 63: 10. *Act.* 7: 51. & incolæ Cho-

Chorazi & Berſaidæ ſpreverunt conciones & miracula Chriſti, nec eluſerunt omnipotentem Dei virtutem, *Matth.* 11:21.

31. Reprobi electis intermixti non vocantur ex conſilio Dei, ut ſalutis fiant participes, ſed ut excuſatio iis præſcindatur, *Joh.* 9:39.41. & 15:22.24. nam populo in quo nulli ſunt electi, verbum ſalutis Deus prædicari non ſinit, *Act.* 16:7.

32. Vocantur & qui renuunt venire, *Eſaiæ* 65:2. *Prov.* 1:24, 25. quia degunt inter reliquias ſervandas; ſciuntque paſtores, id ſe munus gerere ob ſolas oves, tamen omnium auditorum ſalutem curare debent, quia nequeunt oves ab hircis diſcernere, *Joh.* 5:34. *Matth.* 22:9.

33. Nequit homo ſe diſponere & præparare ad converſionem, nam quando Deus gratia ſua in eo operatur, invenit intellectum cæcum, & voluntatem pravis cupiditatibus diſtractam; daturque Spiritus S. orantibus Patrem, *Luc.* 11:13. at ſine Spiritu precum precari non poſſumus, *Zach.* 12:10.

CAPUT IV.

De fide qua cum Deo jungimur.

1. Actum Dei nos ſecum rejungentis ſequitur actus à Deo in nobis productus, quo cum ipſo jungimur, *fides*, πίστις à perſuadendo, אמונה à confirmando, firmiter nitendo. interdum notat doctrinam quæ creditur, *Eph.* 4:5.

4, 5. *Galat.* 1: 2, 3. quandoque argumentum ob quod credimus, *Act.* 17: 31. item conſtantem fidelitatem in dictis & factis, 1 *Tim.* 2: 7. & 5: 12. *Tit.* 2: 10. hic generaliſſime ſumitur pro actu mentis quo verbum à Deo revelatum credimus: alibi ſpecialius pro fide impletis Dei promiſſionibus habita, & tum opponitur ſpei, *Galat.* 3: 23. 25. *Eph.* 1: 12.

2. Objectum fidei eſt veritas revelata, haud tamen excluſis rebus ſenſu vel ratione perceptis, *Luc.* 24: 39. *Joh.* 20: 29. *Hebr.* 11: 3. in ſcholis memoratur fides *hiſtorica*, aſſenſus quo hiſtoriam doctrinamve Jeſu Chriſti veram eſſe judicamus, *Joh.* 2: 23, 24. & 12: 42, 43. *miraculorum*, qua Dei promiſſionem de patrando miraculo credimus, eſtque cum in eo qui miraculum patrat, tum in eo ad cujus bonum patratur miraculum: ille credit, ſe Dei virtute miraculum editurum, *Matth.* 17: 20. *Marc.* 16: 17. 1 *Cor.* 13: 2. hic ſibi perſuadet, miraculum in ſe editum iri, *Marc.* 9: 24. *Act.* 14: 9. *Marc.* 6: 5, 6. *Matth.* 17: 17.

3. *Temporaria* fides eſt, qua homo non tantum credit, Evangelium eſſe verum & bonum, ſed & judicat, Chriſtum Jeſum eſſe ſectandum, proptereaque ſe adjungit cætui nomen ipſius profitenti, *Matth.* 13: 20, 21. *Act.* 8: 13. *Hebr.* 6: 4, 5.

4. *Salutari* fide præditus homo ℵ. perſuaſiſſimum habet, ſe miſerum eſſe, & Liberatore indigere. ב. novit & credit, quod Evangelium docet, Deum miſiſſe Filium in mundum, ad ſalu-

Digitized by Google

tem dandum omnibus ad ipſum confugientibus etiam ſibi, ſi ad eum ſe recipiat. ג. Jeſum Nazarenum Dei Filium in Evangelio propoſitum ceu unicum & ſufficientiſſimum Salvatorem attentiſſime conſiderat, ac ſibi convenientiſſimum deprehendit, eoque ſecum voluntate jungit, i. e. ſuper omnia diligere incipit.

5. ד. Peccatorum mox ſuorum remiſſionem ac ſalutem ardentiſſime deſiderat propter obedientiam & mortem Jeſu Chriſti. ה. ſperat, ſe peccatorum remiſſionem & vitam æternam à Chriſto conſecuturum, hacque ſpe lætatur, & tranquillo eſt animo. *Duo primi* actus præcedunt actus fidei eſſentiales, qui ſunt *tertius* & *quartus*. Quintus eſt fidei fructus, ſolatium, & pro arbitrio Dei adeſt vel abeſt, prout Is ad ſalutem credentis facere judicat.

6. Primo ad ſalutarem fidem requiritur clara ac diſtincta *notitia* doctrinæ de ſalute in Filio Dei pro nobis mortuo conſequenda, *Eſai.* 53: 11. *Joh.* 6: 69. *Joh.* 17: 3. *Coloſſ.* 1: 9. *Tit.* 1: 1. ut Romani Doctores populum in tenebris ſervitutis detenturi, male laudent *fidem implicitam*, qua quis animum inducit credere quod credit Eccleſia: ea enim non eſt niſi voluntaria animi deditio in obſequium humanum, contraria prudentiæ & libertati Chriſtianæ, *Eph.* 1: 8. 1 *Cor.* 2: 15.

7. Myſteria quæ credimus, à Deo revelata eſſe ſcimus, licet perfecte illa intelligere nequeamus, 1 *Cor.* 13: 9. Danda autem eſt opera, ut creſcamus in cognitione Dei, donec veniamus

ad

ad ſtaturam Chriſti adulti, *Coloſſ.* 1: 10. & 3: 16. *Eph.* 4: 13. 1 *Petr.* 2: 2. præcipue noſſe oportet Jeſum Chriſtum eumque in crucem actum, *Joh.* 17: 3. 1 *Cor.* 2: 2. huic enim fundamento omnes incumbunt veritates, 1 *Cor.* 2: 6. & 3: 10-12.

8. Pro modulo autem ingenii & ætatis, unus plures, alter pauciores veritates intelligit, atque à perfectis 1 *Cor.* 2: 6. Deus ampliorem poſcit notitiam, quam ab infantibus, *Hebr.* 5: 12-14. *Joh.* 16: 12.

9. Secundus fidei actus eſt *aſſenſus* datus ſalutari veritati: neque enim ſufficit iſtam noſſe, ſed & decet recipere, adprobare ac credere, *Joh.* 3: 33. 1 *Tim.* 1: 15. 1 *Theſſ.* 2: 13. *Hebr.* 3: 1. & 11: 1. eo tamen aſſenſu tota fidei ſalutaris natura non concluditur, ut Pontificii rentur; diaboli enim & plurimi homines doctrinæ de Deo & Liberatore aſſentiuntur, nec propterea ſalvantur, *Jacob.* 2: 19. *Marc.* 1: 24. *Joh.* 12: 42, 43.

10. Quare tertio fidem ſalutarem definimus *amore* Jeſu Chriſti, *Matth.* 10: 37. *Joh.* 21: 15, 16. actu *cordis* ſeſe cum bono præſente conjungentis, *Act.* 8: 37. *Rom.* 10: 10. homo enim electus Chriſtum conſiderat, ut bonum maximum, neceſſarium, præſens & Evangelio oblatum, atque ut tale arctiſſime complectitur, *Prov.* 18: 10. *Eſai.* 27: 5. *Habak.* 2: 4. *Matth.* 11: 28. *Joh.* 6: 37. neque dimittit, *Gen.* 32: 26.

11. Fidem ſine charitate, qualis in Dæmonibus maliſque Chriſtianis eſt, *Lombard* vocat informem; informatam, quæ conjungitur cum

 cha-

charitate, & ſola eſt vera. Etiam *Ameſ.* urget, fidem ſalutarem eſſe actum voluntatis, quo ad Deum & Chriſtum Liberatorem nos recipiamus, & in eo reclinemus.

12. In ſcholis fidei ſalutaris tres vulgo ſtatuuntur partes, *notitia*, *aſſenſus* & *fiducia*: ubi per fiduciam intelligere oportet quietem cordis in Deo & Chriſto Servatore; neque vero certam remiſſionis peccatorum perſuaſionem, quæ fidei perfectioris eſt effectum.

13. Male Tridentina Synodus definit, eum quoque eſſe Chriſtianum, qui fidem ſine charitate habet. Paulus autem fidem à charitate diſtinguens, 1 *Cor.* 13: 13. non innuit *primum* amorem Dei, quo ad Ipſum ceu Liberatorem in Chriſto confugimus, ſed *ſecundum*, quo inflammati Deum, ceu Deum noſtrum, & peccatori amabilem factum in Chriſto, veneramur, ejusque mandata exequimur, *Joh.* 14: 23, 24.

14. Quartus, ſed eorum, qui fidei eſſentiam componunt, ſecundus actus itidem eſt voluntatis, deſiderium remiſſionis peccatorum ob meritum Jeſu Chriſti, *Eſai.* 55: 1, 2. *Matth.* 5: 6. & 6: 33. ortum ex agnitione ſummæ miſeriæ noſtræ, *Luc.* 18: 13. & fiducia in Filio Dei unico & ſufficientiſſimo Salvatore, *Joh.* 6: 68.

15. Tendere hoc deſiderium debet ad Dei Liberatoris gloriam, veluti ad ſupremum finem, nec modo ad ſalutem propriam. *Rom.* 9: 23. *Eph.* 1: 6. ſitque vehementiſſimum, ut nihil tanto flagitemus ſtudio, quanto expetimus hanc à peccato ejuſque pœna liberationem, ad Dei Sal-

vatoris

Digitized by Google

vatoris gloriam: dum impii peccata ſibi optant remitti, *Exod.* 8: 8. & 9: 28. *Act.* 8: 24. ex amore proprio, & gratiæ Dei pravarum cupiditatum expletionem longe anteferunt.

16. Fundamentum deſiderii remiſſionis peccatorum ſit Chriſtus per Evangelium oblatus, quem oportet intueri ceu Liberatorem unicum & perfectiſſimum, benevolentiſſimum, promtum ad ſe nobis communicandum, eoque amabiliſſimum.

17. Adjunctum ſpes eſto, *Rom.* 5: 2. 5. 1 *Joh.* 3: 21, 22. & 2: 1, 2. nos certo expetitam Dei gratiam in Chriſto impetraturos, certamque eſſe promiſſionem, qua ſalus promittitur omnibus ad Jeſum ſe recipientibus, *Matth.* 5: 3. 6. *Joh.* 3: 16. contra impii ſolent de condonatione peccatorum deſperare, *Gen.* 4: 13. *Matth.* 27: 3. 5.

18. Quintus actus fidei eſt ejus fructus, ſolatium ac lætitia in Salvatore, quia certi ſumus, Deum nobis peccata condonare ob mortem Filii ſui, *Rom.* 5: 11. & 14: 17. *Eph.* 3: 12. tamen credentes hanc conſolationem ex fide ſua non ſemper ſentire, infra docebimus.

19. Sociniani fidem ſalutarem definiunt fiducia in Deo per Chriſtum, & obedientia præceptis ejus præſtita, putantque opponi operibus legis Moſaicæ, non operibus lege Chriſti poſtulatis; & Jeſum conſiderant nonniſi ut inſtrumentum liberationis, & objectum ſecundarium fiduciæ noſtræ, quæ referatur ad Deum ceu primam ſalutis cauſſam: Chriſtum enim ſalutem non meruiſſe morte, ſed oſtendere præconio & conferre juſſu Patris credentes in cœlum recipientis.

Digitized by Google

20. Atqui D. Jeſus eſt ἀρχηγὸς, *Dux princeps* ſalutis, *Hebr.* 2: 10. & fidei, *Hebr.* 12: 1. ut Patri confidens quoque Filio credat, *Joh.* 14: 1. ſed *Joh.* 12: 44. ſe conſiderat ut Patris legatum, *Joh.* 17: 8. & Apoſtolum noſtræ adſtipulationis, *Hebr.* 3: 1.

21. Fides eſt opus, *Joh.* 6: 29. qui enim credit, operatur aliquid, novit Evangelium, amat Deum ac Jeſum, & recumbit in eo: etiam in fide eſt obedientia, *Rom.* 1: 5. nam credentes præſtant legem fidei, *Marc.* 1: 15. *Rom.* 3: 27. propterea tamen obedientia non eſt fidei forma ſingularis ac propria; ſunt enim diverſi, licet conjuncti, actus: confidere Chriſto ut perfectiſſimo Salvatori, & præceptis Ejus morem gerere.

22. Opera bona non ſunt ipſa fides, ſed ex ea gignuntur, ut filia è matre, *Joh.* 14: 15. *Jacob.* 2: 18. & quod dicitur fidei à Paulo opponi opera lege Moſis præcepta, nititur falſa hypotheſi de nova & perfectiore lege Chriſti.

23. Autor fidei eſt Spiritus fidei, 2 *Cor.* 4: 13. gratiæ & precum, *Zach.* 12: 10. qui potenter intellectum illuminat Luce Evangelii, 2 *Cor.* 4: 6. & 3: 18. *Eph.* 1: 17, 18. 1 *Cor.* 2: 10. & voluntatem flectit, *Act.* 16: 14. 2 *Cor.* 3: 3. ad illud credendum, & ad amandum Jeſum in Evangelio propoſitum.

24. Eſt enim fides Dei donum, *Eph.* 2: 8. *Philip.* 1: 29. 2 *Theſſ.* 1: 11. 2 *Petr.* 1: 3. æterno teſtamento heredibus vitæ legatum, *Act.* 13: 48. non liberi arbitrii opus, ut Sociniani, nec mera federis novi conditio, ut Remonſtrantes putant.

25. Nam

25. Nam ſine Spiritus S. ope mens natura ignorat Dei myſteria, *Matth.* 16:17. & patefacta contemnit, 1 *Cor.* 2: 14. nec ullus ad Chriſtum venit, niſi qui ex Patre audivit, *Joh.* 6: 44, 45.

26. Et quia Chriſtus Spiritum S. nobis meruit, *Act.* 2: 33. ideo fides propter mortem ejus generatur in electis, *Eph.* 1: 3. & quidem in iis ſolis, *Tit.* 1: 1. *Act.* 13: 48. *Joh.* 6: 37. 2 *Theſſ.* 3: 2. dum reprobi juſto Dei judicio excæcantur, *Joh.* 12: 39, 40. *Act.* 28: 26, 27. *Eſai.* 6: 9, 10. nec credere poſſunt, *Joh.* 10: 26.

27. Hoc tamen non excuſantur, quia lubentes Chriſti ſermonem ſpernunt, errores & mendacia amando: quæ malitia haud eſt divini decreti opus, ſed pravæ naturæ effectus.

28. Fides Simonis Magi *Act.* 8: 13. & procerum Judaicorum *Joh.* 12: 42, 43. erat nudus aſſenſus doctrinæ Chriſti datus, ſine ipſius amore, & ſtudio gloriæ Dei, quæ veræ fidei radix eſt, *Matth.* 13: 21.

29. Gradus fidei ſalutaris differunt, alter enim fide eſt firmior, alter infirmior, *Rom.* 14: 1. & 15: 1. *Matth.* 8: 10. in multis hæſitamus, *Matth.* 14: 31. & 28: 17. tamen infimus gradus ducit ad ſalutem, *Matth.* 17: 20. placetque Deo vel ipſum fidei deſiderium.

30. In electis infantibus producit Spiritus S. has vel ſimiles cogitationes: opus habeo Liberatore, Jeſus eſt mea ſalus, Fili Dei miſerere mei. Conf. *Luc.* 1: 44. in adultis fidem efficit per verbum Dei, *Rom.* 10: 17. quod ſe commendat conſcientiæ, 1 *Cor.* 2: 4. 2 *Cor.* 4: 2. 1 *Theſſ.* 1: 5.

31. Antequam autem credimus, nulla eſt in nobis docilitas, aut animi probitas, qua diſponeremur ad credendum, nam ante operationem ſpiritus fidei ſumus cœci, tardi ad credendum, obſtinati ad non credendum, *Matth.* 15: 14. *Rom.* 2: 19. *Apoc.* 3: 17. *Luc.* 24: 25. *Act.* 7: 51.

32. E natura fidei proxime fluunt ſtudium ſanctitatis & conſcientia bona; vera enim fides per charitatem eſt efficax, *Galat.* 5: 6. & viva, *Jacob.* 2: 20. ſeqq. & qui credit, novit ſe credere, ac gloriatur ſpe remiſſionis peccatorum in Chriſto impetrandæ, *Galat.* 5: 5. *Rom.* 5: 2. 2 *Tim.* 1: 12.

33. Fidem porro ſequuntur conjunctio cum Chriſto, *Eph.* 3: 17. *Galat.* 2: 20. juſtitia *Rom.* 3: 28. & 5: 1. & vita æterna, *Joh.* 3: 16. *Habak.* 2: 4. de quibus beneficiis plenius agitur ſuo loco.

34. Denique fides ſalutaris eſt perpetua, *Rom.* 11: 29. etſi per intervalla cum dubitatione, angore & infidelitate luctemur. aberrantes à veritate eam neque cognoverunt recte, neque dilexerunt unquam, 2 *Tim.* 2: 17-19. facientes naufragium fidei doctrinam veram abnegant & oppugnant quam antea profitebantur, 1 *Tim.* 1: 19. ſine amore, 1 *Tim.* 3: 9. *Matth.* 13: 23.

35. Temporaria fides calamitatibus ingruentibus facile expugnatur, naturaque differt à fide vera, quoniam radicem non habet, amorem Dei & Chriſti ſuper omnia mundi bona, *Matth.* 13: 20, 21. & 10: 37, 38.

36. Gaudium quod gignit, oritur ex amore proprio; Evangelium enim conſiderat ceu bonum & peccatori utile, annuncians remiſſionem pecca-

cato-

Digitized by Google

catorum, quam cupere & credere ac ſperare poſſumus, etiamſi Deum non diligamus.

CAPUT V.

De conjunctione noſtra cum Deo per fidem, deque adoptione & libertate.

1. FRuctus fidei per converſionem in nobis excitatæ eſt ipſa noſtra cum Deo & Liberatore conjunctio & communio; ſicut enim peccatum nos à Deo ſejunxit, ita converſio à peccato nos iterum cum Deo jungit, ut ſimus in Deo, *Joh.* 17: 21. 1 *Joh.* 4: 16. ex Deo, *Joh.* 8: 47. 1 *Joh.* 5: 19. & cum Deo, *Gen.* 5: 22. 1 *Joh.* 1: 6. imo divinam participemus naturam, 2 *Petr.* 1: 4. Deumque poſſimus appellare Deum noſtrum, *Philip.* 1: 3. *Joh.* 20: 17.

2. *Intellectu* jungimur cum Deo, quatenus Illius attributa, opera & Perſonas rectè cognoſcimus, ac jugiter meditamur; *voluntate*, quatenus ſolum Deum volumus, amamus, & quæ ipſe vult comprobamus, *Matth.* 22: 37, 38. *Deut.* 6: 5. cum noſtrum *corpus* eſt templum Dei, *Joh.* 14: 23, 1 *Cor.* 3: 16. 2 *Cor.* 6: 16. & membra Deo ſiſtuntur arma juſtitiæ, *Rom.* 6: 13. ad exequendum recta, & fugiendum prava.

3. Intercedit hæc communio cum Patre, Filio & Spiritu S. 1 *Joh.* 1: 3. 1 *Theſſ.* 1: 1. 2 *Theſſ.* 1: 1. nam *Pater* ſit Deus & Pater noſter, *Joh.* 20: 17. in eo ſimus ſancti, *Jud* vſ. 1. in eo gloriamur, *Rom.* 5: 11. atque arctiſſima noſtra cum

Digitized by Google

Filio Dei Liberatore conjunctio paſſim memoratur, 1 *Cor.* 1: 9. 30. 1 *Cor.* 6: 17. *Eph.* 1: 13. 2 *Cor.* 5: 21. *Eph.* 2: 5, 6. & diverſis ſimilitudinibus declaratur.

4. Unum enim Jeſus facit nobiſcum corpus, 1 *Cor.* 12: 12. *Rom.* 12: 5. *Eph.* 4: 12. cujus ipſe caput, *Coloſſ.* 1: 18. *Eph.* 1: 22, 23. nos membra ſumus, 1 *Cor.* 12: 14-27. *Eph.* 5: 30. *σύσσωμοι concorpores* in Chriſto, *Eph.* 3: 6.

5. Ipſe duxit nos in matrimonium, ſponſus ſponſam, maritus uxorem, *Matth.* 9: 15. *Cant.* 5: 1. *Eph.* 5: 23. ſeqq. *Hoſ.* 2: 19, 20. conjunctione arctiſſima, *Gen.* 2: 24. *Eph.* 5: 31. nos ſumus corpus, ipſe cibus ac potus, membra corporis intime permeans, nutriens ac ſervans, *Joh.* 6: 48. ſeqq. veſtis nuditatem contegens, *Rom.* 13: 14. *Galat.* 3: 27.

6. Chriſtus vitis, nos palmites, *Joh.* 15: 4, 5. is arbor, nos rami *σύμφυτοι*, *Rom.* 6: 5. is fundamentum lapiſque angularis, 1 *Cor.* 3: 11. *Matth.* 21. 42. *Pſ.* 118: 22. nos ædificium ſuperſtructum, *Hebr.* 3: 6. *Eph.* 2: 20-22.

7. Conjuncti cum Patre & Filio, habemus quoque communionem cum Spiritu S. 2 *Cor.* 13: 13. 1 *Joh.* 4: 13. in uno Spiritu ſumus baptizati, in unum corpus, 1 *Cor.* 12: 13. corpuſque noſtrum eſt Spiritus S. templum, 1 *Cor.* 6: 19.

8. In hac vita communio cum Deo nequit eſſe perfecta ob peccatum circumſtans, *Hebr.* 12: 1. 1 *Cor.* 6: 15, 16. haud tamen ſcinditur in perpetuum, ſed quando peccantes à Deo receſſimus, pœnitentia ducti ad Eum revertimur, 1 *Joh.* 4: 12-16.

9. Ex

Digitized by Google

9. Ex noſtra cum Deo conjunctione reliqua omnia ad nos fluunt Liberatoris beneficia: nam qui ſummo eſt junctus bono, non poteſt non inde beari, *Pſ.* 17: 15. & *Pſ.* 36: 9, 10. ut flumini proximus ad ſatietatem ex eo bibere valet.

10. Primum horum beneficiorum eſt *adoptio*; nam ſi Deus Pater eſt noſter pater, oportet ut nos ſimus ejus filii, *Rom.* 8: 16, 17. 1 *Joh.* 3: 1. 2 *Cor.* 6: 18. ac Filium Dei, proprium & unicum, habeamus fratrem primogenitum, *Rom.* 8: 29. *Hebr.* 2: 11, 12. *Pſ.* 22: 23. *Cant.* 5: 1, 2. & Spiritum S. arrham noſtræ adoptionis, *Rom.* 8: 14, 15. *Galat.* 4: 6.

11. Natura quippe cum eramus filii iræ, *Eph.* 2: 3. progenies diaboli, *Joh.* 8: 44. prædeſtinavit nos Deus ad adoptionem in filios per Jeſum Chriſtum, *Eph.* 1: 5. miſitque in tempore Filium ſuum ut adoptionem conſequeremur, *Galat.* 4: 4, 5. *Joh.* 1: 12. *Galat.* 4: 6. & ſpem hereditatis cœleſtis, *Eph.* 1: 13, 14. *Rom.* 8: 16, 17. 1 *Petr.* 1: 3, 4.

12. Adoptionem comitatur *libertas* à lege peccati & mortis, & à tyrannide Satanæ, *Rom.* 8: 2. *Hebr.* 2: 14, 15. *Galat.* 3: 13. nam Filius verè nos liberos reddit, *Joh.* 8: 36. habemuſque Spiritum monitorem ac conſolatorem; ubi autem eſt Spiritus domini, illic eſt libertas, 2 *Cor.* 3: 17. ne ſiamus hominum ſervi, 1 *Cor.* 7: 23. *Eph.* 5: 27.

CAPUT VI.

De Juſtitia noſtra.

1. EX adoptione fluit *juſtitia*. nam ſi ſumus filii Dei, ſumus quoque heredes: heredes autem Dei habent jus vitæ cœleſtis, quæ hereditatis magna pars eſt.

2. Nomen juſtitiæ interdum notat voluntatem Deo & hominibus ſuum tribuendi, *Act.* 10: 35. *Matth.* 3: 15. 1 *Joh.* 3: 7. quandoque cauſſam juſtam, *Pſ.* 7: 9. *Matth.* 5: 10. h. l. accipitur ſenſu forenſi pro jure petendi abſolutionem à pœna, & adjudicationem vitæ æternæ, *Rom.* 4: 6.

3. Sicut & verbum צדק vel הצדיק eſt δικαιοῦν pronunciare juſtum, innocentem, abſolvere à pœna, adjudicare jus vitæ, *Job.* 33: 32. *Deut.* 25: 1. *Prov.* 17: 15. *Luc.* 10: 29. *Luc.* 16: 15.

4. Certe quando homines Deum juſtificant, ejus juſtitiam agnoſcunt & prædicant, *Pſ.* 51: 6. *Matth.* 11: 19. *Luc.* 7: 29. 35. quando Deus impium facit juſtum, condonat ei pœnam ſcelerum, tribuitque jus vitæ, *Rom.* 4: 5.

5. Quando Pater juſtificavit Filium, *Eſai.* 50: 8. 1 *Tim.* 3: 16. ſolenniter eum liberavit à ſervitute legis, & declaravit omnia præſtitiſſe, quæ præſtanda ſponſione æterna in ſe receperat, eoque plenum jus habere poſtulandi promiſſam mercedem, *Pſ.* 2: 8.

6. Qui multos faciunt juſtos, *Dan.* 12: 3. ſunt doctores viam juſtitiæ in Chriſto conſequendæ do-

docentes, omnemque dantes operam, ut peccatores reconcilientur cum Deo, *2 Cor.* 5: 19, 20. juſti, qui magis juſti fiunt, confirmantur in ſpe ſalutis amplius, *Apoc.* 22: 11.

7. Juſtitia, pars ſalutis hominum liberatorum deſignat א. remiſſionem peccatorum, *Pſ.* 32: 1, 2. *Rom.* 4: 6- 8. *Rom.* 8: 33, 34. ב. jus petendi vitam æternam, *Habak.* 2: 4. *Rom.* 5: 9, 10. utroque enim beneficio indigemus, *Matth.* 5: 25, 26. eſtque attributio juris vitæ diverſum à condonatione peccatorum beneficium, licet arctiſſime conjunctum, ſecus ac *Piſcator* credidit.

8. Remiſſione peccatorum liberamur ab omni pœna, temporali & æterna, *Rom.* 5: 20. & 8: 1. 1 *Joh.* 1: 7. *Pſ.* 103: 3. & 32: 1, 2. etiam jus vitæ plenum eſt, contra quod excipi nihil poteſt, *Rom.* 5: 1, 2. 21.

9. Haud poſſet Deus juſtus ac ſanctus peccatorem à pœna abſolvere, & jure cœleſtis vitæ donare, niſi haberet legitimam benevoli hujus judicii cauſſam, *Exod.* 34: 7. *Rom.* 2: 2. quam Paulus δικαίωμα vocat, *Rom.* 5: 16. 18. & 8: 4.

10. Ea voce aliquando deſignatur decens ac juſta ſententia, *Rom.* 1: 32. *Apoc.* 15: 4. juſtum præceptum, *Luc.* 1: 6. juſtitiæ teſtimonium, *Rom.* 2: 26. hic ſignificat id, quod lex requirit à peccatore, ut juſtus declaretur.

11. Tale nihil in ipſomet reperitur, totus enim injuſtus eſt, Deumque ad iram provocat, *Pſ.* 143: 2. *Rom.* 3: 19, 20. 23. *Rom.* 8: 3. *Eph.* 2: 3. igitur ut juſte pronuncietur juſtus, indiget juſtitia Dei, *Pſ.* 143: 1. *Rom.* 3: 22. 2 *Cor.* 5: 21. à quo & omnis noſtra ſalus venit.

12. Ju-

12. Juſtitia Dei eſt in Filio, 1 *Cor.* 1: 30. *Jerem.* 23: 6. qui ſpopondit Patri, ſe & luiturum pro noſtris delictis, *Job.* 33: 24. 2 *Cor.* 5: 21. & meriturum nobis obedientia jus vitæ, *Rom.* 5: 20. *Rom.* 10: 4.

13. Atque potuit Pater ſanctè nos declarare juſtos aliena juſtitia, lege non vetante nos intueri in Sponſore; humanoque in foro Pomponius pro Mevio ſolvere poteſt. Deuſque pro tribunali ſedens adſpicit nos in Chriſto Liberatore, *Rom.* 3: 24. & 8: 1. *Eſai.* 45: 25. 2 *Cor.* 5: 19.

14. Quare & nos abſolvit à peccatis omnibus, quia Chriſtus noſtro loco iram judicis ſenſit, & mortuus eſt, *Rom.* 3: 25. & 4: 25. beatque jure vitæ, quoniam idem ſponſor implevit pro nobis legem, cujus obſervatio dat vitam, *Rom.* 5: 19. 21.

15. Meritum Servatoris donatur nobis, *Rom.* 3: 24. & 5: 15-17. à Patre qui & Filium è gratia dedit, *Joh.* 3: 16. *Rom* 8: 32. *Philip.* 2: 9. nulla enim præcellimus virtute, nullo opere, Deum obligante, ut nos de merito Liberatoris impertiat.

16. Equidem fide participamus de merito Sponſoris, *Matth.* 5: 6. *Luc.* 18: 13, 14. *Joh.* 16: 23. deſiderantes gratiam: uti mendicus extenſa manu petitam ſtipem accipit; at fides ſua natura haud eſt tam excellens virtus, tam eximium opus, ut per ſe mereatur communionem cum beneficiis Liberatoris.

17. Juſti ſimus fide, *Rom.* 3: 28. & juſtitia noſtra eſt fidei, *Rom.* 4: 11. ex fide, *Rom.* 1: 17. *Rom.* 3: 30. & 5: 1. per fidem, *Rom.* 3: 22. *Galat.* 2: 16. *Philip.* 3: 9. fideſque ipſa imputatur ad ju-

ſti-

Digitized by Google

ſtitiam, *Gen.* 15: 6. *Rom.* 4: 3. 5. 22. quatenus nos arctiſſimè conjungit cum Mediatore in quo juſti ſumus.

18. Ut conſideretur ceu inſtrumentum, medium, quo Chriſtum deſideramus, impetramus & complectimur, quale medium eſt mendici vox & manus, qua ſtipem petit, accipit & tenet.

19. Et quoniam noſtra, non aliena, fides nos jungit cum Liberatore: ideo propria, non aliena fide juſtitiam conſequimur, *Habak.* 2: 4. *Matth.* 9: 22. & 22: 11, 12. & 15: 28. *Luc.* 7: 50. uti nemo nutritur cibo & potu quem alter ſumit.

20. Chriſtus paralyticum ſanans, & à peccatis abſolvens, tam ipſius reſpexit fidem, quam eorum à quibus æger portabatur, *Matth.* 9: 2. carceris autem cuſtos fide ſua ſervavit domeſticos, quia converſus ad Dominum ſalutari eos religione imbuit, *Act.* 16: 31.

21. Operibus bonis neque peccatorum veniam, neque jus vitæ obtinemus: nec enim iis complectimur juſtitiæ auctorem, ſed fide comprehenſum colimus. Et teſtatur ſcriptura, nos ex lege, vel operibus legis, juſtos non fieri, *Rom.* 3: 20. 27, 28. *Rom.* 10: 3. & 11: 6. *Galat.* 2: 16. *Eph.* 2: 8, 9.

22. Ex dictis conſtat, Dei Patris eſſe vices, nos declarare juſtos. is enim eſt noſter Legislator & judex, *Rom.* 3: 25. & 8: 33. 2 *Cor.* 5: 19 *Matth.* 6: 14. *Eph.* 4: 32. *Jacob* 4: 12. licet Filio dederit poteſtatem pronunciandi ſententiam ritu ſolemni, *Joh.* 5: 22. *Matth.* 25: 31, 32. & per Spiritum S. iſtam ſententiam, antequam promulgatur, animis

mis juſtorum notam facit, *Rom.* 5: 5. & 8: 16. 2 *Cor.* 1: 22. *Eph.* 4: 30.

23. Juſti fiunt ſoli Filii Dei, in Liberatore omnem ponentes fiduciam, eique à Patre dati, *Rom.* 3: 29. & 8: 30. 33. nemo enim declaratur juſtus, niſi qui in Chriſto eſt, *Rom.* 8: 1. & quotquot juſti fiunt, etiam gloriam conſequuntur, *Rom.* 8: 30.

24. Peragitur noſtra juſtificatio ſequenti modo, א. omnibus ad Filium Dei confugientibus promittitur remiſſio peccatorum & vita æterna, *Joh.* 3: 16. 18. *Act.* 10: 43. ב. ſinguli electi dum in hac terra vivunt, per fidem vivam certi fiunt de juſtitia ſua in Chriſto, *Matth.* 9: 2. *Luc.* 7: 47, 48. quod tamen ſolatium quandoque fortius, quandoque imbecillius ſentiunt, *Pſ.* 32: 5. *Pſ.* 51: 3. 14. *Pſ.* 77: 8-10.

25. ג. Poſt obitum conſtituti ad tribunal Dei abſolvuntur à peccatis, animaque vitam æternam conſequuntur, *Hebr.* 9: 27. *Apoc.* 14: 13. atque ד. die ultimo excitati à mortuis, heredes cœli ad dexteram Chriſti Judicis ſolemniter proclamabuntur, *Matth.* 25: 33, 34. 2 *Cor.* 5: 10. 2 *Tim.* 4: 8.

26. Teſtimonium remiſſionis peccatorum cordi noſtro inſcriptum ſolet vocari juſtificatio *ſecunda*, quia ſequitur abſolutionem credentis in foro Dei, vel *paſſiva*, nec enim eſt niſi conſcientia juſtitiæ impetratæ.

27. Iſtoque perhibetur modo א. Spiritus S. certos facit nos de fiducia in Liberatore collocata, & ſincero erga Ipſum amore. unde ſpes remiſſionis peccatorum. ב. fidem qua Jeſum complectimur, eſſe

eſſe veram vivamque, ſcimus ex ſtudio bonorum operum & reſipiſcentiæ.

28. Et hactenus ſimus juſti ex operibus, teſtantur enim de vera fide qua jus vitæ conſequimur, *Jacob.* 2: 21. ſeqq. *Rom.* 4: 2. tamen & propter opera bona declaramur juſti, i. e. ſancti, pietatis ſtudioſi: ſicut & *juſti* vocem ſumi monitum.

29. Nam liberati à pœna peccatorum, ac donati jure vitæ, grati eſſe erga Deum debent, pie, juſte & temperanter vivendo; propter hoc impetraturi à Deo ſanctitatis & vitæ inculpatæ teſtimonium, *Job*, 1; 8. 1 *Joh.* 3; 7. contra Diaboli, mundi, & anxiæ mentis accuſationes.

30. Appellatur juſtificatio juſti, qua abſolvitur ab inimicorum criminationibus, *Pſ.* 26: 1, 2, laudaturque velut ardens zelo gloriæ Dei, ut Phineazus, *Num.* 25; 7, 8. 11-13. *Pſ.* 106: 31. valdeque differt à juſtificatione impii.

31. Angeli verba *Apoc.* 22: 11. volunt, ut qui ſperat jus vitæ, & hac ſpe incitatus purgat animum ab injuſtitia, det operam, ut indies beneficii hujus fiat certior, juſtitiæ ſtudioſior, & à vinculis peccati liberior.

32. Hanc de juſtitia coram Deo doctrinam oppugnant *Sociniani*, ſtatuentes: Deum peccata noſtra gratis remittere ſine accepta ſatisfactione, & vitæ jus dare, licet requiſitum legis non præſtetur, haud tamen ſine innocentia & ſanctitate, obedientia præceptis Jeſu Chriſti præſtanda.

33. Quæ conſideretur ceu fiducia in Chriſto poſita, continens opera quibus Ejus mandata exequimur: & hactenus imputetur ad juſtitiam, Dei clementia, non ex fidei dignitate.

34. Deficientes ab iſta obedientia perdere quidem juſtitiam, ſed reſipiſcendo recuperare. Christi autem juſtitiam nobis imputari, commentum eſſe ad evertendam vitæ ſanctitatem Diaboli fraude inventum.

35. *Arminiani* docent: fidem pro juſtitia acceptari, licet juſtitia non ſit: Chriſti juſtitiam nobis haud imputari, ſed eſſe cauſſam meritoriam, ob quam fides in juſtitiam imputetur.

36. *Pontificii* verbo juſtificandi præter forenſem tribuunt ſenſum phyſicum, ut non ſolum notet, juſtum quendam declarare, ſed & talem facere per juſtitiam infuſam: hinc juſtificationem definiunt remiſſione peccatorum & ſuſceptione gratiæ, qua infundatur fides, ſpes, & charitas. Ut gratia juſtificans ſit qualitas infuſa, non gratuitus Dei favor.

37. Tamen remiſſione peccatorum condonari ſolam culpam, cum æterno ſupplicio, non pœnam temporalem: nec Chriſti juſtitiam nobis imputari. At poſſe hominem antequam credit, opera facere non omnino mala, quibus ſe diſponat ad obtinendam fidem & gratiam juſtificationis.

38. Prævias diſpoſitiones ſequi primum opus bonum, fidem, quæ licet juſtificationis ſit initium, haud tamen ſola nos juſtos faciat. Initium ſequi progreſſum & incrementum juſtitiæ, dum juſtificatione *prima* ex impiis fimus juſti, *ſecunda* ex juſtis juſtiores.

39. Juſtificari nos gratis, *quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*, Et juſtitiam

tiam non competere ſolis electis, & poſſe amitti, atque pœnitentia recuperari.

40. Oppono hiſce erroribus, Deum peccatori non eſſe ſimilem, ſed ſanctitate naturæ ferri, ſive ad peccatum puniendum, ſive ad exigendam ſatisfactionem, ſi condonari debeat, delicta remitti ex gratia propter ſatisfactionem, quia peccator non ſatisfacit, ſed benevolus ſponſor ex gratia datus a Deo: cujus meritum quoque ex gratia nobis imputatur.

41. Ad impetrandum vitæ æternæ jus, haud ſufficit vitæ integritas & ſanctitatis ſtudium, ſed requiritur δικαίωμα, conditio lege poſtulata, perfecta obedientia, *Rom.* 8: 4. & 10: 5. qui non obediunt, ſunt rei mortis; & qui violavit unum præceptum, diſſolvit totam legem, quam ut impleret, Chriſtus venit, non ut abrogaret, *Rom.* 7: 10. 2 *Cor.* 3: 6, 7. *Jacob.* 2: 10. *Matth.* 5: 17.

42. Fides licet opus ſit quo Chriſto obedimus; jubemur enim credere: tamen heic non conſideratur velut obedientia, actio congruens mandato Chriſti, ſed velut vinculum nos cum Liberatore, juſtitiæ auctore, colligans, *Rom.* 3: 22. 24. 26. *Hebr.* 3: 14.

43. Et imputatur ad juſtitiam, quatenus eſt medium conſequendæ juſtitiæ in Chriſto: minimeque innuitur, Deum acceptare fidem pro juſtitia, vel perfecta obedientia.

44. Adhiberi in hoc argumento ſolet verbum λογίζειν, quod præter ſignificationes remotiores notat *reputare, judicare, æſtimare, Marc.* 15: 28. *Act.* 19: 27. *Rom.* 8: 36. & 9: 8.

45. *Λογίζειν τὴν πίστιν εἰς δικαιοσύνην, Rom.* 4:3. 5.9. *Galat.* 3:6. eſt propter fidem tribuere credenti jus vitæ: non quia fides per ſe meretur mercedem obſervatori legis promiſſam; aut quod à Deo pro obedientia perfecta acceptetur, ſed quia medium eſt, quo aliena, Sponſoris, obedientia fit noſtra.

46. *Λογίζειν τὸν μισθὸν κατὰ χάριν, Rom.* 4: 4. eſt donare præmium vitæ æternæ ei qui id non meruit. *Μὴ λογίζειν ἁμαρτίαν, Rom.* 4: 8. eſt peccantem declarare immunem à pœna promerita. *Λογίζειν τὴν δικαιοσύνην Rom.* 4: 6. 11. ſignificat, tribuere alicui jus petendi vitam lege promiſſam, etſi ipſe legem non ſervarit.

47. Scilicet Deus Pater quibusdam hominibus non infligit pœnam meritam, quia Chriſtus eam portavit, *Act.* 20:28. *Rom.* 5:10. *Galat.* 3:13. datque contra jus vitæ ob perfectiſſimam Ipſius obedientiam, 1*Cor.* 1:30. *Rom.* 5:19. 2*Cor.* 5:21. ut ſimus juſti juſtitia Dei, *Rom.* 1:17. & 3: 21, 22. *Philip.* 3: 9.

48. Condonatio pœnæ & jus vitæ ob Chriſti mortem & obedientiam obtingit hiſce, non aliis; partim quia Pater & Filius fructum meriti Liberatoris iſtis, non aliis, deſtinavit; partim quia iſti, non alii, ad eam mortem & obedientiam confugiunt.

49. Pater enim Filio non dedit omnes redimendos, ac Filius nonniſi pro datis ſpopondit. eſtque juſtitia Dei ex fide, *Eſai.* 53: 11. *Rom.* 3: 22. *Galat.* 2: 16. *Philip.* 3: 9. *Matth.* 5: 6.

50. Quod pœna nobis remittitur, & vitæ jus datur ob mortem & obedientiam Chriſti, iddicitur

tur

tur in Scholis recte, *Ejus juſtitiam nobis imputari.* nam Pater acquieſcit Filii morte & obſequio, non aliter ac ſi nos luiſſemus & obedivíſſemus.

51. Idque vi pacti æterni, quo petiit à Filio, ut loco noſtro lueret & obediret, quod Filius ab æterno annuit, & in tempore præſtitit. Atque per fidem ſumus in Filio, & Filius in nobis; quare Pater Filium intuens mortuum & obedientem, in eo nos videt, *Joh.* 14: 23. & 15: 2. & 17: 21. 23. ob quam arctiſſimam Chriſti, noſtrique per fidem conjunctionem, fides imputatur ad juſtitiam dicitur.

52. Juſtitia Chriſti eſt juſtitia rigidiſſime dicta, ſed imputatur quia Chriſti eſt, & imputatione fit noſtra. Licet enim alterius ſapientia nemo ſit ſapiens, tamen aliena pecunia, ſi donatione fiat mea, nomina expungere queo.

53. Calumnia eſt, hanc doctrinam evertere ſanctitatem. nam qui fiunt juſti in Chriſto, debent vivere ſancte, nec recipiuntur in cœlum niſi exacto in terris vitæ piæ curriculo. Et ſalutaris fides complectitur amorem Dei ac Jeſu, & deſiderium libertatis à peccato ad Dei gloriam; ut pugnet cum amore ſcelerum.

54. Veteres vocabulo juſtificationis infuſionem ſanctitatis comprehenderunt, qui vocum abuſus facile condonatur: tamen confuſæ illorum cogitationes & locutiones, frequentes de bonis operibus, itaræ de juſtitia & gratia Liberatoris conciones, iterata *meritorum* mentio, laudatæ ſatisfactiones, & præcepta vitæ ad ſuperſtitionem auſteræ, pepererunt noxium de meritis bonorum operum errorem.

55. Judæos docuerunt Phariſæi ſtabilire juſtitiam propriam, & negligere juſtitiam Dei, *Rom.* 10: 3. Phariſaicum juvenem Salvator *Matth.* 19: 16-22. convincere voluit ſimulatæ & imperfectæ ſanctitatis, non erudire de vero medio impetrandi jus vitæ.

56. Homines juſti in S. Scriptura laudati, Abel, Noa, Hiskias, Zacharias cum Eliſabeta, dedere quidem operam, ut præcepta Dei ſedulo ſervarent: jus vitæ autem per Liberatoris promiſſi quem ſperabant, non per ſuam obedientiam nacti ſunt.

57. Gratia per juſtitiam regnat ad vitam æternam, *Rom.* 5: 21. quatenus ex gratuito Dei amore nobis donatur jus vitæ obedientia Chriſti meritum: nec per *juſtitiam* intelligitur interna mentis renovatio, ex qua procedunt opera vitæ, ut *Bellarm* putat.

58. Jeſus reſurgendo probavit, ſe morte ſua nobis meruiſſe jus vitæ, *Rom.* 4: 25. & ſimul dedit exemplar vitæ novæ per regenerationem, *Rom.* 6: 4. nam juſtitiam notare & ſtudium ſancte vivendi, non inficiamur. *Rom.* 6: 13. 1 *Joh.* 3: 7. 10.

59. Remiſſa culpa remittitur & omnis pœna. nam pœna culpam ſequitur. Igitur ubi culpa nulla, ibi nec pœna eſt. Iſraelitis cultum vituli ſerio dolentibus Deus condonavit pœnam, ſed priſtinum ſcelus nova ſubinde contumacia augentes, tandem ſevere punivit, *Exod.* 32: 34.

60. Davidi Regi remiſſum adulterium, ſed necatus filiolus ad reparandam Dei gloriam pravi facinoris occaſione ab hoſtibus læſam, 2 *Sam.* 12: 13, 14. Nec vitæ hujus calamitates ſunt ſatisfactio pro pec-

peccatis, ſed medium purgandi nos à reliquiis peccati.

61. Natura toti ſumus mali & filii iræ, eoque haud diſpoſiti, vel præparati, ad fidem recipiendam, aut juſtitiam conſequendam: ut Deo oculis gratiæ nos reſpicienti occurramus jacentes in ſanguine, nudi, donec tegamur ab ipſo toga juſtitiæ & pallio ſalutis, *Ezech.* 16: 4-10. *Apoc.* 3: 17. *Eſai.* 61: 10.

62. Fides eſt initium ſanctitatis, ea enim purgantur corda, *Act.* 15: 9. ſed non juſtificationis, quæ Dei eſt actio, ſive ſumatur pro abſolutione, ſive pro renovatione peccatoris: uti fides eſt actio credentis; eaque ſola ſimus juſti, quia ſola nos conjungit cum Chriſto, lege legiſque operibus excluſis, *Rom.* 3: 28. *Galat.* 2: 16. *Rom.* 11: 6. Abrahæ exemplo, *Gen.* 15: 6. *Rom.* 4: 3.

63. Fœminæ peccatricis vehemens erga Jeſum amor, *Luc.* 7: 47. erat teſtimonium ingentis gratiæ Dei erga ipſam, non cauſſa remiſſionis peccatorum ejus. nam diligimus Deum, quia peccata nobis condonat, *Pſ.* 103: 1, 2. neque viciſſim Deus facit nobis delictorum veniam, quod illum diligamus. nam prior nos dilexit, 1 *Joh.* 4: 10.

64. Et noſter amor erga fratres eſt argumentum amoris Dei erga nos, noſtræque converſionis, 1 *Joh.* 3: 14. Paterque diligit diligentes ſe, amorem ſuum continuans & multiplicans.

65. Impius quum ſe convertit, *Ezech.* 18: 21. ſeqq. abnegat juſtitiam propriam, & confugit ad Liberatorem: juſtus a juſtitia recedens, eſt propriæ juſtitiæ ſectator, ab externa honeſtate ad im-

probitatem deficiens, verſ. 24. ſervus nequam *Matth.* 18: 26. ſeqq. imago ordinis ſacri, cujus Antiſtites primi veniam nacti ſunt, poſtremis ob inclementiam & crudelitatem erga fratres puniendis.

66. Juſtitiam comitatur pax apud Deum, *Rom.* 5: 1. *Coloſſ.* 1:20. *Luc.* 2: 14. poſt bellum peccato excitatum, *Eſai.* 59: 2. Deo nobis iraſcente, *Rom.* 1: 18. & hominibus Deum odio habentibus, *Rom.* 8: 7. docet Pater conſilium pacis iniit cum Viro Germine, mundum ſibi reconcilians, *Zach.* 6:13. 2*Cor.* 5: 19. & Filius extitit Mediator, Princeps pacis, *Eſai.* 9: 5. *Eph.* 2: 14. *Joh.* 14: 27. ac Spiritus S. pignus pacis, *Rom.* 14: 17. 2*Cor.* 1:21, 22. *Eph.* 4:30.

67. Ut omnis inde gloria redundet ad Deum pacis, *Eſai.* 45: 6. & 57:19. *Philip.* 4:9. cui inimici ſumus reconciliati Deo per mortem Filii Ipſius, *Rom.* 5: 10. factique amici familiares, *Pſ.* 25:14. *Joh.* 15: 14, 15. *Jacob.* 2: 23. qui neceſſitates noſtras in Deum conjiciamus, *Pſ.* 37: 5.

CAPUT VII.

De Sanctitate hominis poſt peccatum juſti.

1. Juſtus per fidem non modo jungitur cum Deo Patre & Filio, ſed etiam cum Spiritu S. imaginem Dei in credentibus reſtaurante: unde fit קדוש *ἅγιος ſanctus*, è mundo ſeparatus, & Dei cultui dicatus, *Levit.* 20: 26. *Num.* 23: 13. 2*Cor.* 6: 17. *Rom.* 12: 2. *Philip.* 2: 15. *Eph.* 5: 7. 11.

2. Eſt autem ſanctitas ſtudium enixum & perpetuum peccata omnia fugiendi, & honeſta quæ-

que

que faciendi, ad teſtandum gratum erga Deum Liberatorem animum.

3. Et ſicuti ex mente & corpore conſtamus: ita pars utraque ſtudio ſanctitatis occupatur, 1 *Cor.* 6: 20. 2 *Cor.* 7: 1. mens cogitationibus rectis, *Matth.* 22: 37. & corpus motibus nullas niſi rectas in animo cogitationes producentibus, aut bene cogitata exequentibus, *Rom.* 6: 13. 1 *Petr.* 1: 14-16.

4. Quia mali ab origine ſumus, ſtudioſum ſanctitatis primam dare oportet operam, ut malum fugiat, *Pſ.* 34: 15. *Eſai.* 1: 16, 17. *Eſai.* 55: 7. *Coloſſ.* 3: 8, 9. ne porro committat, & quod ante patravit, toto animo improbet ac defleat, 2 *Cor.* 7: 10. *Pſ.* 51: 5, 6. *Matth.* 26: 75.

5. Cum mens ſit principium actionum quæ fiunt corpore ceu inſtrumento, ſanctimonia incipit in mente, *Pſ.* 51: 12. *Rom.* 7: 22. & 12: 2. renovata ad imaginem Dei creatoris, *Coloſſ.* 3: 10. *Eph.* 4: 23, 24. minimeque ſubſiſtit in externis actionibus, *Matth.* 5: 20. ſeqq.

6. E mente eſt ejicienda caligo ignorantiæ arcanorum Dei, *Eph.* 4: 17, 18. & in eam inferenda lux cognitionis & ſapientiæ, *Eph.* 5: 8. 17. ut habeamus intellectum illuminatum ad videndum ſpem noſtræ vocationis, *Eph.* 1: 18. *Eph.* 3: 18, 19.

7. Tum voluntas purganda ab amore inſcitiæ & errorum, *Joh.* 3: 19, 20. ab odio Dei & pravis cupiditatibus, *Galat.* 5: 16. *Coloſſ.* 3: 5. 8. *Eph.* 4: 25. ſeqq. ut diligamus Deum toto corde, tota anima & cogitatione, ac proximum hominem, ut nos ipſos, *Matth.* 22: 37.

8. Membra corporis ſint inſtrumenta juſtitiæ: ut

cum oculis faciamus fœdus de malo non videndo, *Job*. 31: 1. auribus a nugis mendaciiſque averſis, percipiamus verbum Dei, 2 *Tim*. 2: 16. manibus laboremus, *Eph*. 4: 28. & ore laudes Dei annunciemus, *Coloſſ*. 3: 16. *Eph*. 4: 29. ſanctitate omnes facultates immutante, ut fiamus homo novus, conditus in Chriſto Jeſu ad opera bona, mortuus peccato, & vivens Deo, 1 *Theſſ*. 5: 23. *Coloſſ*. 3: 9. *Galat*. 5: 24. *Eph*. 4: 24. *Coloſſ*. 3: 10. *Eph*. 2: 10. *Rom*. 6: 2. 10, 11.

9. Ab amore Dei, qui converſione prima nobis inditur, differt ſanctitas ut progreſſus ab initio: & ſicuti in operibus naturæ ſe habent creatio & conſervatio: ita in gratiæ operibus eſt ſanctificatio converſionis continuatio, *Rom*. 8: 30.

10. Deus ſine dubio eſt, qui ſanctos nos facit, *Ezech*. 20: 12. 1 *Theſſ*. 5: 23. Pater Spiritum S. nobis donat, *Eſai*. 63: 11. Filius morte meruit, *Act*. 2: 23. *Rom*. 8: 32. *Eph*. 5: 26. 1 *Cor*. 15: 10. & Spiritus S. bonas in mente cogitationes, & rectos in corpore motus efficit, *Tit*. 3: 5. 2 *Theſſ*. 2: 13.

11. Nempe ſicut primo novæ vitæ momento Deum amamus ideo, quia Deus Pater propter obedientiam Filii, per Spiritum S. omnipotenti voluntate vult, ut ipſum amemus; ita momento 2. 4. 7. & reliquis, ipſum amare pergimus ſanctitati ſtudentes, ideo quia Deus vult efficaciſſime, ut eum diligere pergamus, amoremque iſtum vita inculpata teſtificemur.

12. Deus quoque eſt ſanctitatis noſtræ exemplar, *Levit*. 11: 44. 1 *Petr*. 1: 16. *Matth*. 5: 48. nihil agens gloriæ ſuæ indecens. Et Chriſtus imitandus,

Digitized by Google

à quo procul omne abfuit peccatum, *Matth.* 11: 29. 1 *Cor.* 11: 1. *Joh.* 8: 46. *Hebr.* 7: 26.

13. Hinc norma ſanctitatis eſt lex Dei, non ratio, non mandatum vel exemplum hominum, *Pſ.* 19: 8-10. *Rom.* 7: 7. meditanda ſemper *Pſ.* 1: 2. ne ignorantia, vel errore peccemus, *Rom.* 14: 23.

14. Neceſſaria eſt ſanctitas, quia א. Deus eam præcipit, *Hebr.* 12: 14. 1 *Theſſ.* 4: 3. ב. elegit nos, ut ſancti eſſemus, *Eph.* 1: 4, 5. ג. communionem habere cum peccatoribus nequit, *Habak.* 1: 13. 2 *Cor.* 6: 14, 15. ד. vitam æternam ſceleratis non dat, *Apoc.* 21: 27. & *c.* 22: 15. ה. quia Eccleſia eſt cœtus ſanctorum, 1 *Cor.* 6: 9, 10.

15. Imperfecta tamen eſt in hac vita, *Eſai.* 64: 6. ubi non niſi primitias Spiritus accipimus, *Rom.* 8: 23. licet unus alterum virtutibus Chriſtianis ſuperet, *Rom.* 15: 1. ad multa enim impingimus omnes, 1 *Joh.* 1: 8. *Jacob.* 3: 2. *Rom.* 7: 19. ut ne ſanctiſſimus quidem dicere poſſit: purus ſum à peccato, *Prov.* 20: 9. *Pſ.* 143: 2.

16. Sanctorum actiones ſunt diſſimiles, quod veniant a diverſiſſimis principiis, Spiritu S. & carne, *Rom.* 8: 2. 14. & 7: 23. *Hebr.* 12: 1. *Joh.* 3: 6. inter quæ, partem regenitam, & non regenitam, lucta gravis, *Galat.* 5: 17. *Rom.* 7: 14. ſeqq. in qua ſi interdum ſuccumbunt, per reſipiſcentiam reſurgunt.

17. Eſt ea virtus animi, qua admiſſum peccatum vehementer dolemus, *Pſ.* 51: 19. *Jer.* 31: 19. *Act.* 2: 37. & vitam emendare ſerio ſtudemus, *Eſai.* 1: 16, 17. *Matth.* 3: 8. Hebræis תשובה, Græcis *μετάνοια immutatio mentis* & *μεταμέλεια pœnitentia* dicta.

18. Et

Digitized by Google

18. Et conſiſtit cum in dolore ob læſum peccatis noſtris Deum Dominumque benignum, 2 *Cor.* 7: 10. tum in ſtudio vitæ emendandæ, *Pſ.* 34: 15. *Eſai.* 55: 7. *Rom.* 6: 4. *Galat.* 6: 15. Dolori conjungitur culpæ confeſſio ſincera, *Pſ.* 51: 6, 7. *Dan.* 9: 5, 6. *Luc.* 15: 21. veniæque petitio & ſpes, *Pſ.* 51: 3. *Dan.* 9: 16. *Luc.* 18: 13. nam deſperatio in exitium agit peccatorem, *Gen.* 4: 13, 14. *Matth.* 27: 3-5. Emendatio vitæ includit fugam peccatorum quibus maxime aſſueti eramus.

19. Reſipiſcentiæ autor Deus, ſicuti ſanctitatis, *Act.* 11: 18. 2 *Tim.* 2: 25. fructus venia delictorum, *Pſ.* 32: 5. *Luc.* 18: 14. *Act.* 3: 19. ſolatium ex remiſſione, *Luc.* 7: 47, 48. & hominum aliorum ad pœnitentiam invitatio, *Pſ.* 51: 15. *Luc.* 22: 32. gaudium in cœlo, *Luc.* 15: 7.

20. Quia peccatum nos circumſtat dum vivimus, ideo totum vitæ curriculum eſt tempus agendæ reſipiſcentiæ, demonſtrandæ ſingularius, quando in grave incidimus delictum, aut Deus juſtitiæ ſuæ exercitium contra nos, noſtros, contra patriam, vel Eccleſiam minatur, vel eam reapſe exercet.

21. Tridentina Synodus pœnitentiam definit *contritione, confeſſione, ſatisfactione.* Atque contritionem dividit in *perfectam* charitate Dei, & *imperfectam,* attritionem, quæ amore Dei vacua, attritos tamen diſponat ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam: quaſi ſine amore Dei ad Deum adpropinquare valeamus.

22. Confeſſio auricularis jam à Concilio Lateranenſi III. ſub Innocentio III. anno 1215. & à Flo-

Florentino ſub Eugenio IV. anno 1439. fuit injuncta: traxitque originem è diſciplina veteris Eccleſiæ, veniam nemini niſi culpam publice confitenti dantis.

23. Etiam præſcripto canonum delinquentes debebant facere ſatis. Hinc natæ ſatisfactiones propriæ, quibus Chriſtiani temporalem pœnam a Deo redimere jubentur.

24. Contritio, dolor ex amore Dei ortus ob commiſſa peccata, eſt utique pars magna ſalutaris pœnitentiæ; ſed attritio, metus ac ſenſus pœnæ, fluit ex amore proprio, proptereaque impiis non prodeſt, *Exod.* 8: 8. *Act.* 8: 24. nam propriæ felicitatis amor ſine amore Dei, unici ſummi boni, per ſe ſtultus ac vitioſus eſt: cum ſimus creati propter Creatorem.

25. Peccata omnia, occulta præſertim, Deo ſunt confitenda: quem autem Eccleſia privavit uſu ſacræ cœnæ, aut reſecuit ob ſcelus manifeſtum, culpam fateri, & veniam rogare debet. Fido prudentique Paſtori quandoque & utiliter ſtatus conſcientiæ declaratur, ſi peccator ipſe ſine monitis alienis ipſam pacare nequeat.

26. David Nathani 2 *Sam.* 12: 13. & Gadi 2 *Sam.* 24: 10. ſeqq. haud recenſuit in aurem delicta occulta, ſed vocem Dei ipſum per hos profetas accuſantis veram eſſe prædicavit. Atque baptizati à Johanne confeſſi in genere ſunt, ſe uſque huc improbe vixiſſe, *Matth.* 3: 6. quod & liberè fecerunt apud Paulum ſtudioſi artium Magicarum, *Act.* 19: 18, 19.

27. Jacobus *cap.* 5: 16. mutuam offenſarum, qui-

quibus alios læſimus, confeſſionem intelligit; & Johannes *Epiſt.* 1. *c.* 1. vſ. 9. agit de confeſſione quæ fit Deo peccata remittenti.

28. Satisfactiones propriæ ſunt merito Liberatoris perfectiſſimi injuriæ: Is enim Patri plene fecit ſatis: vaneque cauſſantur, Patri nos facere ſatis per Jeſum Chriſtum. nam ſi noſmet oportet facere ſatis, licet aliena ope, tamen relinquitur, Sponſoris noſtri ſatisfactionem non eſſe plenam, ſed a nobis ſupplendam, & in hac, & in altera vita.

29. Ærumnæ hujus vitæ non ſunt ſatisfactiones, ſed medium peccati occidendi qui ſe ipſum lædit, vult Deum honorare modo in S. literis non præſcripto, 1 *Reg.* 18: 28 & vindicta quam ſumit Eccleſia de manifeſto peccatore, pertinet ad eum increpandum, & pudefaciendum; non ad culpam a Deo redimendam, 2 *Cor.* 7: 11. corpuſque contunditur ad fomitem peccati extinguendum, 1 *Cor.* 9: 27.

30. Si pro ſe nemo poteſt Deo facere ſatis, minus pro alio, *Pſ.* 49: 8, 9. & reſiduæ paſſiones ob Chriſti nomen perferendæ, faciunt ad confirmandam in veritate Eccleſiam, non ad delicta ejus plene expienda, *Coloſſ.* 1: 24. nam patientes pro Evangelio teſtamur id nos firmiter credere.

31. Neceſſitas reſipiſcentiæ, lucta carnis & ſpiritus, nævique ſanctorum, ſæpe turpes, certum ſunt argumentum, neminem in hac vita legem Dei perfecte adimplére poſſe, uti poſt veteres Pelagianos Pontificii ſtatuunt, propriam juſtitiam firmaturi, & meritorum gloriam aucturi.

32. Equidem mandata Dei gravia non ſunt

1 *Joh.*

Digitized by Google

1 *Joh.* 5: 3. iis qui Deum & Liberatorem per Spiritum S. amant; lubentes enim legi obediunt, etſi totam rigide implere nequeant. Et jugum Chriſti portatu facile eſt, onuſque leve, *Matth.* 11: 29, 30. reſpectu oneris a Moſe Iſraelitis impoſiti, *Act.* 15: 10.

33. תמימים τέλειοι, ὁλόκληροι, *perfecti, integri*, ſunt homines omni ex parte ſibi ſimiles, præditi candore & ſimplicitate cordis, cunctorum Dei præceptorum ſtudioſi, tamen a vitiis haud prorſus immunes, Noæ, Zachariæ, exemplo, *Gen.* 6: 9. *Luc.* 1: 6. 20. & Ezechiæ, *Eſai.* 39: 2.

34. Qui ex Deo natus eſt, non peccat, 1 *Joh.* 3: 9. at hac in vita nondum ſumus toti ex Deo regeniti, dum corruptæ carnis reliquiæ ſuperſunt. Sponſa Chriſti tota eſt pulcra, *Cant.* 4: 7. nam Dominus eam facit ſanctam, purgatque lavacro aquæ, futuram in altera vita ſine maculis & rugis, *Eph.* 5: 26, 27. & nunc maculas pallio juſtitiæ ſuæ tectas non videt, *Eſai.* 61: 10.

35. Hæc autem doctrina non patrocinatur ignaviæ Chriſtianorum in ſanctitate nihil aut parum proficientium: etſi enim in hac vita metam perfectæ ſanctitatis contingere nequeamus, ad eam tamen omni ſtudio eſt contendendum, *Philip.* 3: 12-14. 2 *Petr.* 1: 5-8. & excutienda ſocordia.

CAPUT VIII.

De bonis operibus.

1. FRuctus ſanctitatis ſunt opera bona, *Matth* 5: 16. *Eph.* 2: 10. quorum frequens repeti-

tio

tio appellatur ἀρετὴ, *virtus*, *Philip.* 4:8. 2 *Petr.* 1:
5. Conf. 1 *Petr.* 2: 9. Eſt vero opus bonum, actio facta congruenter legi Dei ad illuſtrandam ejus gloriam: ſicut opus malum eſt actio legi divinæ contraria.

2. Bona opera ſoli faciunt regeniti, *Matth.* 5: 17, 18. & *c.* 12. 33-35. ut irregeniti mala, licet externa honeſtate velentur; nam provenire debent ex corde puro, conſcientia bona, & fide non fucata, 1 *Tim.* 1: 5. *Joh.* 14:15. 23. 24. *Act.* 15: 9. *Rom.* 14: 23. & patrantur virtute Spiritus S. *Galat.* 5:22.

3. Neceſſaria ſunt adeo, ut ſine iis nemo ſit Dei filius & heres vitæ æternæ; aut certus fidei & electionis ſuæ; aut membrum Chriſti & Eccleſiæ. nam filius amat honoratque Patrem obediendo; & in cœlum nulli admittuntur impuri, *Apoc.* 21:8. 27. & fides eſt per charitatem efficax, *Galat.* 5: 6. *Jacob.* 2: 18. 20. elegit quoque nos Deus ut eſſemus ſancti & inculpati, *Eph.* 1: 5.

4. Chriſtus ſanctiſſimus eſt: ergo qui peccatis delectantur, ſunt ei omnino diſſimiles, nec poſſunt unum cum eo corpus conſtituere, 2 *Cor.* 6: 15. Eccleſia itidem eſt cœtus ſanctus, communionem ſceleſtorum horreſcens, mutuo ſeſe ad profectum in virtutibus excitans.

5. Calumnia eſt, nos bona opera contemnere velut ad ſalutem haud neceſſaria: etſi doceamus, propter opera bona Deum nos non cenſere juſtos: diligenter enim monemus, coronam juſtitiæ neminem ſine ſtudio ſanctitatis adipiſci. Via ſalutis à cauſſa recte diſcernitur.

6. Scriptores libri Concordiæ opera bona excludunt

eludunt ab articulo juſtificationis & ſalvationis: vehementer has improbantes phraſes: bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſine iis nemo poteſt ſalvari. Addunt nihilominus, Chriſtianos ſerio ad ſtudium bonorum operum hortandos, ut in vocatione cœleſti perſeverent. nam fide quidem ſervari ſalutem; at peccato fidem, juſtitiam & ſalutem amitti. *Cap.* de bonis operib. *Amſdorf*. opera bona ad ſalutem pernicioſa dixit.

7. Originem primam huic quæſtioni dedit controverſia de merito honorum operum ab Eccleſia Romana ſub anathematis pœna commendato, & vel ex *congruo*, vel ex *condigno* arceſſito: cujus fundamentum ſit libertas merentis, qua poſſit actionem meritoriam aut facere aut intermittere.

8. Meritum de congruo fundant in dignitate operis & gratia præveniente præſtiti, & ſimplicem promiſſionem (ſine pacto) habentis: meritum de condigno in dignitate operis ex gratia conſummante facti, & in pacto Dei. Cæterum merita omnia derivant ex gratia gratis data, ut evincant, conſiſtere ea cum gratia & miſericordia Dei poſſe.

9. Opera bona vitam æternem de congruo mereri ſtatuit *Durandus*, de condigno poſt Thomam *Bellarminus*. eam enim nobis obtingere & hereditatis & mercedis titulo: infantibus merito perſonæ ut hereditatem; adultis merito perſonæ & operis ut hereditatem & mercedem.

10. Sanctum hominem poſſe & alteri gratiam primam mereri, merito congrui, non condigni, aſſeruit *Thomas*. at quæſtionem, num homo poſſit ſibe mereri reparationem poſt lapſum, *Thomas* ne-

gati *Bellar.* affirmat. Vult tamen Thomas, hominem merito condigni augmentum gratiæ & charitatis mereri ſibi poſſe. motionem enim moventis extendere ſe, cum ad progreſſum, tum ad ultimum terminum motus.

11. Tot errores luſuſque peperit ambiguus uſus vocis *mereri*, quam Veteres pro *acquirere*, impetrare adhibuerunt: bonoque ſenſu *merita ſanctorum* commemorarunt, quia Filii Dei promiſſa præmia fide & ſanctitate acquirunt; dona interim Dei conſtanter appellantes.

12. Meritum de congruo mutuati ſunt Scholaſtici a Semipelagianis, qui docentes, hominem prævia diſpoſitione ad credendum & voluntate ſua mereri gratiam Dei, tamen negarunt hanc Dei gratiam ſecundum merita hominum tribui.

13. At priſcæ Eccleſiæ Doctores huic errori ſerio obſtiterunt, ac demonſtrarunt abunde, gratiam Dei noſtris virtutibus, vel bonis operibus, eſſe priorem; hominemque lapſum nec meritis operum, nec libero arbitrio reparari. nec merebitur mortuus unquam ut revivat.

14. Sine dubio gratiæ partes & gradus arcto cohærent nexu: ut ſapiens fiat quoque ſanctus; & ſapiens ac ſanctus indies in utraque virtute proficiat. Etiam gloria futuræ vitæ certo ſequitur gratiam, vel dona Dei quæ nobis in vita præſenti impertitur. *Habenti dabitur, Matth.* 13: 12.

15. Sed vinculum hoc non nectit humanarum actionum, quantumvis bonarum, præſtantia & dignitas; verum immenſa Dei benignitas jam colligavit ab æterno, opus bonum in nobis inchoatum continuare & conſummare volentis; ſicut & crea-

tionem

tionem mundi per gradus ad finem perduxit.

16. Qui vere meretur, præſtat opus indebitum, ſua virtute, tantum ei, de quo bene meretur, afferens commodum, quantum ind eexpectat ipſe. at homo titulis multis obligatur ad præſtandum opera bona, *Luc*. 17: 9, 10. & boni quicquid agit, Dei, non propriis agit viribus, 1 *Cor*. 4: 7. & Deus in ſe beatiſſimus, nullum e ſanctitate noſtra emolumentum, vel beatitudinis incrementum capit.

17. Libere, i. e. ſponte, non coacti, aut metu perterriti, bona patramus opera: tamem voluntas noſtra, quoniam eſt a Deo creata, obligatur ad faciendam Creatoris voluntatem, & conſequenter ſuo fungens officio mereri nihil poteſt. magna etiam cum libertate poſtulamus a Deo vitam æternam, *Hebr*. 4: 16. 1 *Petr*. 3: 21. freti non proprio merito, ſed Dei miſericordia, *Dan*. 9: 18. qui Sponſoris obedientiam reſpectat.

18. Hoc pacto qui Deum rogat vitam æternam, ea dignus eſt, *Apoc*. 3: 4. 2 *Theſſ*. 1: 5. *Luc*. 20: 35. nam abnegat juſtitiam propriam, quam ſectans fit regno Dei indignus, *Act*. 13: 46. ſed qui in nomine Chriſti beatitudinem petit, eum Pater exaudit, *Joh*. 16: 23.

19. Alias enim neque calamitates conſtantiſſima patientia toleratæ, *Rom*. 8: 18. neque omnes noſtræ virtutes ſunt dignæ gloria nobis parata; hæ enim multis adhuc vitiis laborant, *Eſai*. 64: 6.

20. Dum vero Deus gratiam & gloriam liberaliter nobis confert, ſimul juſtus eſt. nam א. juſtum eſt, ut Pater Filio ſervet promiſſum de nobis ſalvandis propter ipſius obedientiam, ב. ut credenti-

Digitized by Google

bus promiſſa exequatur. unde vita æterna vocatur *merces*, *Matth.* 5: 12. quia præmium eſt ex gratia Dei tributum, *Rom.* 4: 4. & perfectiſſima Chriſti obedientia promeritum.

21. Heredes Dei ducuntur à Chriſto in regnum gloriæ propter exercitam in pauperes miſericordiam: quia præſtiterunt conditionem, ſine qua non datur introitus in vitam æternam, cujus petendæ jus Chriſtus ipſis meruit, *Matth.* 25: 34. in charitate enim erga pauperes teſtantur amorem erga Chriſtum.

22. Peccata merentur ſempiternam mortem, quia ſunt contra Dei legem, ſeparantque nos à fonte vitæ: at bona opera non ſimiliter merentur gloriam cœleſtem, quia ſunt multis ex partibus imperfecta; lex vero nemini addicit vitam niſi perfecte obedienti.

23. Juſto judicio unicuique Deus reddet ultimo die ſecundum opera ſua, *Rom.* 2: 5, 6. 2 *Cor.* 5: 10. piis vitam æternam, impiis cruciatus perpetuos: at bonorum operum non niſi gratuitum erit præmium, dandum precantibus veniam pro mercede, *Pſ.* 130: 3, 4. *Pſ.* 143: 3.

24. Bona opera, quibus gratuita merces promittitur, ſunt officia omnia partim Deo ipſi, partim hominibus præſtita, congruenter legi de amando Deo & homine nobis proximo.

25. Officia adverſus Deum conſiſtunt in attento, diligenti & caſto illius cultu, privato & publico, quo teſtamur, nos & noſtra omnia abſolute à ſupremo Numine dependere; quo & virtutes Dei annunciamus & laudamus. huc præſertim pertinent

nent fervidæ *preces*, quibus Deo & gratias agimus pro beneficiis acceptis, & neceſſitates noſtras porro Ei commendamus, *Matth*. 7: 7. *Rom*. 12: 12.

26. *Jejunium* non tam eſt opus bonum, quam ejus adminiculum; medium præparandi mentem ad colendum Deum, ad fundendas preces, atque ad ſignificandum dolorem ex commiſſis peccatis perceptum. Proinde non eſt alligandum ad ſtata tempora, ſed iis inſtituendum occaſionibus, quibus ſingularem fervorem in precando, attentionem in cultu, & mœſtitiam in calamitatibus ac periculis, publicis & privatis, teſtificari decet.

27. Inter officia hominibus aliis debita eminent charitatis opera, exercita erga pauperes, & omnes ſolatii vel auxilii noſtri indigos, Hebræis צדק dicta, nam qui non amat fratrem oculis objectum, an amabit Deum quem non videt? 1 *Joh*. 4: 20, 21. miſericordiam non exercens immiſericorditer judicabitur, *Jacob*. 2: 13.

28. Pontificii precationi, jejunio & eleemoſynis tribuunt meritum & vim ſatisfaciendi pro peccato: tamen preces ſunt teſtimonium tenuitatis noſtræ; ſtipem egenis debemus de ſuperfluo, & jejunantes modo nos ad Deum colendum paramus: quæ porcul a dignitate meriti abſunt.

29. Nebucadnezar jubetur peccata ſua non λυτρῶσαι *redimere* juſtitia, uti Græci reddunt, ſed פרק *abrumpere*, innocentes porro non opprimendo, juſte regnando, & pauperes miſerando.

30. Miſericordia & veritate Dei Liberatorem promittentis, ac dantis, redimitur iniquitas, *Prov*. 16: 6. non humano affectu quo pauperum miſe-

 remur:

temur: qui & ſenſus ſit dicti a Græcis Hebræo codici inſerti: *per miſericordiam & fidem purgantur peccata, Prov.* 15: 27.

31. Judæi debebant bonis terreſtribus, quibus injuſte abutebantur, Gentilium ſibi amicitiam parare, ut Cananæa expulſi fierent cives regni Dei, inter cæteras gentes propagati, *Luc.* 16: 9. quo probatur, liberalitatem pertinere ad communionem ſanctorum obtinendam, non item ad peccata expianda.

32. Preces & ſtipes Cornelii adſcenderunt ad memoriam Dei, *Act.* 10: 4. quia Deo gratæ ſunt, licet careant virtute merendi, aut pro delictis faciendi ſatis. Phariſæorum avaritia & hypocriſis redarguitur à Chriſto monente, per datam ſtipem vaſa ipſorum mundari, *Luc.* 11: 41.

33. Jejunium, quatenus eſt teſtificatio pœnitentiæ, facit ad avertendum plagam temporalem: nam pœnitentibus veniam Deus benigne promittit, ac dat, *Jon.* 3: 5. ſeqq.

34. Orationem quid mereri, erat Phariſæorum præſumtio, *Matth.* 6: 5, 6. ſed nemo ſanus mendicum petitione mereri ſtipem dixerit. tardi ad precandum, ob cogitationes diſtractas terræque adfixas, culpam contrahimus novam, veterem haud eluimus.

CAPUT IX.

De Conſtantia beneficiorum Chriſti.

1. DOcet Reformata Eccleſia, homines illos, quos Deus ex miſeria potenter in ſtatum

gratiæ

gratiæ tranſtulit, etſi aliquando ſuperentur a peccato, tamen a Deo relevari & cuſtodiri, ut in peccato manere & interire nequeant. In Scholis dicitur *perſeverantia ſanctorum*, a Veteribus Semipelagianis, ab Eccleſia Romana, a Socini & Arminii ſecta, invidioſe traducta.

2. Scriptores *libri Concordiæ* agnoſcunt, Deum opus bonum in nobis inchoatum, velle conſummare, modo ne ipſi nos a Deo avertamus: atque ſubjungunt, Deum cuſtodire ſalutem noſtram, quam carnis malitia & infirmitate, aut Diaboli inſidiis facile perderemus.

3. Qui diſſentiunt a nobis, tamen fatentur, officium eſſe credentium, ut ſtudeant in fide & ſanctitate perſeverare; perſeverantiam eſſe poſſibilem, & quoſdam actu perſeverare: non dari autem omnibus perſeverantiæ donum, qui gratiam credendi & bene operandi accipiant. amitti poſſe, & recuperationem incertam. certam perſeverantiam Chriſtum nemini meruiſſe.

4. Defectionem ajunt fieri gradatim, humana negligentia, voluntate vel directa, vel indirecta, Deo fidem noſtram vi omnipotente haud conſervante: fideles *incipientes* facile, *proficientes* difficilius, *adultos* difficilime induci, ut deficiant; deficere tamen omnes poſſe.

5. Doctrinam noſtram traducunt velut inimicam præceptis de ſanctitate; juſtitiæ divinæ, item adhortationibus, comminationibus ac promiſſionibus de officio perſeverandi: faciunt ſecuritatis matrem, religionis deſtructricem: ad conflandum Reformatis imperitorum odium.

6. Id vero docemus: Deum, uti ab æterno quoſdam nominatim elegerit ad ſalutem fide ſancta impetrandam, ſic & illos ipſos elegiſſe ad perſeverandum, & propterea cuſtodire in tempore, ne fidem amittant, ac renovare ad reſipiſcentiam, ſi quando in peccata, etiam gravia, prolabuntur, ut paratam iis beatitudinem certo conſequantur.

7. Eo ſcil. ſtatus integritatis differebat à ſtatu gratiæ, quod Adamus integer potuit mutari, & perdere felicitatem, in qua erat conditus: quos autem Deus miſericors è miſeria in regnum gratiæ collocat, eoſdem ad vitæ finem uſque conſervat ac tuetur.

8. Cauſſa tamen perſeverantiæ nec eſt bonus liberi arbitrii uſus, nec firmitas habitus fidei & ſanctitatis, ſed potens Dei cuſtodia, 1 *Petr.* 1: 5. facientis, ut ejus amorem & timorem, quo ſemel imbuti ſumus, nunquam penitus è corde noſtro excutiamus. ſi qui perſeverant, ſunt filii & heredes Dei, cum Chriſto & Spiritu S. intime juncti.

9. Quos enim Deus Pater præhovit ac prædefinivit, eoſdem & vocavit, & juſtos declaravit, & gloria ornavit, *Rom*. 8: 30. nam fidelis eſt Dominus qui ſtabiliet nos, tuebitur à malo, 2 *Theſſ.* 3: 3. quippe qui electos dedit Filio peculium, *Pſ.* 2: 8. *Joh* 17: 6. neque per juſtitiam & veracitatem ſuam, & amorem erga Filium pati poteſt, ut ejus hereditas alienetur, vel ulla parta minuatur: quo & Chriſtus in curriculo obedientiæ, ſtatuque humili ſe eſt ſolatus, *Pſ.* 16: 5, 6. *Eſai.* 49: 4. *Joh.* 10: 29. Ipſe datos a Patre cuſtodit, ut ex iis nemo pereat, *Joh.* 17: 12.

10. Quos

10. Quos dilexit, ad uſque finem diligit, *Joh.* 13: 1. rogans Patrem, ut ſervet eos à malo, *Joh.* 17: 15. ne fides eorum deficiat, *Luc.* 22: 32. ſemperque exauditus, *Joh.* 11: 42. promittit, oves ſuas perditum non iri, *Joh.* 10: 28.

11. Dilecti a Patre & Filio obſignantur Spiritu promiſſionis, *Eph.* 1: 13. & *c.* 4: 30. qui eſt ערבון *arrhabo* in cordibus noſtris, 2 *Cor.* 1: 22. fons aquæ ſalientis in vitam æternam, *Joh.* 4: 14. & *c.* 7: 38, 39. unctio, 1 *Joh.* 2: 27. ſemen Dei in nobis manens, 1 *Joh.* 3: 9. primitiæ futuram meſſem certo arguens, *Rom.* 8: 23.

12. Itaque electi nequeunt ſeduci, *Matth.* 24: 24. vel ab amore Dei in Chriſto Jeſu ſeparari, *Rom.* 8: 38, 39. aut avelli à corpore Chriſti cujus membra ſunt, *Coloſſ.* 2: 19. in quibus Ipſe vivit, *Galat.* 2: 20. habentibus vitam cum Chriſto reconditam in Deo, *Coloſſ.* 3: 3. in Chriſto vita, & vita lux hominum, *Joh.* 1: 4.

13. Nam teſtamentum Dei, quo heredes ſcripti ſunt, eſt jure jurando confirmatum, nullique tranſpoſitioni obnoxium, *Hebr.* 6: 17, 18. & fedus cum iis pactum, perpetuum, *Eſai.* 54: 10. nunquam recedente a filiis Dei gratia: atque vocatio & dona Dei ſunt talia, ut eorum Ipſum pœnitere non poſſit, *Rom.* 11: 29.

14. Quotquot vero leguntur à fide defeciſſe, *Matth.* 13: 21. & à nobis exiiſſe, illi non erant ex nobis, 1 *Joh.* 2: 19. facientes enim naufragium circa fidem, 1 *Tim.* 1: 19. ea nondum potiti ſunt, ſicut nec portum contigit is, qui prope illum naufragium patitur. David, Salomo in gravia lapſi delicta, reſipuere.

15. Hebræi quibus, ſi prolabantur, ſpem reſipiſcentiæ omnem Paulus præſcindit, Jeſum Chriſtum haud amarunt, nec fiduciam in eo ceu ſalutis & juſtitiæ auctore collocarunt, communibus modo donis, ex ſe non ſalutaribus, inſtructi, *Hebr.* 6: 4, 5. radicem, Dei & veritatis amorem, non habentes, *Luc.* 8: 13. *Matth.* 13: 20, 21.

16. Tales poſſunt per agnitionem Domini effugere inquinamenta mundi, & de novo iis implicari, quia carnis cupiditatibus laſcivis ducuntur, & corruptioni ſerviunt, fontes aqua Spiritus S. carentes, 2 *Petr.* 2: 17. ſeqq.

17. Humanæ voluntatis inſtabilitas non pugnat cum perſeverantia ſanctorum: eos enim qui naturæ vitio inconſtantes ſunt, gratia Dei ſtabilit: unde & ad hortationes ad perſeverandum ſunt medium, nos cuſtodiendi in via ſalutis; & qui cum timore & tremore in ea ambulat, *Philip.* 2: 12. lapſum facilius ac certius evitat, quam qui ſecurus ingreditur: ut Petrus ſibi confidens ancillarum quæſtionibus concidit.

18. Expoſiti ſumus inſidiis Diaboli, cingimur carne peccati, tentamur ac ſæpe allicimur pravitate mundi: ſed virtute Chriſti omnes ſuperamus hoſtes noſtros, pugnam certantes bonam.

19. Ita qui momento I. II. & III. recte credunt, IV. autem, V. & VI. dubitant, vel aliter peccant: tamen momento VII. à Spiritu S. rurſum aguntur, opus ſuum, ad breve tempus intermiſſum in nobis repetente, donec momento VIII. abſoluto vitæ hujus curriculo, in gloriam immutabilem recipiamur.

20. Ne-

Digitized by Google

20. Neque vero fluctuat aut delinquit regenita mens; ſed lex peccati in membris, peccatum inhabitans, reliquiæ naturalis corruptionis, mentem ſive inſciam, oſcitantem, improvidam, ſive invitam, a tramite recto avertunt, *Rom*, 7: 17. ſeqq. nam homo internus delectatur lege, vſ. 22. & qui ex Deo natus eſt, haud peccat, 1 *Joh.* 3: 9.

CAPUT X.

De Conſcientia Salutis in Chriſto partæ.

1. UNicum reſtat beneficium hujus vitæ conſiderandum, conſcientia ſalutis, dicta in Scholis *certitudo ſubjectiva*, quam acriter impugnat Romana Eccleſia, cujus quia religio fundat juſtitiam propriam, fideſque eſt ignorantia, conſolatio non poteſt niſi in metu & dubitatione verſari.

2. Hinc execratur ſperantes, ſe certo in via ſalutis manſuros: niſi quibus id ſingulariter ſit patefactum à Deo, *Concil. Trid.* Seſſ. 6. c. 9. atque fingit ſecundum Proteſtantes, ad conſequendam ſalutem æternam eſſe neceſſarium, ut quis credat ſe electum, & peccatorum venia potitum, *Can.* 13.

3. In eo tamen concilio *Catarinus* & *Marinarus* diligenter diſputarunt, juſtos poſſe ſalutis ac juſtitiæ ſuæ certos eſſe, nam opertere eos Deo agere gratias de his beneficiis, quæ niſi nos accepiſſe ſciamus, grato recolere animo nequeamus. *Suav. Polan.*

4. *Bellarm.* conqueſtus, nos certitudinem fidei cum certitudine fiduciæ confundere, putat con-

conjecturam de ſalute ſufficere ad animum pacandum, & poſt laudatos plures Scholaſticos ſtudet demonſtrare, neque poſſe, neque debere nos eſſe certos ſalutis, neque expedire ſi certi ejus reddamur: & præſertim perſeverantiam in bono incertam *l.* 1. *&* 2. *de juſtif.*

5. Arminiani fatentur, poſſe hominem certum eſſe ſalutis, non tamen abſolute, verum ſub conditione perſeverantiæ ad finem: vel, certo ſcire poſſe quod in gratia jam ſit, vix autem quod in ea ſit perſeveraturus: nam perſeverantiam nemini promiſſam; imo juſtum a juſtitia deficere poſſe.

6. Sententia noſtra huc redit: א. Chriſtiani eſt officium, ut ſtudeat fieri certus gratiæ in Chriſto. ב. ſedula & circumſpecta ſtatus ſui inveſtigatione poteſt reddi certus divinæ gratiæ. ג. non tamen ſemper afficitur ſenſu beneficiorum Chriſti, ſed quandoque dubitat, angitur, mœret. ד. at hæc fiduciæ imbecillitas, angorque mœſtus & ſolatii expers, neminem cœlo excludit, verum deſiderium beatioris vitæ accendit.

7. *Primo* ipſa rei natura docet, omnibus incumbere Chriſtianis, ut diligenter juxta & prudenter inquirant in ſtatum ſuum: non aliter ac mercatores mercaturæ, & Patresfamilias familiæ rationes frequenter inire debent. verſantes enim in ſtatu malo oportet dare operam ut cito in meliorem transferamur, quod diſpoſitionis noſtræ ignari facere omittimus, ſummo cum periculo.

8. Collocati autem in bono ſtatu Deum pro accepta gratia laudare debemus, 1 *Petr.* 1: 3. & rogare ut nos in eo confirmet, *Pſ.* 17: 5. *Pſ.* 25: 4, 5.

ac

ac provide ambulare ne a tramite recto deflectamus ad errores peccati vel ſecuritatis, *Rom.* 11: 20. 1 *Cor.* 10: 12. *Eph.* 4: 1. & c. 5: 8. 15.

9. Et quod percipere ſolatium contra vitæ calamitates, & mortis terrores, poterimus, niſi in id incumbamus, ut ſalutis æternæ non modo participes olim, ſed & in præſens certi evadamus?

10. Hinc jubemur explorare nos ipſos, tentare, probare, 1 *Cor.* 11: 28. 2 *Cor.* 13: 5. & præſtare ſtudium perveniendi ad plenam ſpei perſuaſionem uſque ad finem, *Hebr.* 6: 11. vocationem & electionem noſtram firmare, 2 *Petr.* 1: 10. fiduciam & gloriationem ſpei retinere firmam ad finem uſque, *Hebr.* 3: 5. 14.

11. *Secundo*, gratiæ in Chriſto partæ certiores reddi poſſumus, quia accipimus Spiritum S. arrham ſalutis, 2 *Cor.* 1: 22. *Eph.* 1: 14. & ſigillum liberationis, *Eph.* 4: 30. Is enim una cum ſpiritu noſtro teſtatur nos eſſe filios Dei, *Rom.* 8: 16. has vel ſimiles in eo cogitationes excitans: ſum Dei filius, heres vitæ æternæ.

12. Hinc charitas Dei effunditur in cordibus noſtris per Spiritum S. *Rom.* 5: 5. ut gloriemur ſub ſpe gloriæ Dei, vſ. 2. 11. ut exultemus gaudio ineffabili & glorioſo, 1 *Petr.* 1: 8. in Deo lætæ exultationis noſtræ, *Pſ.* 43: 4.

13. Certa methodus acquirendæ beneficiorum Chriſti conſcientiæ hæc eſt, ut ſedulo ſcrutemur 1. an admiſſa peccata ex animo doleamus, & in poſterum vehementer odiſſe velimus. 2. an credamus, Deum habere Filium, qui morte ſua veniam ſcelerum ſit meritus omnibus gratiam ab Eo petentibus,

Eum-

Digitized by Google

Eumque velut unicum & ſufficientiſſimum Liberatorem ſuper omnia diligentibus.

14. 3. An remiſſionem peccatorum propter meritum Chriſti ſtudioſe deſideremus, ac Deum in Filio miſericordem cupide amplectamur, & ſancte amemus, & recipi in ejus amicitiam ſubmiſse expetamus.

15. Latere nobis nequit, an peccata ſincere doleamus: dolorem enim ſentimus conſcii, uti & lætitiam: & recte dolemus, quando plorabimus, Deum benignum & Dominum ſupremum eſſe à nobis offenſum.

16. Similiter ſcitu facile eſt, an credamus, Deum habere Filium ſalutis auctorem; & num gratiam in Filio oblatam, cupidiſſime expetamus: nam qui credit in Filium, habet in ſe ipſo teſtimonium, 1 *Joh.* 5: 10. ſicut qui recipit ejus teſtimonium, obſignavit quod Deus ſit verax, *Joh.* 3: 33. obſignandus viciſſim ſpiritu veritatis.

16. Qui hac ratione fiunt certi, ſe vitæ anteactæ ſincera duci pœnitentia, & fide vera niti Christo Liberatore: ii tuto credere poſſunt, ſe accepiſſe primitias Spiritus S. habere juſtitiam in Chriſto, Dei eſſe filios, membra & fratres Chriſti, vivere in communione Dei, electos eſſe ad gloriam cœleſtem.

18. Nam 1. ſerius de peccatis dolor eſt fructus Spiritus S. corda noſtra purgantis a ſordibus vitiorum 2. quotquot eſuriunt & ſitiunt juſtitiam Dei, ſatiantur, eo nomine beati renunciati, *Matth.* 5. *Pſ.* 2: 12. qui enim in Filium credunt, non pereunt, ſed habent vitam æternam, *Joh.* 3: 16.

19. 3. Qui Spiritu Dei ducuntur, ſunt Filii

Rom. 8: 14. & ſicuti is, qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt Ejus, *Rom.* 8: 9. ita ex adverſo quiſquis Spiritum Chriſti habet, is Chriſti eſt.

20. ו. Simul & experiuntur, quod vivant in communione Dei, ſecundum promiſſionem Chriſti, *Joh.* 14: 23. ח. Hac procedentes via certi quoque ſimus, quod Deus ab æterno elegerit nos ad ſalutem: nam electionis effecta & ſigna, fallere neſcia: ſunt ſtudium ſanctitatis, fides in Chriſtum, juſtitia, Dei communio, *Rom.* 8: 30. *Eph.* 1: 4. 2 *Theſſ.* 2: 13. 2 *Tim.* 2: 19. ad quæ attendens non decipitur.

21. Veritatem fidei ſalutaris præſertim demonſtrant opera bona, *Jacob.* 2: 17, 18. uti bona arbor ex fructibus bonis dignoſcitur, *Matth.* 7: 16-20. fides enim per charitatem eſt efficax, *Galat.* 5: 6. & corda purgat ab inquinamentis peccati, *Act.* 15: 9. nam qui Deum amat, mundum & vitium non diligit.

22. Hæc omnia manifeſto confirmant exempla Sanctorum, qui conſcientia ſalutis in Chriſto Jeſu partæ exultarunt, & cum libertate ad ſolium gratiæ acceſſerunt, *Hebr.* 4: 16. Abrahami, *Gen.* 15: 1. Jobi, *Job.* 19: 25 27. Jacobi, *Gen.* 49: 18. Davidis, *Pſ.* 18: 2, 3, 4. Pauli, 2 *Tim.* 4: 7, 8. *Rom.* 8: 38, 39.

23. Fruſtra dicitur, Deum ſingulari iis privilegio revelaſſe, quod pertineant inter numerum filiorum & heredum Dei. nam de gratia Chriſti certiores facti ſunt per Spiritum S. quo omnes ſumus obſignati, 2 *Cor.* 1: 22. *Rom.* 8: 16. *Eph.* 1: 13. & per quem omnia ſcimus, 1 *Joh.* 2: 27.

24. *Tertio*, filii Dei non ſemper ſalutis ſuæ ſunt certi, ſed interdum plangunt, Deum ſibi adverſum

ſum queruntur, exemplo, *Jobi.* 6: 2-4. Davidis *Pſ.* 6: 3. 8 Aſſaphi, *Pſ.* 77: 8-10. tum ſcil. a Patre cœleſti exercentur in ſtudio patientiæ, ſubmiſſionis, reſipiſcentiæ ac precum.

25. Privantur ad tempus conſolatione, ne fiant ſecuri, aut ſervandæ hujus vitæ cupidi, ſed ut prudenter ambulent, & indeſinenter expetant ſenſum amoris Dei, antea forſan negligentius cuſtoditum, vel minus digne æſtimatum. Sanguis craſſus aliquando & mœroris angoriſque occaſio.

26. Domeſticis autem, vicinis aliiſque fati memorandi gnaris exemplo ſunt, quod intuentes diſcant metuere tela Omnipotentis, horreſcere peccata, expetere amicitiam ac gratiam Dei, & credere illa quæ de æterno impiorum apud inferos angore in S. Scriptura leguntur.

27. Unde *quarto* conſtat: anxiam iſtam triſtitiam non pugnare cum ſalute filiorum Dei, nam א. ea afficiuntur, non ut perdantur, ſed ut exerceatur, probeturque ipſorum fides, ſubmiſſio, patientia, & amor erga Deum. ב. medios inter angores edunt teſtimonia ſanctitatis, patientiæ: quandoque & ſpei, *Pſ.* 42: 9-12.

28. ג. Filio Dei ſimiles facti paſſionibus, cum eodem gloria cœleſti potienter, *Rom.* 8: 17. probatique accipient coronam vitæ promiſſam diligentibus Deum, *Jacob.* 1: 12. caſtigatio enim fructum tranquillum juſtitiæ affert exercitatis, *Hebr.* 12: 11. ד. ad ſalutem neceſſaria eſt fames & ſitis juſtitiæ Dei, *Matth.* 5: 6. quæ ipſa eſt fides ſalutaris. at conſolatio fidei eſt ſequela, non tamen perpetua.

29. Poteſt enim pia mens vehementer amare

Deum

Digitized by Google

Deum ac Jeſum Liberatorem, & ſimul ignorare & negare, quod Deum & Chriſtum diligat: poteſt gratiam Dei fervidiſſime, & ſuper omnia, deſiderare; fiduciam in Chriſto ponere, ac tamen dubitare, num vera ſit fiducia: donec elabitur tempus probandæ fidei.

30. At promittitur beatitudo expetentibus juſtitiam Dei, pauperibus ſpiritu regnum cœlorum, conſolatio lugentibus, *Matth.* 5: 3-6. recreatio fatigatis & oneratis, *Matth.* 11: 28. juſtitia plangentibus, *Luc.* 18: 13, 14. Deo cor contritum & confractum non deſpiciente, *Pſ.* 51: 19.

31. Non deſperandum ob infirmitatem noſtram; ſalutis enim fulcrum non eſt humanum robur, ſed gratia Dei in debilibus potens, quæ ideo ſufficere nobis debet, 2 *Cor.* 12: 9.

32. Salutem tamen cum timore & tremore efficere oportet, *Philip.* 2: 12. ubi τρόμος καὶ φόβος piam notat ſollicitudinem, ut 1 *Cor.* 2: 3. 2 *Cor.* 7: 15. *Eph.* 6: 5. ſtantem videre ne cadat, *Rom.* 11: 20. 1 *Cor.* 10: 12. facile enim impingit ac labitur, qui ſecure & imprudenter ambulat. neque timida hæc prudentia adverſatur lætitiæ, & ſalutis conſcientiæ, ſed eam parit, firmat & auget, *Pſ.* 2: 11. *Prov.* 14: 26, 27. *Eſai.* 33: 6.

33. Defectio a gratia Dei metuenda non eſt: nulla quippe res, ſupera vel infera, poteſt nos ſeparare ab amore Dei in Chriſto Jeſu, *Rom.* 8: 35. ſeqq. & Deus, cui credidimus, potens eſt conſervandi depoſitum noſtrum ad illam diem, 2 *Tim.* 1: 12. & qui cœpit in nobis bonum opus, perficiet uſque ad diem Jeſu Chriſti, *Philip.* 1: 6. *Hebr.* 13: 21.

34. Multitudo & magnitudo peccatorum non damnat reſipiſcentem, cui Deus omnia ſcelera & vitia condonat, Davidis, Manaſſis, & Petri exemplo probante, 2 *Sam.* 12:13. 2 *Chron.* 33:12,13. *Luc.* 22:61,62. ubi enim peccatum abundat, ibi gratia ſuperabundat, *Rom.* 5:20. *Pſ.* 103:3. *Pſ.* 36:6.

35. Convitium eſt, doctrinam de conſcientia ſalutis matrem impietatis & ſecuritatis eſſe: & nos ſtrenue peccantibus largiter promittere veniam & beatitudinem, modo in fine vitæ actorum ſe pœnitere fateantur. quiſquis enim ſperat ſe, eſſe Dei filium, purificat ſe, ſicut & Deus purus eſt, 1 *Joh.* 3:3. nec obliviſcitur, ſe purgatum a veteribus peccatis, 2 *Petr.* 1:9.

36. Nam ſenſus gratiæ gignit amorem & timorem Dei, gratiarum actionem, facitque, ut Deum ceu ſummum bonum rebus omnibus longe anteferamus, & celebremus ut unicum ſalutis noſtræ auctorem, & caveamus offendere, ne privemur conſolatione, vel repellamur ab ejus facie: quæ animi diſpoſitio procul à ſecuritate, ſuperbia, & fluctuatione abeſt. Et Paulus ſibi cavit, ne reprobus fieret, 1 *Cor.* 9:27.

37. Amorem & odium rerum ante nos poſitarum ignoramus, *Eccl.* 9:1. quia neſcimus, an quæ in præſens videmus, amaturi vel oſuri ſimus in poſterum. neque agit l. de ſenſu amoris vel odii Dei erga nos.

38. Non poſſumus gloriari, cor noſtrum in ſe eſſe purum, *Prov.* 20:9. quia ſumus natura immundi, *Joh*: 9:30,31. & c. 14:4. & c. 15:14-16. ſi autem in luce incedimus, ſanguis JeſuChriſti filiiDei purgat nos ab omni peccato, 1 *Joh.* 1:7.

39. Va-

Digitized by Google

39. Vane cauſſatur *Bellarminus* propoſitionem de ſalute hujus vel illius hominis, nec contineri verbo Dei, nec per evidentem conſequentiam ex eo deduci. nemini converſionem ſuam certo notam: cor hominis pravum & imperſcrutabile; ac multos ea ſibi tribuere, quæ non habeant, *l.* 3. de juſtif. *c.* 8.

40. Ut enim gratiæ Dei fiamus certiores, ſufficit promiſſio generalis, applicanda ſingulis credentibus poſt ſincerum & diligens ſui examen, quod equidem eſt inſtutitu difficile ob fallacias cordis, haud tamen impoſſibile, quia ſpiritus hominis novit quæ ſunt hominis, 1 *Cor.* 2: 11. maxime directus à Spiritu Dei.

41. Quia falluntur nonnulli præclare de ſe ſperantes, oportet ad certa attendere gratiæ divinæ ſigna, priuſquam nos pro filiis & heredibus Dei geramus; qualia ſigna ſunt dolor de peccatis ex amore Dei ortus, ſubmiſſio ſub Dei poteſtate, deſiderium remiſſionis peccatorum propter Chriſtum, ſtudium ſanctitatis.

42. Cæterum non miramur, ab adverſariis conſcientiam ſalutis tantopere oppugnari: nomen enim novum calculo albo inſcriptum novit nemo, niſi qui illud accipit, quia non vincit, nec edit de Manna abſcondito: Chriſtum è terra in cœlos receptum non habet pro pane vitæ, *Apoc.* 2: 17.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De conſervatione mundi ad exequendum gratiæ & iræ conſilium

1. ADamo & Eva lapſis, mundus non illico interiit, ſed adhuc conſiſtit; neque homo ipſe repentina morte periit, quam Legislator erat comminatus, ſed cum conjuge ad ſeros vixit annos, humanumque genus propagavit.

2. Hoc ſcilicet eſt conſilii gratiæ & iræ exercendæ effectum, quod Deus peccatorem longo fert & patienti animo. *Rom.* 2: 4. & ei tempus agendæ reſipiſcentiæ concedit, 2 *Petr.* 3: 9. 15. nam propter electos ſervatur mundus, & numero eorum completo finietur ſeculum præſens. Scite *Bechai*: בית המקדש קיום העולם, *domus ſanctuarii ſtabilitas mundi*, in *Gen.* 2: 7. ob Eccleſiam Dei domum conſiſtit terrarum orbis.

3. Dei virtute mundus durat; ut enim momento primo non extitit à ſe, ſed conditus à Deo fuit: ſic nec ſecundo & cæteris momentis à ſe exiſtere poteſt, verum a Deo conſervari neceſſe habet, *Act.* 17: 28. *Pſ.* 136: 6. *Nehem.* 9: 6. Et quemadmodum Deus Pater condidit mundum per Filium & Spiritum S. ita ipſum per Eoſdem ſervat, *Matth.* 11: 25. *Hebr.* 1: 3. *Coloſſ.* 1: 17. *Job.* 33: 4. *Eſai.* 40: 7. nam continuatio divini operis principio reſpondet.

4. Quo pertinet ſanæ Cabbalæ effatum: *non poſſe mundum perſiſtere ſine tribus Patribus, quæ ſunt tres Numerationes, miſericordia, judicium*

&

& clementia, atque ad Coronam ſummam, Sapientiam & Intelligentiam ſe habent uti corpus ad animam, Sepher Jezirah p. 149, 150.

5. Et ſicut Deus mundum creavit ſolo imperio, ita & ſolo imperio conſervat, *Pſ.* 33: 9. *Hebr.* 1: 3. eadem enim volitione, qua vult Spiritus perfectiſſimus, ut res exiſtant momento primo, eadem vult, ut reliquis exiſtere pergant.

6. Sunt autem res creatæ omnes vel corpora, vel ſpiritus, vel ſubſtantiæ ex corpore & ſpiritu conflatæ: ſpiritus ſunt immortales, & proin ſinguli eſſe perſeverant: ſed corporum aliorum genus, aliorum & ſingula individua conſervantur: ad demonſtrandam Dei cum libertatem tum potentiam.

7. Corpora, quorum individua ſervantur à Deo, ſunt cœleſtia, ſive ſidera: licet ex iis ſubinde quædem particulæ effluant, & novæ in earum locum influant. item cœlum ipſum, terra, mare, *Pſ.* 104: 5. *Gen.* 9: 22. *Pſ.* 89: 12. terreſtrium corporum individua quidem pereunt, ſed genera conſervantur, Deo nova individua producente, uti ſunt gramen, herba, arbores, fruges, *Pſ.* 104: 14. *Act.* 17: 24.

8. Idem accidit hominie corpore & ſpiritu compoſito: nam morientium parentum vices ſupplent liberi, vitam a Deo per eos accipientes, *Pſ.* 113: 9. *Pſ.* 127: 4. *Prov.* 23: 22. & hactenus parentum memoriam conſervantes.

9. Illa tamen ipſa corporum individua quæ intereunt, arbores, herbæ, &c. haud rediguntur in nihilum, ſed diſſolvuntur modo, eorumque particulæ procul a ſe invicem diſcedunt, *Pſ.* 104: 29. iterum forte jungendæ, quando Deus mundum a vanita-

te liberabit, *Rom*, 8:19-21. tempore reſtitutionis omnium, *Act.* 3:21.

10. Quod vero diſſolvuntur, fit Dei voluntate, originem & finem rerum deſtinantis, *Eſai.* 40: 7. unde liquet, humanæ vitæ terminum à Deo fixum eſſe, *Job.* 14:5. *Pſ.* 139:16. *Pſ.* 39:6. *Eccl.* 3:2. ut dimoveri nequeat: ſecus ac Remonſtrantes & alii opinantur, rerum omnium præſcientiam & prædeſtinationem impugnantes.

11. Etenim ſi omnes capilli capitis noſtri ſunt numerati, ut eorum nullus ſine voluntate Patris decidat, *Matth.* 10:30. *Luc.* 21:18. ecquis dubitet de numeratis ac definitis vitæ noſtræ diebus? Et quænam hora illa, quæ ſi nondum venit, mali nihil homini obvenire poteſt, *Joh.* 7:30. niſi immobilis vitæ terminus?

12. Quum piis promittitur vita longæva, *Exod.* 20:12. non intelligitur prorogatio termini a Deo conſtituti, ſed vitæ extenſio ultra metam, quam cauſſæ ſecundæ minantur. Et dies impiorum abbreviantur, *Pſ.* 55:24. quia non extenduntur ad communem humanæ vitæ terminum. & quindecim annos Deus addidit non ad terminum vitæ Hiskiæ ab æterno poſitum, ſed ad terminum à Profeta annunciatum, *Eſai.* 38:1. ſeqq. 2 *Reg.* 20:1. ſeqq.

13. Stultus mori dicitur ante tempus ſuum, *Eccl.* 7:18. quatenus vitam non producit eo, quo per naturæ curſum produxiſſet, ſi ſapuiſſet, non tamen moritur ante tempus a Deo ordinatum.

14. Media omnia, uti ſunt preces, alimenta & medicamenta, ſunt deſtinata ad conſequendum vitæ

Digitized by Google

vitæ terminum immobilem, eumque propterea non evertunt; & qui violentas ſibi manus inferunt, aut aliter fatum occupant, id faciunt ſecundum Dei decretum, *qui dedit illam horam, media, ac id mortis genus*, Luther. in Eccl. 3.

15. Porro ſicut Deus mundum creans voluit, non modo ut res exiſterent, ſed etiam ut operarentur ſecundum naturam ſuam; ita mundum conſervans vult quoque, ut eæ præſcriptæ legi convenienter operari pergant, *Act.* 17: 28. 1 *Cor.* 12: 6. *Eph.* 1; 11. & quia res creatæ ſunt cauſſæ vel neceſſariæ, vel liberæ, ideo vult, ut illæ neceſſario, hæ libere, id eſt, ſponte & lubenter agant.

16. Cauſſæ *neceſſariæ* ſunt corpora, ad unum operandi genus natura determinata, ut ignis ad urendum, ſol ad lucendum & calefaciendum, aqua ad irrigandum; ſingula autem effectum ſuum producunt voluntate Dei; cœleſtia, *Pſ.* 74: 16. *Job.* 38: 31-35. terreſtria, *Pſ.* 104: 14, 15. *Hoſ.* 2: 20, 21. aquoſa, *Job.* 38: 28. *Act.* 14: 17. *Pſ.* 104: 10, 11. Deus dat nivem, ſpargit pruinam, projicit glaciem, *Pſ.* 147: 16, 17.

17. Eventus qui vocantur *contingentes*, ut quod hodie pluat, tonet, ningat, ſunt neceſſarii reſpectu cauſſarum ſecundarum, a quibus dependent: atque certi & immutabiles reſpectu cauſſæ primæ per ſecundas operantis, *Levit.* 26: 4. 6. 19. *Pſ.* 104: 13. 32. *Pſ.* 18: 9, 10. 13-16. *Exod.* 19: 13-16.

18. Quando Deus vult, ut corpus motu ſuo non producat effectum, quem producere deberet ſecundum naturæ ſuæ leges, uti cum ignis non urit *Dan.* 4: 25. 32, 33. ferrum aquæ innatat, 2 *Reg.* 6: 6. leo non diſcerpit, *Dan.* 6: 22. dicitur patrare *miraculum* in mundo corporeo.

19. Cauſſæ liberæ ſunt ſpiritus & homines, quorum opera itidem voluntate Dei fiunt: a quo enim exiſtunt, ab Eodem & in operando pendent. Spiritus *boni* agunt ea, quæ a Domino in mandatis habent, *Pſ.* 91: 11. *Pſ.* 103: 10. *Dan.* 7: 10. *mali* ea, quæ Deus ipſis permittit, *Job.* 1: 12. 1 *Reg.* 22: 22. *Matth.* 8: 31.

20. Actiones hominum ſunt vel *naturales*, vel *artificiales*, vel *morales*, hæque aut bonæ aut malæ: ad claſſem actionum naturalium pertinent cogitare, loqui, ſedere, ſtare, comedere, dormire &c. quæ facimus utique Deo volente, *Prov.* 16: 1. *Prov.* 21: 1. *Exod.* 4: 11. *Pſ.* 139: 2-5. *Jerem.* 10: 33. *Jacob.* 4: 13.

21. Per actiones artificiales intelligo omnes, quas quis ex præſcripto opificii vel officii ſui agit, ut quum architectus domum ſtruit, pictor pingit, miles pugnat, Doctor docet, Rex regit. has omnes divinæ ſubeſſe providentiæ S. Scriptura teſtatur, *Exod.* 31: 3. 6. *Eſai.* 22: 11. *Pſ.* 127: 1, 2. 1 *Cor.* 12: 8-11. *Prov.* 8: 15, 16.

22. Opera *bona* efficiuntur à nobis virtute Dei, boni omnis auctoris & perfectoris, *Jacob.* 1: 17. *Philip.* 1: 29. *Philip.* 2: 13. *Hebr.* 13: 21. *Eph.* 2: 8. ut enim omne quod Deus fecerat, vidit eſſe valde bonum, *Gen.* 1: 31. ita quicquid poſt lapſum rurſus bonum fit, benigna Dei voluntate bonum recreatur.

23. Ut ſine offendiculo doceamus, quænam ſint vices providentiæ Dei in malis hominum actionibus, loquendum eſt ex S. Scriptura, dicente: Deum permittere malum, *Pſ.* 81: 13. *Act.* 14: 16.

po-

Digitized by Google

potenti conſilio aut voluntate definire, *Act.* 2: 23. *Act.* 4: 28. jubere, 2 *Sam.* 16: 10, 11. peccatores indurare, *Exod.* 7: 3. & *c.* 10: 1. *Deut.* 2: 30. excæcare, *Eſai.* 6. 9, 10. tradere in ſenſum reprobum, *Rom.* 1: 28. praviſque cupiditatibus ad impuritatem, vſ. 24, 26. immittere efficaciam erroris, 2 *Theſſ.* 2: 11.

24. Quæ locutiones ſane plus notant quam meras actiones occaſionales, quas peccatum nonniſi per accidens ſequitur, uti exponit *Epiſcop.* Inſtit. l. 4. §. 4. c. 14. unde & Sociniani, Remonſtrantes, Pontificii ac duriores Lutherani clamant invidioſe: Reformatos Deum facere peccati autorem.

25. Sed an crimini nobis eſſe debet, ex Scriptura loqui & ſapere? non otioſam permiſſionem, ſed efficaciſſimos circa peccatum operandi modos innuente. an non ad ravim uſque monemus, decreviſſe Deum peccata amplificandæ gloriæ ſuæ cauſſa? ſanctam vero eſſe actionem, quæ fiat ad illuſtrandam Dei gloriam.

26. Eum contra haberi autorem peccati, qui vel peccet, vel peccatum jubeat: quod utrumque a ſanctiſſimo Deo longiſſime removemus: atque malam eſſe voluntatem, non qua quis malum vult, ſed qua male volumus, appetendo rem lege vetitam. nulla autem lege obligatur Deus ad peccatum impediendum.

27. Venditio Joſephi in Ægyptum fuit enorme ſcelus ex invidia à malignis fratribus commiſſum, Deo tamen tribuitur ab ipſo Joſepho, *Gen.* 45: 8. & *c.* 50: 20. quatenus erat medium familiæ Jacobi ſervandæ & in Ægyptum transferendæ, Ægyptique

à fame vindicandæ. ut *Epiſcop.* temere verba Joſephi reſtringat ad ſolam oblationem occaſionis opportunæ ad ejus cædem impediendam.

28. Et quid deteſtabilius ſuſpendio Filii Dei? tamen Pilatus, Herodes & Judæi fecere quæ ἡ χεὶρ καὶ ἡ βουλὴ Dei prius decreverant, ut facerent, *Act.* 4: 28. ubi parum refert, ſi βουλὴ reddatur *conſilium* aut *voluntas*: nam ſine voluntate conſilium non eſt. contigit ergo ſuſpendium Jeſu Chriſti ſecundum potens Patris conſilium, vel efficacem voluntatem. nam χεὶρ *manus* potentiam & efficaciam notat.

29. Nempe hoc in negotio Pater egit, quod æternum ipſius cum Filio pactum ſanctiſſimum poſtulavit ad juſtitiam & miſericordiam exercendam: Judæi autem & Romani fecerunt, quod impietas, odium, inimicitia & protervia dictavit. neque verba: *quaecunque manus & conſilium tuum prius definivere*, ſunt connectenda cum vocibus: *quem unxiſti*, ut vellet *Epiſcop.* nam hæc trajectio refellitur *Act.* 2: 23.

30. Cæterum ſi paſſio Filii Dei eſt a Deo definita: etiam actiones eorum, qui paſſionis hujus cauſſa ſunt, ab æterno definiverit Deus, neceſſe eſt. nam qui pati debet, ab aliquo patiatur oportet. Et ſacræ literæ prædixere mortis Chriſti autores, locum, tempus, modum: igitur & ipſas circumſtantias Deus prædefinivit.

31. Ita convicium, Davidi a Semejo dictum, ſpectari poteſt vel ut fructus maligni & rebellis animi, vel ut medium probandæ pii Regis patientiæ & modeſtiæ. ſenſu priore eſt ſcelus Semeji, ſenſu po-

ſteriore

ſteriore effectum divinæ voluntatis, 2 *Sam.* 16:10, 11. Peccavit Abſolon concumbens cum pellicibus patris, ſed ejus laſcivia punivit Deus adulterium & cædem Davidis, quæ contra Uriam admiſerat, 2 *Sam.* 12: 11, 12.

32. Falſo ait *Epiſcopius*, permiſſionem eſſe efficacem impulſionem ad peccandum. impellere enim eſt hortari & allatis argumentis ſuadere, ut quis peccet: quod a decreto & à permiſſione plurimum differt, etſi nequit intelligi permiſſio ſine actu volendi, per ſolam negationem aut privationem.

33. Actiones, quibus circumſcribit Dei providentiam circa malum, antequam fit, puta Legislatio, conſervatio virium, atque admonitio ad vitandum peccatum, non ſufficiunt. nam & Scriptura ſuperius §. 23. plures memoravit, & hac ratione peccatum a decreto Dei omnino eximitur.

34. Peccatum, dum fit, dirigitur & determinatur à Deo, ſed efficaci voluntate; quam ſi cum libertate hominis conciliare nequimus, cogitemus, & Davidem hujus rei cognitionem rapuiſſe in admirationem, *Pſ.* 139: 5, 6. & multa ſimul conſiſtere, quæ finita mente componere non poſſumus.

35. Caſus fortuiti, qui cauſſis ſecundis præter intentionem eveniunt, certo fiunt Dei voluntate, uti ſortitio, *Prov.* 16: 33. proinde non adhibenda niſi in rebus arduis, *Act.* 1: 24, 25. item cædes forte commiſſa, *Exod.* 21: 13. occurſus arietis, *Gen.* 22: 8. 13, 14. urſorum pueros dilacerantium, 2 *Reg.* 2: 24.

36. Quod ſi mens noſtra intelligit aut vult id, quod per leges naturæ ac ſtatus ſui intelligere aut

velle

velle nequit, Deus in mundo cogitante miraculum patrat, vel ut alii loquuntur, actionem facit *ſupernaturalem*: uti cum homo cæcus & pravus ſubito incipit Deum cognoſcere & amare.

CAPUT XII.

De mundi gubernatione.

1. Alter divinæ providentiæ actus eſt gubernatio mundi, quem Deus ita moderatur, *Prov.* 15:3. *Eſai.* 14:24. ut omnes actiones & eventus fiant pulchro ordine, *Eccl.* 3:11. 1 *Cor.* 14:33. ſtatuto tempore, *Eccl.* 3:1. ſeqq. *Act.* 14:16, 17. & tendant ad finem ſibi præfixum per media eo ducentia, *Eſai.* 10:6, 7.

2. Res *corporeas* gubernat Deus lege motuum, quam ab initio ſancivit, & deinceps ſervat, mobilia corpora ſecundum eam movens, *Job.* 38: 8-12. 19. ſeqq. *Pſ.* 104: 19. *Pſ.* 148: 7. ſeqq. *Prov.* 6: 6. 8. 1 *Reg.* 17: 4. *Jerem.* 8: 7. *Jon.* 2: 1. 11.

3. Quanquam interdum ab ea lege recedat, ut innoteſcat, ſe legis autorem & Dominum eſſe, uti cum Solis curſum ſtitit, *Joſ.* 10: 12. aut revocavit, *Eſai.* 38: 8. Vid. *c.* 11. §. 18. omnes enim res creatæ Creatoris arbitrio ſubſunt.

4. *Cogitantes*, præſertim homines, regit lege ab ipſis ſervanda, & promiſſionibus ac minis ſancita, *Rom.* 2: 14, 15. *Deut.* 26: 16. ſeqq. *Deut.* 30: 19. quam ubi violant, illorum delicta ad bonum finem ſancte dirigit, *Gen.* 50: 20. ac certis limitibus circumſcribit, *Job.* 1: 2. unde peccatores ſunt Dei inſtrumenta

ſtrumenta ad exercenda judicia ſua, *Eſai.* 10: 5. & 6. 7: 20.

5. Peccatum tamen ipſum neque finis eſt ullius eventus, neque medium quo finis efficiatur: ſed mera occaſio, qua Deus infinita ſapientia & bonitate ſua boni quid agit, uti e tenebris lucem producit.

6. Quandoque Deus pravas hominum cupiditates coercet, ut ne expleantur, aut peccatum animo cogitatum perpetretur, *Gen.* 20: 6. *Gen.* 31: 24. *Eſai.* 37: 33. ubi autem ſtulta gens mortalium recuſat legibus duci, & beneficiis intra officii terminos contineri, ex comminatione delinquentibus ſingulares vel communes plagas immittit, *Levit.* 26: 14. ſeqq. 2 *Sam.* 12: 11. ſeqq. *Eſai.* 45: 7. *Amos.* 3: 6. *Thren.* 3: 37, 38.

7. *Providentiam* Dei agnovit Pythagoras & Plato, Ariſtoteles uſque ad lunam. Epicurum negaſſe ajunt, Stoicos fato tribuiſſe omnia, cui ipſum implicuerint Deum. at Zeno Stoæ parens definivit Deum Ζῶον ἀθάνατον, προνοητικὸν κόσμȣ τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ, *Laert.*

8. Quicquid ſit de Philoſophorum opinione, ſentimus cum *Clemente* Alexandr. pœna dignam eſſe quæſtionem, an ſit providentia, l. 5. *Strom.* ubique in ſacris literis inculcata adverſus ſtultos, *Pſ.* 14: 1. *Pſ.* 10: 11. *Pſ.* 94: 7, 8-11. *Act.* 15: 18. *Pſ.* 33: 13-15. *Job.* 22: 13, 14.

9. Si potentiſſimus eſt Deus, oportet nihil potentiam ejus effugiat: ſi optimus, omnia ejus bonitatem experiantur neceſſe eſt: ſi perfectiſſimus, providebit mundo, nam ejus cura ad perfectionem pertinet.

10. Imo

10. Imo mundus eſſet perfectiſſimus, eoque Deus, ſi citra Dei voluntatem & providentiam durare, & operari poſſet. Et boves Deo curæ, *Exod.* 23. 4, 5. *Deut.* 22: 4. *Deut.* 25: 4. ſed ideo magis homines, 1 *Cor.* 9: 9.

11. Neque eſt infra Dei majeſtatem attendere ad minima, quod putavit Cotta apud *Cicer.* l. 3. de nat. Deor. nam uno, ſimpliciſſimo & perfectiſſimo actu curat maxima, mediocria, minima; paſſeres, capillos, *Matth.* 10: 29, 30. piſces, reptilia, *Pſ.* 104: 25-27. *Jon.* 2: 1. 11. aves, flores, *Matth.* 6: 26. 30.

12. Neque fatigat Deum providentia, *Eſai.* 40: 28. quæ labor non eſt, ſed omnipotens voluntas ejus, *Pſ.* 115: 3. *Pſ.* 104: 32. *Pſ.* 33: 9. præſentis rebus omnibus, *Act.* 17: 27. quibus utitur, quia vult, non quia indiget.

13. Equidem caſu multa fiunt & præter naturæ ordinem noſtris in oculis, non in oculis ſapientiſſimi Dei: quia maxima in rerum humanarum confuſione pulcherrimus regnat Dei ordo, magis ac belli duces regunt & ordinant duos exercitus, quorum cohortes, centuriæ & legiones commiſcentur hoſtiliter.

14. Piorum triſtitia, & impiorum læta fata, non pugnant cum Dei providentia, quod ipſi interdum ſancti cogitant anxie, *Job.* 21: 6. 15. *Pſ.* 73: 2. ſeqq. *Jerem.* 12: 1. ſeqq. nam quicquid adverſi piis accidit, in eorum cedit ſalutem, *Rom.* 8: 28. *Eſai.* 3: 10, 11. animuſque Deo contentus, ac ſummo bono lætus, præſtat omnibus fortunæ corporiſque bonis, quæ improbis ſunt laquei ad interitum capiendis, *Prov.* 1: 31, 32.

15. Quando inſontes cum ſontibus involvun-

Digitized by Google

tur iiſdem malis, recordandum eſt, coram Deo neminem eſſe innocentem, ipſiuſque judicia occultis probari rationibus, *Pſ.* 5 116. 16. *Pſ.* 143: 3. *Pſ.* 145: 17.

16. At ubi ſontes prætereuntur ad breve tempus, certo ſupplicii tarditas gravitate compenſabitur, quia abutuntur tempore ad agendam reſipiſcentiam conceſſo, *Rom.* 2: 4, 5. 2. *Petr.* 3: 9. 15. *Eſai.* 30: 18.

17. Admittimus *fatum*, quatenus eſt liberum Dei effatum de omnibus & ſingulis mundi eventibus, ſapienti ſupremi Rectoris ordinatione ſecum in vicem colligatis. *Zeno* definivit, αἰτίαν τῶν ὄντων εἰρομένην, ἢ λόγον καθ᾽ ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται *connexam rerum cauſſam, ſive rationem per quam mundus adminiſtratur.*

18. Et *fortuna* vel idolum, vel nihil eſt, vel Deus ipſe, mala ac bona, hominibus inconſultis, pro lubitu iis diſtribuens quibus vult, retineri vox poteſt ad deſignandos vitæ humanæ caſus fortuitos.

19. Corpus unum movet alterum; ergo cœleſtia agunt quoque in hæc ſublunaria, horumque effecta cum illorum motibus certo nexu cohærent, *Hoſ.* 2: 21, 22 etiam cogitationes mentis determinari ac mutari corporis noſtri motibus, conſtat. & hactenus agere in animum humanum aſtra, putarunt *Melanchton* & *Peucerus.*

20. Iſta tamen cauſſarum ſecundarum connexio haud eſt ex ſe neceſſaria, neque plene ab hominibus cognoſcitur, neque cauſſa prima illi implicatur. nam Deus eſt hujus ordinis auctor liberrimus, rerumque concatenatam ſeriem immutat quando vult, & vias ejus plerumque ignoramus. *Rom.* 11: 33.

21. Eſt

Digitized by Google

21. Eſt quidem ab æterno conſtitutus hic ordo, & licet nequeamus concipere animo momentum, quo non fuerit, clare tamen intelligimus, Deum pro libertate ſua potuiſſe ab æterno eum non ſtatuere.

22. Propter hanc rationem cauſſæ ſecundæ nequaquam timeri vel honorari debent, ſed omnis metus honoſque debetur cauſſæ primæ, *Matth.* 10:28. *Jerem.* 10:2. quæ vim ſecundis ſuppeditat, aut cum vult ſubtrahit, & agentium efficacias gubernat ac dirigit, vel reſtringit cum vult, *Peucer.*

23. Quando ere creata ſentimus voluptatem, amare oportet non id cujus occaſione Deus lætas in mente noſtra cogitationes producit, ſed Deum lætitiæ datorem: miſeri tamen pravique, contemta cauſſa *vera*, *occaſionalem* plerumque diligimus, ut Judæi, *Jerem.* 44: 17-19. Perſæ, *Daniel.* 6: 7.

24. *Cometa*, undecunque oriantur, præbent inſigne argumentum pietatis colendæ & reſipiſcentiæ agendæ: omnis enim veritas, ut intellectum illuminare, ſic voluntate povere poteſt ad Deum amandum.

25. Quid enim? nonne ſapiens, motens, dives eſt Deus, qui plura condidit opera, quam noſtris quotidie oculis ſubjiciuntur? & qui novum in cœlo monſtrat ſidus, nonne in terra novum poteſt facere opus ad nos puniendos, ſi in peccatis perduramus, aut beneficiis mactandos, ſi Creatorem veneremur?

26. Scholaſtici multa diſputant de *concurſu* quem in prævium & ſimultaneum, generalem & ſpecialem diſtinguunt, *prævio* Deus cauſſas ſe-

Digitized by Google

ſecundas ad agendum excitat, prædeterminat & applicat. *ſimultaneo* Deus in ipſas ſecundarum cauſſarum actiones influit.

27. Concurſu *generali* effectus non determinatur, uti Sol calore ſuo tam ad bovis quam ad hominis generationem concurrit, neque tamen nati hominis vel bovis cauſſa eſt. *Speciali* determinatur actio.

28. *Durandus*, ſeculi XIV. doctor, poſuit omnem Dei concurſum in conſervatione virium agendi: *Suarezius* tollit concurſum prævium. *Thomas, Suarez. Bellarm.* quos ſequuntur *Remonſtrantes*, tuentur generalem & indifferentem, à cauſſis ſecundis determinandum: ſaltem ratione mali *Arriaga* & *Raynaudus* non erubeſcunt concurſum Dei ſubjicere cauſſæ ſecundæ, apud *Rhetorfort.*

29. Reſp. *concurſus* vocabulum, celerem corporis cum alio motum notans, aptum non eſt declarandæ doctrinæ de providentia Dei. Et ſi dictiones Spiritus S. ſemper præſtant humanis, 1 *Cor.* 2: 13, quanto oportebit ſtudioſius inhærere verbis Scripturæ S. in argumento plurimis iiſque invidioſiſſimis difficultatibus obnoxio?

30. Quare ex illa repetimus, cauſſas ſecundas uti extiterint ab initio, & fecerint opus aliquod, per efficacem Dei voluntatem: ita porro durare, opusque meditari, decernere, ordiri, continuare, abſolvere, vel intermittere, ideo quia Deus velit, ut hoc agant, aut non agant.

31. Hominemque, & inferum Angelum, agere male, vel peccare negando perfectiones Creatoris, & obſcurando gloriam Dei: Deum autem

Digitized by Google

perfectiones ſuas aſſerere & oſtendere, ac gloriam poteſtatis, ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ illuſtrare & amplificare volendo, permittendo malum.

32. Profecto enim ſi cauſſa ſecunda poſſet opus moliri, aut facere, vi propria, ſine Dei voluntate, in eo à Conditore non dependeret, & ſecundo ac tertio & ſequentibus ævi ſui momentis perfectior foret ac primo, quo ad exiſtendum & operandum indiguit omnipotenti juſſu Dei.

33. Et ſecundas cauſſas à primæ voluntate eximere, primamque ſecundarum arbitrio ſubjicere, ſacrilegium & cultus idoli eſt. Actio aut voluntas Omnipotentis non poteſt eſſe inefficax: omnia ſcientis non ſine cognitione, liberrimi coacta aut neceſſaria.

34. An formare colubrum, *Job.* 26:13. ſubtrahere ſtillas aquarum, *Job.* 36:27. manibus lucem obtegere, *Job.* 36:32. nivem vocare, *Job.* 37:6. *Pſ.* 147:16, 17. ſoli ortum interdicere, & ante ſtellas viam obſignare, *Job.* 9:7. greſſus & ſermonem viri dirigere, *Prov.* 16:1. *Jerem.* 10:23. cor Regis inclinare eo, quo inclinans vult, *Prov.* 21:1. eſt generali influxu concurrere? imo eſt ſingulares producere ſingularum cauſſarum actiones.

35. Noli excipere, eſſe hæc naturalia cauſſarum ſecundarum, non moralia, eaque mala & vitioſa, opera. nam unicus eſt & ſanctiſſimus actus, quo Deus creat, conſervat, dirigit, definit, intelligit & vult omnia, maxima, media, minima; neceſſaria, libera, contingentia, fortuita; naturalia, moralia. Crede & ſape, tace & adora, dilige, nec murmura, treme, nec accuſa! Vas ne murmuret contra figulum!

36. Tem-

36. Tempus mundi conſervandi & gubernandi utique definitum eſt æterno Dei conſilio, *Act.* 17: 26. *Eccl.* 3: 1. ſed non expreſſum in S. literis, *Act.* 1: 7. *Marc.* 13: 32. Eliana traditio de mundo ſex mille annis duraturo, de annis bis mille vaſtitati, bis mille legi, totidemque regno Meſſiæ deſtinatis, in omnium verſatur ore.

37. Scil. ſex creationis dies adumbrant ſex millia annorum mundi conſervandi: nam mille anni coram Deo dies unus, *Becbai.* Nos de numero annorum ſecuri, dividimus totam mundi ætatem in tres articulos, *promiſſionis*, Teſtamenti *Veteris*, vel Legis, & *Novi*, ſeu regni cœlorum, Meſſiæ, *Hebr.* 13: 8.

38. Tempora V. & N. T. non eſſe ad unam conferenda periodum, Judæi & Chriſtiani conſentiunt, ex *Jerem.* 31: 31, 32. *Hebr.* 8: 9. Periodum promiſſionis ab ætate V. T. diſtinguit Paulus, hujus initium a pactione fœderis in monte Sina deducens, *Galat.* 4: 24. & ab Adamo ad Moſen numerans ævum, quo peccatum fuit quidem in mundo, non tamen exprobratum, *Rom.* 5: 13, 14. quod demum fecit Lex, *Deut.* 27: 26.

39. Et fœdus in Horebo initum cum Iſraële diſtat à pacto Dei cum Noa, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ſancito, *Deut.* 5: 2, 3. nam Lex 430. annis acceſſit poſt factam Abrahæ ex Harrane digreſſo promiſſionem, *Galat.* 3: 17. & licet eam promiſſionem non abolevit, tamen ſtatum populi Dei immutavit.

40. Primæ enim Eccleſiæ major erat lætitia & libertas, cultus Dei ſimplicior: & quanquam ex

paucis conſtabat membris, tamen ea ex omnibus ſine diſcrimine familiis, nationibus & populis colligebantur.

41. At ſeverus Dominus Iſraelitis, licet ſoli eſſent Dei populus, impoſuit onus portatu difficillimum, ſub quo gemuere, timuere, & dira ſæpe verba anxii audivere, *Jerem.* 31 : 32. *Hoſ.* 2 : 16. *Deut.* 7 : 6, 7. *Act.* 15 : 10. *Deut.* 27 : 26.

42. Uti conſervationis, ſic & gubernationis mundi ſcopus eſt executio conſilii gratiæ erga heredes Dei exercendæ : cujus diſtributio pro trium temporum diſcrimine facta, appellatur *οἰκονομία*, *Eph.* 1 : 10. ſimili deſumto à regenda familia, in qua Paterfamilias penſum laboris & victum pro cujusque modulo diſtribuit.

43. Secundum Judæos familia Dei eſt gemina, *ſuperior*, Angelorum, & *inferior*, hominum : eſt autem caput familiæ Deus, qui diſpenſatores conſtituit Doctores & Rectores Eccleſiæ, 1 *Cor.* 4 : 1. *Eph.* 3 : 2. *Coloſſ.* 1 : 25.

44. Gratia in domo Dei diſtribuenda eſt *ſalus*, *Act.* 15 : 11. ſed temporum rationibus, & fidelium captui accommodata, *Eph.* 1 : 10. 1 *Tim.* 6 : 15. 2 *Cor.* 6 : 2. penſum domeſticis præſcriptum eſt *cultus* Dei : cujus quidem objectum eſt ſemper idem, Deus Pater, Filius & Spiritus S. Ceremoniæ autem & ritus variant pro trium temporum varietate.

LI-

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

de Salute peccatoris in Chriſto tempore primo.

CAPUT I.

De Conſilii gratiæ executione per promiſſionem ab Adamo uſque ad Moſen.

1. QUanquam & conſervatio univerſi, & tolerantia benigna primorum parentum poſt lapſum, certum erant æterni gratiæ conſilii argumentum, homo tamen peccato ſtupefactus & excæcatus viam ſalutis nunquam inveniſſet, niſi clarius eam Deus demonſtraſſet. multæ enim gentes toleratæ in peccatis, ſed verbo ſalutari deſtitutæ, hac Dei benignitate ad ſalutem non perducuntur, *Rom.* 2: 4, 5.

2. Quapropter miſericors Deus, ſtatim à perpetrato peccato, patefecit in Paradiſo conſilium gratiæ erga nos exercendæ, æternumque teſtamentum, quo ſalutem nobis legavit, ut heredibus innoteſceret, prolato ſermone gratiæ, reſignavit: ignotæ enim hereditatis nullus aditus.

3. Sermo is vocatur ἐπαγγελία *promiſſio*, *Rom.* 9: 4. quia eſt futurorum bonorum annunciatio: προευαγγελισμὸς, *prædictio boni nuncii*, *Galat.* 3: 8. quatenus εὐαγγέλιον notat lætum nuncium de bono præſente, vel præſtito. tamen & Evange-

lium vocatur & eſt, quatenus in genere ſignificat annunciationem boni, *Hebr.* 4: 26. 1 *Petr.* 4: 6. Vulgo & ἐυαγγέλιον eſt liber hiſtoriam Jeſu Chriſti complectens, *Marc.* 1: 1.

4. Quum parentes liberos, præceptores diſcipulos de rebus arduis inſtituunt, ſermonem pro argumenti copia amplum in varias partes diſtribuunt, certa penſa certis temporibus præſcribentes animo comprehendenda: infantumque portio eſt compendium doctrinæ ex ſe copioſæ.

5. Ætate prima Eccleſia fuit infantilis, particulatim erudienda de hominum liberatione, *Hebr.* 1: 1. & primus gratiæ ſermo fiebat in Paradiſo ad Adamum & Evam pro tribunali Dei ſtantes, propagandus uſque ad diluvium, *Gen.* 3: 14, 15. ubi memoratur א. ejus ſermonis auctor. ב. argumentum.

6. Auctor eſt *Jehova Deus*, non homo ignarus conſilii divini, non Angelus creatus, ſed Deus ipſe, & quidem Dei Filius, Patris Sermo. *Joh.* 1: 1. *Eſai.* 52: 6. Atque primogeniti introductio in mundum, *Hebr.* 1: 6. eſt miſſio Filii in terram ad patefaciendum conſilium gratiæ homini lætæ concionis valde indigo.

7. Et *Facies Jehova Dei*, à qua ſe abdidit Adamus cum uxore, non eſt niſi Dei Filius, in quo Pater videtur, *Gen.* 3: 8. *Exod.* 33: 14. *Eſai.* 63: 9. *Joh.* 14: 9. *Hebr.* 1: 3. Chaldæo מימרא דיי אלהים.

8. Argumenti membra ſunt tria: א. condemnatio ſerpentis. ב. promiſſio Meſſiæ & ejus beneficiorum. ג. prædictio malorum, quæ Meſſias & liberandi in Meſſia toleraturi eſſent, Ipſe ad promerenda, hi ad conſequenda beneficia. Lemmate pri-

primo memoratur reus, culpa, ſententia condemnatoria.

9. Reus eſt *ſerpens ille* antiquus, ſpiritus malignus è ſerpente beſtia loquens. culpa *ſeductio* hominis & *criminatio* Dei, ſententia prædicit *execrationem* præ omni pecore, dejectionem in humum & pulveris eſum. *Luc.* 10:18. *Apoc.* 12:9. *Rom.* 16:20. *Eſai.* 65:25. *Pſ.* 72:9. *Mich.* 7:17. *Eſai.* 49:23.

10. Meſſias & ejus beneficia his promittuntur verbis: & *ponam inimicitiam* &c. ubi conſiderentur א. partes inimicæ. ב. inimicitia ipſa. ג. auctor inimicitiæ. ד. effectus inimicitiæ.

11. Partium inimicarum *una* eſt ſerpens cum ſemine ſuo, Diabolus cum malis Angelis, *Matth.* 13:25. *Luc.* 10:19. 1 *Petr.* 5:8. *Pſ.* 8:3. & hominibus impiis, Diabolum Patrem habentibus. *Matth.* 3:7. & *c.* 12:34. & *c.* 23:23. 1 *Joh.* 3:8-10. *Joh.* 8:44. quoniam is à principio peccati; at qui ex Deo natus eſt, non peccat.

12. *Altera* Mulier, Eva, itidem cum ſemine ſuo, Liberante & liberato, Sanctum faciente, & ſancto facto, *Hebr.* 2:11. Accipitur autem *Seminis* nomen paſſim pro fœtu, ſobole, *Gen.* 4:25. & *c.* 15:3. & 17:6, 7.

13. Primique parentes hac occaſione non potuerunt non cogitare de Liberatore Deo ac homine, deque hominibus ex miſeria liberandis. nam conterere caput ſerpentis, quod facit ſemen feminæ, eſt opus divinæ virtutis, *Eſai.* 9:6. *Rom.* 16:20. *Hebr.* 2:14. & ſi nulli homines liberarentur, nec Liberator foret, ſed Satanas plenum in genus humanum retineret dominium, inviolato capite ſuo.

 14. Ini-

Digitized by Google

14. Inimicitia inter Evam ac ſerpentem, & utriuſque ſemen, appellatur Hebraice איבה, voluntas deſtruendi eum, cum quo inimicamur, & plus eſt quam שנאה *odium*, averſatio communionis.

15. Modo egerat mulier cum ſerpente familiariter & amice, ſuaſionibus ejus obſequens: at porro cum ſemine ſuo proſequetur odio & inimicitia implacabili Satanam, ejus illecebras abominabitur, & opera abolebit: deceptam turpiter, & in caſum ab eo ſe datam ſentiens.

16. Auctor hujus inimicitiæ eſt ipſe boni nuncii præco, Filius Dei: *ponam.* homo enim ſuperatus à diabolo nequit virtute ſua ab ejus ſe imperio eximere, 2 *Petr.* 2: 19.

17. Effectus inimicitiæ eſt contritio capitis ſerpentis, *Eſai.* 27: 1. deſtructio poteſtatis Satanæ, 1 *Joh.* 3:8. *Pſ.* 8: 3. *Pſ.* 68:19. הוא *Ipſum conteret tibi caput:* Semen Liberans & liberatum, quatenus eſt cum ſemine Liberante unum; potens enim hoſtis nonniſi à potentiore vincitur, *Matth.* 12: 29.

18. Victo capite, Diabolo, triumphantur & reliqui hoſtes, peccatum, mors, & mundus impius, qui ad illius imperium pertinent, *Pſ.* 110:1. 1 *Cor.* 15: 54-56. *Joh.* 16: 33. *Eſai.* 49: 24, 25.

19. Pars tertia & ultima primæ concionis Evangelicæ eſt prædictio malorum, quæ cum Meſſias, tum liberandi in Meſſia toleraturi eſſent. *Et tu conteres ei calcaneum,* infliges vulnus, ſed non periculoſum, quia ſuperabuntur feliciter mala ob diaboli inimicitiam perferenda.

20. Recte ſtatuit B. *Lutherus*, brevi hoc ſermone contineri, quicquid Evangelium & religio Chri-

Digitized by Google

Chriſtiana complectitur. illo enim docetur, א. natura nos eſſe amicos Satanæ; ſed gratia Filii Dei hoſtes fieri.

21. ב. Evam habiturum Filium, qui regnum diaboli ſit deſtructurus, ac proinde futurus ſimul Deus & homo, haud naſciturus ordinariæ generationis lege. ג. Meſſiam habere populum, arctiſſime cum Eo conjunctum, ad quem amici Satanæ haud pertineant.

22. ד. Liberatorem eſſe conculcaturum caput ſerpentis, abolito peccato & morte; populum ſuum per Spiritum S. regignendo, à peccatis abſolvendo, vitaque æterna donando. ה. hæc tamen beneficia neque Meſſiam promereri, nec Ejus populum impetrare ſine paſſionibus, brevi duraturis.

23. Enochus ab Adamo ſeptimus prædixit adventum Domini ad judicandum ſemen ſerpentis, *Jud.* v. 14, 15. cum Noa ante diluvium pepigit Deus *fedus*, *Gen.* 6:18. ברית, quæ vox ſignificat & firmum ordinem, *Jerem.* 33:20. & propoſitum firmum, *Job.* 31:1. *Eſai.* 59:21. *Hoſ.* 2:20.

24. Fedus proprie dictum eſt mutua inter partes contrahentes conventio de præſtandis quibuſdam officiis, *Gen.* 14:13. & *c.* 21:23. Fedus Dei cum homine eſt declaratio divinæ voluntatis, recipiendi eum in communionem Ipſius, ſub certa conditione, in quam homo conſentit. Græcis ברית eſt διαθήκη, teſtamentum.

25. Poſt diluvium Deus Noæ & ejus filiis promiſit, ſe mundum non rurſus aquis vaſtaturum, *Gen.* 9:9-17. *Eſai.* 54:9. dato iride ſigno, Meſſiam monſtrante, *Apoc.* 4:3. & 10:1.

N 5 26. Sed

26. Sed & Noa prædixit infauſta Canaani, Chami filio: fauſta Japheto & Semo, *Gen.* 9: 25 - 27. illi multiplicationem ſtirpis; huic communionem cum Deo. *Benedictus Jehova Deus Semi.*

27. Quum iſtæ promiſſiones ſeculi malitia fere eſſent obliteratæ, Deus Abramum, Noæ ex Semo nepotem ordine decimum, ad ſui communionem novis invitat pollicitationibus, priores repetentibus & illuſtrantibus.

28. Prima agit de multiplicatione & benedictione ſtirpis ipſius, *Gen.* 12: 2, 3. ſecunda de danda Cananæa poſteris Abrami, mire multiplicandis, etſi tum liberis careret, *Gen.* 12: 7. *c.* 13: 13-16. tertia de illius defenſione & beatitudine, *Gen.* 15: 1. de numeroſa ſobole, habitatura in Cananæa, *vſ.* 4-14. & morte placida in ſenio, *vſ.* 15.

29. Anno ætatis 99. pepigit Deus cum ipſo fœdus, *Pſ.* 105: 8, 9. poſtulans fidem, ſanctitatem & circumciſionem Abrahæ & poſterorum; viciſſimque promittens multiplicationem ſtirpis credentium, communionem cum Deo, ortum Iſaaci & amplificationem gentis Iſmaëliticæ, *Gen. c.* 17.

30. Fedus hoc erat declaratio teſtamenti æterni, à Deo in Chriſtum ante firmati, *Luc.* 1: 72, 73. *Galat.* 3: 15 - 17. bonumque hoc federe promiſſum heredibus obtingit, *Galat.* 3: 29.

31. Brevi poſt Filius Dei prædixit Abrahamo tempus naſcendi Iſaaci, amplificationem gentis credentium, ortum Meſſiæ ex Iſaaco, propagationem gratiæ ad omnes terræ populos, *Rom.* 4: 13. *Galat.* 3: 8 Sodomæ ac finitimorum oppidorum imminentem everſionem, *Gen. c.* 18. *Hebr.* 7: 6. *Galat.* 3: 16, 17.

32. Quum

32. Quum Iſmaël Iſaaco inſultans ejiceretur ex Abrahæ ædibus, triſtis pater audit, Semen benedicens ex Iſaaco naſciturum eſſe, *Gen.* 21: 12. quem mactaturus Dei juſſu, mox jubetur à Filio Dei parcere nati vitæ, denuoque audit promiſſam ſeminis multiplicationem, victoriam de hoſtibus reportandam, Meſſiæ ex ſe originem, & gratiæ divinæ ad omnes gentes derivationem, *Gen.* c. 22: *Rom.* 4: 12. 16. *Rom.* 9: 7, 8.

33. Promiſſiones has fecit Deus ſola benignitate ſua, nec ullo Abrahæ merito, commotus, *Rom.* 4: 13. *Galat.* 3: 18. juramentoque confirmavit, *Gen.* 22: 16. & *c.* 26: 3. *Luc.* 1: 72, 73. *Hebr.* 6: 13-18.

34. Poterat equidem obedientia præſtita mandato divino de filio mactando fulcire fidem & ſpem Viri ſancti, *Gen.* 22: 16. 18. *Gen.* 26: 5. ſed non poterat eſſe cauſſa promiſſionum citius longe factarum de Semine liberante & liberando ex ipſius lumbis orituro.

35. Mortuo Abrahamo, Rebeccæ Iſaaci uxori gravidæ reſpondit oraculum, in ejus utero duos concludi populos, majoremque natu ſerviturum minori, *Gen.* 25: 22, 23. *Rom.* 9: 10-12. Iſaaco ipſi Deus adparuit repetens pollicitationes Abrahamo Patri factas, *Gen.* 26: 2. ſeqq.

36. Jacobus ab Eſavo fratre profugus, in via videt ſcalas è cœlo terram contingentes, Deumque ſupremo gradui inſiſtentem audit polliceri ſibi bona Abrahæ & Iſaaco ante promiſſa, *Gen.* 28: 12-14. Iſrael in poſterum vocandus à lucta cum Filio Dei, *Gen.* 32: 24. ſeqq. *Gen.* 35: 9-13. mox in Ægyptum abiturus, cum familia in maximum populum ibi

ex-

Digitized by Google

ex creatura, *Gen.* 46: 2. ſeqq. *Act.* 7: 16-18.

37. Vicinus morti protulit inſigne vaticinium de Meſſia ex tribu Judæ orituro, *Gen.* 49:8-10. ubi שילה *tranquillator* à שלה, ipſis interpretibus Chaldæis eſt Meſſias, victoria & ſanctitate inclutus.

38. Jobus c. 7: 20. prædicat *cuſtodem hominis*; c. 19: 25-27. ſperat vitam à vivente Redemtore. Elihu c. 33: 22-24. laudat Angelum interpretem, miſericordiam nobis rogantem ob inventum à ſe liberationis pretium.

CAPUT II.

De modo revelatæ promiſſionis.

1. MUltis partibus, & *multis modis* Deus olim Patribus eſt locutus, *Hebr.* 1: 1. ſive per viſionem diurnam aut nocturnam, ſive per ſomnium, ſive per Spiritum S. ut Judæi divinæ revelationis genera enumerant. *Num.* 12: 6-8.

2. *Diurnæ* apparitiones contigerunt in corpore viſibili, interdum humano, ſæpe in ſplendido, quod Meſſias in terra tum agens geſſit ad tempus. *nocturnæ* viſiones exhibebant quidem conſpicuum præſentiæ divinæ ſignum, ſed in iis Filius Dei non adparuit in terra corpore veſtitus.

3. Quod docet illuſtriſſima viſio ſcalæ dormienti Jacobo monſtratæ, *Gen.* 28: 12, 13. è terra in cœlum protenſæ, cujus faſtigio inſiſtebat Deus Abrahami & Deus Iſaaci; ſecundum *Rakenatens.* Deus Sanctus Benedictus & Ejus Schechina. Videtur autem ea ſcala non in aëre, ſed in Jacobi cerebro fuiſſe depicta.

4. At

Digitized by Google

4. At quum interdiu Liberator corpore indutus apparuit, non modo à piis, ſed & ab aliis, ſi qui aderant, videri potuit: quanquam fateor, piis plerumque ſolis apparuiſſe.

5. *Somnium* eſt revelatio facta tempore ſomni, ſine ulla ſpecie corporea & oculis ſubjecta, ita ut Deus immediata virtute in animo Sanctorum produxerit cogitationes, mandatum, promiſſum, aut vaticinium continentes.

6. Ut diſcernatur à ſomniis, quibus certa imago in ſomniantis cerebro pingebatur divina manu; ſine imagine ſomniavit Abrahamus recipiens nocte præceptum de mactando filio, *Gen*. 22: 1-3. cum imagine Jacobus, *Gen*. 28: 12. & c. 31: 11-13. Joſephus, *Gen*. 37: 5. ſeqq. Pharao, *Gen*. 41: 1. ſeqq.

7. Sed & Abimelecho *Gen*. 20: 3-6. & Labano, *Gen*. 31: 24. Deus nocte in ſomnio apparuit: ſicut quoque ſomnium duorum Pharaonis ſervorum, à Joſepho in carcere explicatum, fuit verax, *Gen*. 40: 5. ſeqq.

8. Memorabilis eſt nocturna Eliphæ viſio, cum ob ſpeciem venerabilem Viro iſti objectam, tum ob auditi oraculi de noſtra coram Deo injuſtitia argumentum, *Job*. 4: 12-21.

9. רוח הקדש Hebræis varia notat: mihi eſt h. l. ſingularis Ejus operatio in hominibus piis, qua ſine prævia ratiocinatione & ingenii diligentia veritates Dei futurosque eventus ab eo decretos perceperunt, & diſerto ore narrarunt, ut Iſaacus Jacobo precans bene, *Gen*. 28: 3, 4. & Jacobus filiis deſtinata fata indicans ante mortem, *Gen*. c. 49. & prius Ephraimo & Manaſſi nepotibus, c. 48: 14. ſeqq.

10. Quan-

10. Quandoquidem præſentia & vox Dei non modo oculis & auribus, ſed maxime conſcientiæ noſtræ ſe commendat, illi quibus Deus ſe ſpectandum monſtravit, & verbum ſuum patefecit, in agnoſcendis ac diſcernendis viſis auditiſque morari, hæſitare, aut falli nequiverunt.

11. Ea quæ Patriarchæ viderunt, & ex ore Dei audiverunt, familiis identidem recenſuerunt & inculcarunt, atque ita viva & fideli traditione conſervata oracula ad poſteros propagarunt, *Gen.* 18: 19.

12. Quod tuto & utiliter fieri poterat א. ob Patrum, qui Deum apparentem viderunt, & loquentem audiverunt, candorem & integritatem, quæ juſſa & promiſſa Dei alterare, vel corrumpere vetabat.

13. ב. ob eorundem longævitatem. Sic Adamus qui vitam ultra Lamechi Noæ parentis ortum protendit, creationem, lapſum, reſtaurationem humani generis, & alia doctrinæ ſalutaris capita, per longiſſimum tempus ipſe poſteritati narravit.

14. Et Semus, decimo poſt Iſaaci cum Rebecca matrimonium anno mortuus, illorum temporum æqualibus de mundi primi malitia, diluvio, Noæ parentis cum familia in arca conſervatione, aquarum diſceſſu, & federe divino cum incolis terræ inito, verba fecit.

15. Abrahamus autem Iſaaco, Eſavo & Jacobo commemoravit familiaria & frequentia, quæ ipſi cum Jehova interceſſere, colloquia: ut vel exteris illa aliquatenus innotuerint.

16. ג. Ne tamen fides Sanctorum ab humano penderet ore, Filius Dei ſubinde in terra apparuit, & nar-

& narrata ab Anteceſſoribus confirmavit ſucceſſoribus, Noæ poſt mortem Adami; Abrahamo poſt obitum Noæ; mortuoque Abraha, Iſaaco & Jacobo.

17. Pontificii, quia in Eccleſia prima ſalutaris doctrina eſt conſervata & propagata traditione viva, arguunt inde: verbum Dei non ſcriptum temporibus N. T. eſſe neceſſarium, & contra carere nos Scriptura poſſe.

18. Atqui ſub N. T. poſt Jeſu Chriſti adſcenſionem in cœlum homines non vident vel audiunt Deum in corporea ſpecie Chriſtiana dogmata annunciantem, & ſemel iterumque tradita repetentem.

19. Deinde brevi fato abrepti Apoſtoli eorumque diſcipuli non potuerunt diu viſa & audita ſuperſtitibus vivo ſermone tradere. Et illis mortuis, imo adhuc viventibus, ſubintrarunt in cœtus Chriſtianos mendaciorum doctores, qui veritatem adulterare, & ex Eccleſiæ gremio eripere, omnibus modis ſtuduerunt, *Act.* 20: 29, 30. 1 *Cor.* 15: 12. 2 *Cor.* 11: 13. *Galat.* 2: 4, 5.

20. Quas ob rationes ipſi Apoſtoli judicarunt neceſſarium eſſe, ut conciones ſuas ſcripto conſignarent, 2 *Petr.* 3: 1-3. Adde, ad tot populos, ad gentes tam diſſitas, per ætatem adeo longam, ſcriptura facilius, citius ac certius, quam ſola voce, doctrinam ſalutarem tranſmitti: nec ſine damno lux verbi ſcripti olim ſub modio poſita fuit.

21. Igitur potius laudemus Dei bonitatem dogmata vitæ ſcripto tradentis, nec diſputemus, an Scriptura ſacra ſit neceſſaria: imo ſcrutemur eam, nam in ea vita æterna invenitur, *Joh.* 5: 39. *Joh.* 20: 21.

CA-

CAPUT III.

De Seminis Liberantis exhibitione in typis & apparitionibus.

1. SI verbum opportune dictum eſt ſimile malo aureo cum figuris argenteis, *Prov.* 25: 11. certe pronuntiatus in paradiſo, & poſt amplificatus, gratiæ ſermo non potuit non hominibus peccato anxiis acceptiſſimus eſſe.

2. Quare & pii fidem illi habebant, promiſſum Meſſiæ adventum, cum beneficiis in Ipſo conſequendis, cupide ſperantes & deſiderantes. etiam Deus fidelium ſpem confirmavit, ac deſiderium explevit, pro temporis ratione, quatenus Liberatorem iis exhibuit in *typis*, & quandoque in figura conſpicua *apparere* voluit.

3. Solent homines ſæpius cogitare de re quam credunt, ſperant & optant, quaſi præoccupaturi bonum nondum poſſeſſum: inde nefas eſt dubitare, quin pii promiſſum Servatorem frequentiſſime animo ſuo repræſentarint.

4. Atque Deus expectationem votumque Eccleſiæ firmabat augebatque objiciendo ei res, quarum intuitu duceretur ad formandas de Liberatore & ejus beneficiis cogitationes. Appellantur hæ *typi*, *Rom.* 5: 14. 1 *Cor.* 10: 6. 11. propter impreſſos iis characteres, id effingentes, cujus typi eſſe dicuntur: *umbra*, *Coloſſ.* 2: 17. *Hebr.* 10: 1.

5. Eſt autem *umbra* obſcurior figura corpus antecedens, oppoſita *εἰκόνι imagini*, diſtinctam rei fa-

faciem exhibenti. Rabbini vocant דוגמא δεῖγμα, uti Paulus ὑπόδειγμα, *Hebr.* 8:5. ſpecimen, quod pars eſt de re ſumta.

6. Utrumque tempus, & promiſſionis & V. T. ſuos habuit typos, illud pauciores, hoc plures: quos omnes ut intelligamus recte, duo probe ſunt tenenda: unum, quod ea tantum res ſit typus, quam Deus ad repræſentandum Meſſiam cum beneficiis deſtinavit; alterum, quid Deus ſingulis typis repræſentarit.

7. *Primum* requiritur divina deſtinatio ad repræſentationem Chriſti & beneficiorum ejus, neque ſufficit quantacunque inter typum & veritatem ſimilitudo: typus enim res per ſe humilis, & auguſta Meſſiæ dignitate infinite inferior, haud potuiſſet dignas & ſapientes de Liberatore cogitationes excitare, niſi Deus & indidiſſet illi notas & inditas monſtraſſet, veritatem adumbrantes.

8. Neque humanum ingenium ſuppleviſſet, quod obſcuriſſimæ picturæ deerat: nam conſtat, illud ſine ductu Dei occaſione rerum terreſtrium de divinis ineptas formare cogitationes, *Act.* 7:43 *Rom.* 1:23.

9. Et ſpectaſſemus in typis alia quam typica & Meſſiæ convenientia: quare omnino fuit neceſſarium, ut Deus id quod typicum erat, nobis oſtenderet, ſicut Moſi figuram tabernaculi faciendi præmonſtravit, *Exod.* 25:9. 40. *Act.* 7:44. *Hebr.* 8:5. cum præciſo mandato: *Vide ut facias ſecundum ſimilitudinem tibi in monte oſtenſam.*

10. *Deinde* oportet attendere circumſpecte ad id, quod typo repræſentabatur, nam Deus non

Digitized by Google

modo Meſſiam, ſed & diverſa illius beneficia promiſerat, eoque & cunctas promiſſionis partes typis oſtenderat.

11. Ut exiterint typi cum perſonæ, naturarum, ſtatus & officii, tum & beneficiorum Liberatoris: qui cum à nobis confunduntur, divina & ſapientiſſima primæ Eccleſiæ inſtitutio minus recte percipitur.

12. Primus Meſſiæ typus *lux* eſt, *Eſai.* 9:2. *Luc.* 2:32. *Joh.* 1:4, 5. & 8:12. ut enim ea caliginoſum illuſtravit orbem: ita lux Iſraëlis Chriſtus lucet in tenebris, & illuminat omnem hominem liberatum è poteſtate tenebrarum, *Gen.* 1:2, 3. *Eſai.* 10:17. *Joh.* 1:5. 9. *Coloſſ.* 1:12, 13. Deo decernente, 2 *Cor.* 4:6.

13. E primigenia luce factus eſt Sol, luminare magnum, *Gen.* 1:44. ſeqq. *Pſ.* 19:5, 6. Meſſias eſt Sol juſtitiæ, *Malach.* 4:2. in media lucens Eccleſia, *Matth.* 18:20. *Apoc.* 1:13. & ſicut lumen ſolis eſt ſalubre, monente *Aben Ezra* in *Pſ.* 19. ita ſanitas eſt in alis, radiis, ſolis juſtitiæ, *Malach.* 4:2. *Pſ.* 103:3.

14. Parentes primi, ſexto demum die conditi, non potuerunt ex ſe ſcire quæ ſingulis diebus, & quo ordine, opera fuerint condita: igitur id ex Deo cum iis colloquente audiverint, neceſſe eſt; qui ipſos non ſolum hiſtoriam creationis, ſed & myſticum uſum ſingulorum operum docuit, ſacris poſt tabulis proditum.

15. Secundus Liberatoris typus eſt *Adamus*, *Rom.* 5:12-19. 1 *Cor.* 15:21, 22. nam ſicut ab Adamo primo deſcendit peccatum & mors in omnes

ejus

Digitized by Google

ejus poſteros: ita ab Adamo ſecundo venit obedientia & vita ad omnes itidem illius liberos.

16. Tertius erant *ſacrificia*, præſertim cruenta, non ex lumine & inſtinctu naturæ orta, ſed à Deo inſtituta, nemo enim auſit ſibi ſacerdotales arrogare honores, *Hebr.* 5: 4. & cultus humano arbitrio excogitatus diſplicet Deo, *Coloſſ.* 2: 23. victimis noſtris haud indigenti, *Pſ.* 50: 10-13. *Act.* 17: 25.

17. In primis autem indicavit Deus primis parentibus, promiſſum mulieris ſemen fore victimam pro expiatione peccatorum noſtrorum mactandam: atque ad teſtandam fidem huic promiſſioni habitam ſacrificia eſſe offerenda, *Hebr.* 11: 4. *Pſ.* 50: 5. ideo & animantia pura ab impuris diſcreta, *Gen.* 7: 2.

18. Sacrificia incruenta, dona de frugibus terræ Deo oblata, haud potuere mortem Servatoris figurare, quia deſtructa fuiſſe non conſtat. neque oleum & vinum, quo lapidem Jacobus Patriarcha lavit, ſacrificium erat, ſed medium conſecrandi lapidis ad uſum altaris, *Gen.* 28: 18. & *c.* 35: 14.

19. Decimas idem vovit in honorem Dei dandas pauperibus, aut aliter in uſum ſacrum impendendas, *Gen.* 28: 22. uti & Abramus Melchiſedeco dederat, *Gen.* 14: 20.

20. Inter Abelem Noamque & Meſſiam ſimilitudinem & diſſimilitudinem invenire eſt facile: clariſſime autem Melchiſedecus Eum expreſſit, *Pſ.* 110: 4. *Hebr.* 7: 1. ſeqq. ſacerdos & juſtus Rex, in Salemo, cujus patrem & matrem ignorabat Abramus, pane tamen vinoque ab eo cum copiis recreatus.

21. Etiam Iſaacus, deſtinatum Deo holocauſtum, typus Chriſti extitit; omiſſa enim ſacrificia præmonſtrarunt moriturum pro nobis Liberatorem. *Proſper* addit Joſephum *l.* 1. *de promiſſ.* c. 25-31.

22. Typos ſequuntur *apparitiones*, quarum primam in Paradiſo factam vidimus c. 1. §. 6, 7. & *facies Jehovæ* à qua Cain aufugit, *Gen.* 4: 6. ſeqq. eſt Schechina, monente *Bechajo*: Jehova deſcendens ad ſpectandam turrim Babelis, *Gen.* 11: 5. Deus, Dominus gloriæ, viſus Abrahamo, *Gen.* 12: 7. *Act.* 7: 2. 1 *Cor.* 2: 8.

23. Et Angelus Domini, qui Hagarem gravidam invenit ad fontem, erat Jehova futuri præſcius, *Gen.* 16: 7-14. Abrahæ mox daturus præceptum circumciſionis, cœlumque è terra repetiturus, *Gen.* 17: 1. ſeqq.

24. Tres viri, qui Abrahamo apparuerunt medio die, non erant tres viri prophetici, è vicino Salemo à Jehova ad Abrahamum miſſi, ſed ipſe Dei Filius duobus Angelis comitatus, *Gen.* 18: 1. ſeqq. vocatur enim *facies Jehovæ*, Jehova, Judex totius mundi, ad quem & ſolum vir ſanctus preces ſuas direxit.

25. Poſt mortem Abrahæ apparuit Deus Iſaaco, *Gen.* 26: 2. & Jacobo in patriam reduci ad colluctandum, *Gen.* 32: 24-30. *Hoſ.* 12: 3, 4. poſt & è Meſopotamia digreſſo, cum amplis pollicitationibus. *Gen.* 35: 9. ſeqq. atque cum Jobo eſt locutus, *Job.* 40: 1. cum Elipha, *Job.* 42: 7. indutus ſpecie oculis ſubjectam. ſ. 5.

CA-

CAPUT IV.

De ſalute ſeminis liberati tempore primo.

1. SAlus quæ omnibus Dei heredibus ac filiis obtingit, præter futuræ vitæ beneficia, complectitur communionem cum Deo & Salvatore per fidem, adoptionem, juſtitiam, ſanctitatem, horumque bonorum conſtantiam & conſcientiam: eſtque ſalus unica, quia Dominus unus, corpus unum, *Eph.* 4: 4, 5.

2. Igitur inter Deum Liberatorem & ſemen liberatum ætatis primæ arcta interceſſit communio, nam ambulavit cum Deo, *Gen.* 5: 22. 24. & c. 6: 9. *Amoſ.* 3: 3. coram Deo, *Gen.* 17: 1. ſummo bono, *Gen.* 15: 1. federato, *Gen.* 17: 7. qui & fideles vi federis defendit, variiſque è periculis liberavit.

3. In hanc autem Dei communionem venerunt non humani arbitrii bonitate incitati, ſed divina gratia attracti, uti Noa, *Gen.* 6: 6. Abrahamus, *Gen.* 12: 1. *Act.* 7: 2, 3. *Joſ.* 24: 2.

4. Vocati ad Deum accepere *fidem*, qua crediderunt Semen liberans in terram venturum, ejuſque adventum cupide deſiderarunt, *Gen.* 4: 1. & 5: 29. & 49: 18. *Job.* 19: 25. & c. 33: 23, 24. *Joh.* 8: 56.

5. Fidem teſtabantur cum præconio verbi ſalutaris de nomine Jehovæ, *Gen.* 12: 8. & 26: 25. tum ſacrificiis. nam quia crediderunt, ideo & locuti ſunt, & ſacrificantes cogitarunt, Semen liberans fore victimam pro noſtris peccatis Deo judici immolandam; exhalaruntque ſacrificia odorem ſua-

vem quatenus Chriſtum reſpexerunt, *Gen.* 8 : 21. *Epheſ.* 5 : 2.

6. Hinc & Deus, odorem ſacrificii Noæ ſentiens, promiſit ſe mundum porro non vaſtaturum aquis; ſervatur enim, ut omnes, quorum nomina ſunt libro vitæ inſcripta, ad Chriſtum adducantur; immolatæ autem ſine fide victimæ Deo diſplicent, *Pſ.* 50: 8-15. *Eſai.* 1 : 11, 12. *Jerem.* 6 : 20. *Amoſ.* 5 : 21. *Gen.* 4 : 5.

7. Ab ætate Abrahami ſectatores Dei non tantum crediderunt, Liberatorem ſtatuto tempore natum iri, ſed & fidem habuerunt promiſſioni de danda nepotibus Cananæa, in qua Semen liberans eſſet appariturum.

8. Sane Abrahamus ipſe credidit terram illam ſemini ſuo dandam; ſcivitque Liberans & liberandum ſemen ex ſe oriturum, & utrumque in Cananæa habitaturum. inde & Jacobus in ſepulcro avito voluit ſepeliri, *Gen.* 49 : 29-31. & Joſephus petiit, ut mortui oſſa ex Ægypto in Cananæam transferrentur ab Iſraëlitis, eo tempore conſtituto profecturis, *Gen.* 50 : 24, 25.

9. Communionem cum Deo & Liberatore per fidem excipit *adoptio*, quotquot enim Liberatorem ſuſcipiunt, habent poteſtatem ſe gerendi pro filiis Dei, *Joh.* 1 : 12. ita Moſes *Gen.* 6 : 2. filios Dei appellat eos, qui profitebantur ſe vivere in communione Dei, & Deus Iſraëlem filium primogenitum, *Exod.* 4 : 22, 23.

10. Ex adoptione fluit *libertas* loquendi cum Deo tanquam Deo & Patre ſuo, quæ comparet in Abrahamo, *Gen.* 15 : 2. 8. & *c.* 17 : 18. & *c.* 18 : 23. ſeqq.

Digitized by Google

ſeqq. in Rebecca, *Gen.* 25:22. in Moſe, *Exod.* 3: 11. ſeqq.

11. Tertium bonum ſeminis liberati tempore primo eſt *juſtitia*, jus vitæ: exemplo Abelis, *Hebr.* 11:4. *Matth.* 23:35. Noæ, *Gen.* 6:9. *Hebr.* 11: 7. Abrahami, *Gen.* 15:6. *Galat.* 3:6. *Rom.* 4:3. Lothi, 2 *Petr.* 2:7.

12. Quia nullus homo eſt in ſe juſtus coram Deo, *Job.* 9:2, 3. 30, 31. & *c.* 15:14-16. *Pſ.* 143:3. *Rom.* 3:10. oportet Patriarchæ fuerint juſti juſtitia alterius, Jehovæ Liberatoris, *Jerem.* 23:6. *Rom.* 3: 21. 1 *Cor.* 1:30. cum quo per fidem unum ſunt.

13. Fatetur Bechai, non gloriandum obſervatione præceptorum Dei: quiſquis autem ſe coram Deo putat eſſe juſtum obedientia propria, is utique gloriatur, *Rom.* 3:27. Igitur juſti erant, quatenus Deus peccata iis remittebat, & faciebat poteſtatem petendi vitam æternam ob promiſſum Liberatorem, *Rom.* 3:25.

14. Equidem illorum crimina ſanguine ſuo Meſſias nondum deleverat, *Rom.* 5:13. nec dum jus vitæ obediendo iis meruerat: verum quotquot ſperarunt, Salvatorem certo venturum ad peccata extinguenda vitamque promerendam, juſti fuerunt, licet ipſum non viderint, *Matth.* 13:17.

15. Imo nec Deus iis exprobrabat peccata nondum expiata: lex Moſis enim haud dum lata erat; ubi autem hæc lex non eſt, ibi peccatum non imputatur, *Rom.* 4:15. & 5:13. hinc & recuperarunt jus utendi rebus creatis, mactati divitiis, defenſi ab Angelis, *Gen.* 9:2, 3. & *c.* 13:6. & *c.* 26:12-14. & *c.* 19:15, 16. & *c.* 32:1, 2.

16. Tantum pecora quædam declarabantur impura, *Gen.* 7 : 2. ad indicandum, eos ſanguine Liberatoris nondum eſſe purgatos; puris enim omnia ſunt pura, *Tit.* 1 : 15. *Rom.* 14 : 20. & jubebantur abſtinere à carne animata ſanguine ſuo, *Gen.* 9 : 4. ut cogitarent, ſe indigere Meſſiæ piaculari ſanguine, *Levit.* 17 : 11.

17. Juſtitiæ conjungitur ſtudium *ſanctitatis*; præcepta Dei ſervanda ſincere judicabant, uti Noa, *Gen.* 6 : 9. Abrahamus, *Gen.* 17 : 1. & Jobus, *c.* 1 : 1. obtemperantes Deo in rebus maxime arduis, *Gen.* 22 : 1. ſeqq. & quicquid poſſiderent, ei ſoli adſcribentes, *Gen.* 25 : 21. & 30 : 2. & 32 : 10. *Job.* 10 : 9-11. & *c.* 33 : 4.

18. Cum Deo agentes de ſe modeſtiſſime ſentiebant, *Gen.* 17 : 3. & 18 : 27. adverſitatibus afflicti venerabantur ejus providentiam, *Gen.* 45 : 8. *Job.* 1 : 20, 21. beneficia petentes ſe totos Domino conſecrabant, *Gen.* 28 : 21. repulſam ferentes haud murmurabant, *Gen.* 17 : 21, 22. ad peccata ſollicitati timebant Judicem omnia videntem, *Gen.* 39 : 9.

19. In dignitatibus conſtituti Deo ſe ſubjectos recordabantur, *Gen.* 50 : 19. in tota vita de ipſo ſubinde cogitabant, monumenta Numinis paſſim ſtatuentes, *Gen.* 12 : 8. & 26 : 25. & 33 : 20. averſantes communionem cum idolis, *Gen.* 35 : 2. *Job.* 31 : 26, 27.

20. Erga homines erant juſti, alieni boni haud appetentes, *Gen.* 14 : 22. & *c.* 23 : 13-16. erga peregrinos hoſpitales, *Gen.* 18 : 2, 3. & *c.* 19 : 2, 3. *Job.* 31 : 32. erga egenos liberales, *Job.* 29 : 16. & 31 : 16-20. erga miſeros miſericordes, *Job.* 2 : 12, 13. nec tamen ſine nævis & vitiis.

21. Be-

Digitized by Google

21. Beneficia hæc fuere conſtantia, liberato ſemini temporis primi nunquam ſubducta. nam cum eo pepigit Deus fedus ſempiternum, *Gen.* 17: 13. 19. atque dona & vocatio Dei ſunt hujusmodi, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit, *Rom.* 11: 29. & Jacobo promiſit Deus: *non deſeram te*, Gen. 28: 15.

22. Etiam certos de hiſce bonis, & gratiæ ſuæ conſcios fecit Deus heredes vitæ, ut animo eſſent læto ac tranquillo. *Novi redemtorem meum vivere*, ait Job. *c.* 19: 25. Abel per victimam fide oblatam *Gen.* 4: 4. impetravit juſtitiæ teſtimonium, *Hebr.* 11: 4. Evæque ſpes de naſcituro ex ſe Meſſia non potuit eſſe conſolationis vacua.

23. Adamum & Evam expulit Deus è Paradiſo, ut ne putarent, ſe porro poſſe vitam cœleſtem, cujus Paradiſiaca felicitas ſignum erat pignuſque, obedientia propria acquirere: ſed eo ſpem potiundi per Semen liberans cœli ipſis minime præripuit, *Gen.* 3: 23. licet Cherubini flammantem gladium manu tenentes pavorem incuterent, vſ. 24.

24. Noa ſervatus in arca à diluvio ſperavit, ſe fluctibus iræ divinæ haud ſubmerſum iri, *Gen.* 7: 1. & poſt diluvium accepit Iridem ſignum promiſſionis de orbe terrarum ob heredes vitæ conſervando, *Gen.* 9: 13. *Eſai.* 54: 9.

25. Abrahamus ſigna & pignora divinæ gratiæ accepit plurima: nam Deus illi dixit bene, *Gen.* 12: 3. pollicitus, ſe fore clypeum & mercedem valde magnam, *Gen.* 15: 1. feduſque mandato circumciſionis obſignans, *Gen.* 17. *cap.*

26. Nempe cultro, aut alio vaſe acuto, reſecari debuit præputium & adulti, & recens nati in-

fantis maſculi, octavo ab ortu in hunc mundum die: fuitque circumciſio ſignum federis, *Gen.* 17: 11. ſedus, vſ. 10. 13. ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei, *Rom.* 4: 11. credentibus & corde circumciſis, *Rom.* 2: 28, 29. *Philip.* 3: 3.

27. Conjuncta tamen cum dolore & pudore, ad indicandam natalium impuritatem, & effuſionem ſanguinis Meſſiæ nondum factam, *Gen.* 34: 25. *Exod.* 4: 25. Moſis ætate fiebat & chirographum ſervitutis ſub lege, *Galat.* 5: 2. *Joh.* 7: 22. Abrahæ jam tempore comminatione ſancita, *Gen.* 17: 14. *Exod.* 4: 24.

28. Iſaacum mactare juſſus Patriarcha credidit contra ſpem ſub ſpe, *Gen.* 22: 5. *Rom.* 4: 17-21. *Hebr.* 11: 17-19. inde ab Angelo laudatus ob ſincerum Dei timorem amoremque, *Gen.* 22: 12. juſtuſque declaratus, *Jacob.* 2: 21.

29. Et Iſaacus gratiæ eſt redditus certior ab ipſo Deo, *Gen.* 26: 24. quem Jacobus nominat Iſaaci pavorem, *Gen.* 31: 42. 54. ob reverentiam qua Iſaacus Deum coluit, non quod Deus Iſaaci mentem continuo pavefaceret.

30. Jacobum pariter toto vitæ curriculo confirmavit Jehova, *Gen.* 28: 15. & *c.* 35: 9. ſeqq. *c.* 46: 3, 4. ejuſque luctam cum Angelo Jehovæ, nonniſi ad auroram durantem, ſecuta eſt victoria, *Gen.* 32: 24-30. *Hoſ.* 12: 4.

31. Poſt hanc vitam recepti ſunt in cœlum, ut Enochus, *Gen.* 5: 24. *Hebr.* 11: 5. Pontificiis temere ſemen liberatum primi & ſecundi temporis in limbum detrudentibus, & civitate expectata ejicientibus, *Hebr.* 11: 10. 16.

32. Sane

32. Sane Jacobus morti vicinus non moram in limbo, ſed ſalutem Jehovæ expectavit, *Gen.* 49 : 18. *Hebr.* 11 : 13-16. & formula federis gratiæ continebatur vitæ æternæ promiſſio, *Gen.* 17 : 7. *Matth.* 22 : 32.

33. Quare & Sociniani falſo docent, homines pios ante Moſen defunctos neque Chriſtum, neque Chriſti ſalutem noviſſe; veniam quidem peccatorum & vitam conſecutos, at ſine prævia promiſſione.

CAPUT V.

De ſemine liberato temporis primi.

1. SEmen Liberans haud poteſt ſterile eſſe, ſed verbo promiſſionis ſtatim in Auditoribus fructum protulit, in *Adamo*, *Gen.* 3 : 20. 22. Eva, *Gen.* 4 : 1. Abele, *Hebr.* 11 : 4. in cujus occiſi locum ſucceſſit Sethus, *Gen.* 4 : 25. *Num.* 24 : 17.

2. Enochus ambulavit cum Deo, *Gen.* 5 : 22. fide ad Deum acceſſit, *Hebr.* 11 : 5, 6. Lamechus plenus ſpe naſcituri Meſſiæ genitum ex ſe filium appellavit *Noam* conſolatorem, *Gen.* 5 : 29. qui evaſit vir juſtus & integer, gratioſus apud Deum, *Gen.* 6 : 8, 9. fideque incitatus arcam exſtruxit, *Hebr.* 11 : 7.

3. Jehova Semi Noæ filii erat Deus, *Gen.* 9 : 26. Abramus Hebræis *columna mundi* non modo credidit, *Gen.* 15 : 6. ſed & credentium pater factus eſt, *Rom.* 4 : 11, 12. ejuſque uxor Sara fide ſalutis compos exſtitit, *Hebr.* 11 : 11.

4. Lothus *juſtus* ingemuit flagitiis Sodomiticis, 2 *Petr.*

2 *Petr.* 2:7, 8. & Melchiſedec non fuit ipſe Dei filius, ſed ſacerdos & Rex Salemi, ejus typus. Iſaacus Patri in fœdere Dei ſucceſſit: uterque inter Philiſtæos nomen Dei annunciavit, *Gen.* 21:33. & 26: 25. probabiliter non ſine fructu.

5. Eliezeris Abrahæ œconomi preces ſine dubio venerunt è corde fide pleno, *Gen.* 24:12. 48. & gravida Rebecca fidei dedit ac pietatis ſpecimen, *Gen.* 25:21. procuratura poſt, licet aſtu, Jacobo propheticam patris benedictionem, *Gen.* 28:4. Et Lea fuit pia femina, *Gen.* 29:32. ſeqq. ac Rahel deſtitit à fallacium numinûm cultu, *Gen.* 35:2, ſeqq.

6. Inter numeroſam Jacobi prolem fide, ſanctitate & gratia Joſephus eminuit, divina providentia à malevolis fratribus Iſmaëlitis mercatoribus, & ab his Potiphari Regis Ægyptii miniſtro venditus, *Gen.* 41.

7. Sub idem fere tempus in Auſitide, Arabiæ deſertæ prope Chaldæam regione, vixit Jobus, vir rectus & integer, ab ipſo Deo contra amicorum accuſationes defenſus, *Job.* 1:1. & c. 42:7, ſeqq.

8. Orationes ſodalium Jobi, Eliphæ, Bildadi & Zopharis ingentem ſpirant Dei notitiam & amorem; atque Elihu ſcivit myſterium Angeli foederis, qui placamentum invenit, *Job.* 33:23, 24.

9. Ex dictis patet, prima Eccleſiæ ætate, gratiam Dei non fuiſſe ad certam gentem, nationem, aut familiam alligatam, ſed in omnibus populis inventos, quanquam pauculos, qui Deum Liberatorem ſectarentur: Abrahamum enim vocans Deus ad ſui communionem, gentes alias nondum excluſit: uti poſtea adoptato Iſraële.

10. Tum

10. Tum Patresfamilias paterna auctoritate domeſticam regebant Eccleſiam: vel ſi conventus ſacer è pluribus conſtabat familiis, Patriarcha longævior tanquam commune caput ei præerat, uti Adamus, Sethus, Noa, Abrahamus, Jacobus. Aliis rectoribus infrequentes cœtus non indigebant.

11. Primogenitos fratribus ceteris honore & dignitate præcelluiſſe probat Ruben *eximius autoritate, Gen.* 49: 3. quare & vero eſt ſimile, eos abſente patre pro univerſa familia feciſſe ſacra.

12. Cæterum filii omnes, etiam juniores, pollebant facultate ſacrificia pro ſe offerendi, quod docet exemplum Abelis, *Gen.* 4:4. & Jacobi, *Gen.* 33: 20. rebellis autem Coræ turba falſo exiſtimavit, eam conſuetudinem durare quoque poſt inſtitutum ſacerdotium Aaronicum, *Num.* 16: 3. 5.

13. Prius enim quam Deus populum ſuum judicabat impurum, omnes ſine diſcrimine poterant libertime & ſine metu mortis ad altare accedere: incertumque eſt juvenes a Moſe ad ſacrificandum in deſerto emiſſos nonniſi primogenitos fuiſſe, *Exod.* 24: 5.

14. Per totum id ævum calcaneus liberati ſeminis eſt conculcatus à ſerpente, pii vexati ab impiis, Abel à Caino, imbecilliores à gigantibus, ante & poſt diluvium, Iſaacus ab Iſmaele Jacobus ab Eſavo, Joſephus ab Ægypiis, Iſraëlitæ à Pharaone.

15. Similiter ſerpentis ejuſque ſeminis opera Semen liberans fuit neglectum, oblivioni datum; promiſſiones fabulis corruptæ, eoque beneficia non intellecta, non æſtimata, non deſiderata.

CAPUT VI.

De ſemine ſerpentis.

1. QUandoquidem Satanas per peccatum conſtitutus eſt Deus ac princeps hujus mundi, cives quoque habet regno ſuo ſubditos, & mandata Domini exequentes, qui vocantur *ſemen ſerpentis, progenies viperarum*, *Gen.* 3:15. *Matth.* 3:7. *Joh.* 8:44. ſuntque homines impuri ad voluntatem Satanæ peccantes.

2. Hos inter agmen ducit *Cainus*, ex illo maligno natus, 1 *Joh.* 3:12. Rakenatenſi ex ſordibus ſerpentis Adami ſemini permixtis; qui furioſa incenſus ira fratrem Abelem in agro interfecit, *Gen.* 4:5. ſeqq. Judæique juſte ferent pœnam omnis ſanguinis inique fuſi, *Matth.* 23:35. ingreſſi cum aliis viam Caini, *Jud.* vſ. 11.

3. Ex poſteritate Caini *Lamechus*, ab Adamo ſeptimus, violata conjugii inſtitutione, primus ſimul plures habuit uxores, *Gen.* 4:19. quibus de homicidiis loquens ferox ſuum denudavit ingenium.

4. Multiplicato genere humano creſcebat quoque malitia, *Gen.* 6:1. ſeqq. regnabat enim contemtus Dei, libido impudica, faſtus, violentia, rapacitas, oppreſſio, luxus, *Matth.* 24:37, 38. *Luc.* 17:27.

5. Quæ corruptio non modo profanorum *hominum*, ſed & *Dei filios*, habita Eccleſiæ membra, invaſerat: nam filii Dei heic non ſunt Angeli, ſed homines à Deo ſe cognominantes, gignenteſque

diſpari

diſpari quoad religionem matrimonio *gigantes*, magna ſtatura, tyrannide ac potentia nobiles.

6. Admoniti per Spiritum S. de vita turpi non emendabantur, *Gen.* 6 : 3. Dei Filium è cœlo in terram profectum ad ipſos coërcendos non audiebant, 1 *Petr.* 3:19. minus Noam, 1 *Petr.* 4:6. 2 *Petr.* 2:5.

7. Igitur quum decretorius dies illuxiſſet, elapſis 120. annis, conceſſo reſipiſcentiæ ſpatio, irruperunt ſuperæ & inferæ aquæ, orbemque inundarunt univerſum, ac deleverunt omnia viventia, præter ea quæ in arca ſervabantur.

8. Poſt diluvium in S. literis male audiunt Chamus, Canaan cum ejus poſteris, Nimrodus Chami è Chuſo nepos, graſſator, *Gen.* 10 : 8, 9. & *Joſephus* caput profanorum hominum, qui elapſo à terra inundata ſeculo integro, conſilium inierunt de ſtruenda turri ad uſque cœlum pertingente, *Gen.* 11 : 1. ſeqq.

9. In id nempe hi ſtructores erant intenti, ut ſibi celebre nomen, rerumque civilium & ſacrarum poteſtatem conciliarent, qua armati genus humanum in eodem imperio, & religionis concordia continerent. Judæi monent, eos feciſſe ſibi idolum, Deo indixiſſe bellum, & Schechinam ab ædificio ſejunxiſſe.

10. Profecto cœptum temerarium Deo diſplicuit, ac Filius Dei è cœlo deſcendit, & in corpore adparens molimina impia turbavit confuſis opificum labiis: quo accidit, ut quum alter alterius mentem & ſermonem haud perciperet, & petita detrectaret, procul à ſe cuncti in diſſitas oras ſinguli diſcederent, urbi dato à confuſione Babelis nomine.

Digitized by Google

11. Ægyptii, Arabes, Babylonii, Chaldæi, Perſæ, mature ſatis Solem ac Lunam pro Diis coluerunt: quare Joſua *c.* 24: 2. teſtatur, majores Iſraelitarum trans Euphratem habitaſſe, & Diis alienis ſerviiſſe.

12. Et Laban Syrus Rebeccæ frater pro Diis habebat Theraphim, *Gen.* 31: 19-30. poſt & homines ſunt mutati in Deos, perverſo ſtudio colendi mortuorum memoriam, *Sapient.* 14: 12. forte & corruptione doctrinæ veræ de piorum poſt obitum receptione in cœlum.

13. Non puto, omnes falſorum Numinum cultores primo ſtatim tempore ignoraſſe verum ac vivum Deum, mundi Creatorem Rectoremque; ſed autumo, hunc aliquandiu juxta idola cognoviſſe & coluiſſe. fatetur enim Laban, conjugium Iſaaci cum Rebecca directum à Jehova, *Gen.* 24: 50. Deum Patris Jacobi nocte ſibi adparuiſſe, *Gen.* 31: 29. imo & eundem cum Deo Nachoris violandi fœderis judicem implorat, vſ. 53.

14. Tum & originem ſumſerunt oracula antiquiſſima: ſcil. Dodonæi Antiſtites retulere: *geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras* (à nigro ſpiritu directas) *advolaſſe, unam in Libyam, alteram ad ipſos: quæ fago inſidens humana voce eloquuta ſit, eo loci Jovis oraculum condendum; eam vero quæ ad Libyas abiiſſet columbam, juſſiſſe ut Ammonis oraculum conderent, quod & ipſum Jovis eſt,* Herodot. l. 2. c. 55.

15. Porro Sodomitæ vicinorumque opidorum incolæ impudicitia humanæ naturæ contraria, & flagitiis aliis Deum ad vindictam provocarunt, *Gen.*

Digitized by Google

Gen. 13 : 13. *Ezech.* 16 : 49, 50. à Schechina propterea ſecundum *Rakenat.* ſeu Filio Dei, deſignato mundi Judice, ſulfurea pluvia deleti, *Gen.* 19 : 24. 2 *Petr.* 2 : 6. *Jud.* vſ. 7.

16. Amorrhæi pariter & reliqui Canaanis nepotes ſtrenue peccarunt in Deum ac homines, ſuo tempore impleturi certam flagitiorum menſuram, delendique ex regione tum habitata, *Gen.* 15 : 16. Moabitæ & Ammonitæ, inceſtuoſa Lothi ſoboles, erant à communione Dei alieni, & Iſraëlitis valde infenſi, *Gen.* 19 : 37, 38.

17. In Abrahæ ædibus adolevit Iſmaël irriſor, *Gen.* 21 : 9. homo ferox & violentus, *Gen.* 16 : 12. Iſaacum perſecutus, *Galat.* 4 : 29. quem licet pater circumcidiſſet, Deus nihilominus diſerte a fœdere gratiæ excluſit, *Gen.* 17 : 18, 19. & c. 21 : 12. *Rom.* 9 : 7, 8. Eſavum profanum, *Hebr.* 12 : 16. proclivem ad irritandam matrem cum Patre, *Gen.* 26 : 34, 35. & c. 27 : 41. Iſaacus plus juſto amavit, *Gen.* 25 : 28. Deum autem odio habuit, dum Jacobum diligeret, *Malach.* 1 : 2, 3. *Rom.* 9 : 13. numeroſam tamen potentemque Eſavus reliquit poſteritatem.

18. Jobi ætate Satanas univerſam perambulavit terram, eique teſtatus eſt Deus Jobo ſimilem pietate alterum haud vivere, *Job.* 1 : 8. in Ægypto Iſraëlitarum plerique Ægyptia Numina colebant, excidium merentes per Pharaonem tyrannum, niſi Deus eorum miſereri ſtatuiſſet, *Joſ.* 24 : 14. *Ezech.* 23 : 2, 3. & c. 20 : 7. 9.

19. Pharao ipſe, oriundus è diverſa familia ab ea, cui Ægyptii uſque huc paruerant, *Exod.* 1 : 8. Jehovam Iſraëlis Deum pleno ore & animo con-

temſit, *Exod.* 5: 2. propterea juſte induratus, *Exod.* 4: 21. & 7: 3.

20. Magi Ægyptiorum, Jannes & Jambres, *Exod.* 7: 11. 2 *Tim.* 3: 8. reſtitere Moſi imitando ejus miracula, *Exod.* 7: 11, 12. 22. pediculis exceptis quos producere nequibant, *Exod.* 8: 18, 19. & Pharaonis animum obfirmando, ne Iſraëlitas dimitteret, *Exod.* 7: 22 - 28. Tam vetus & amplum eſt ſerpentis ſemen tempore primo.

LIBER QUARTUS.

De conſilii gratiæ executione per Vetus Teſtamentum tempore ſecundo.

CAPUT I.

De Veteri Teſtamento.

1. VEtus Teſt. quandoque notat tabulas, quibus id inſcriptum eſt, 2 *Cor.* 3: 14. Legem, Prophetas, ac Pſalmos: heic deſignat voluntatem Dei, qua ſtatuit populo Iſraëlitico poſſidendam dare Cananæam, omni bonorum genere abundantem, futurum olim ſemini liberanti domicilium, liberato pignus & figura cœli.

2. Dei propoſitum dandi poſteris Abrahæ Cananæam vocatur *διαθήκη teſtamentum, Hebr.* 9: 4. diſpo-

Digitized by Google

diſpoſitio, ordinatio ſuprema de bonis teſtatoris: omnia etiam, quæ ad teſtamentum pertinent, heic adſunt. adſunt enim Teſtator, heres, Mediator, hereditas, Teſtatoris mors, heredis in hereditatem immiſſio, &c.

3. *Vetus* Teſtamentum vocatur, quoniam antiquari, ac *novum* in ejus locum ſuccedere debuit, *Hebr.* 8: 13. item *prius*, quia tempore anteceſſit poſterius, ſive Novum Teſtamentum, *Hebr.* 9: 15. 18. & *c.* 10: 16.

4. Teſtator Deus ipſe eſt, *Gen.* 15: 7. idem qui & æternum condidit teſtamentum, Pater, Filius & Spiritus S. *Hebr.* 13: 20. atque Filius divinum inſtitutum ſignificavit in tempore, is enim Patriarchis apparuit.

5. Heredes ſcripti ſunt gens Iſraelitica, ex Abrahamo per Iſaacum & Jacobum oriunda, *Act.* 3: 25. *Rom.* 9: 4. *Eph.* 2: 12. nam hiſce Patriarchis facta quidem eſt divinitus teſtamenti promiſſio, *Gen.* 12: 7. & *c.* 15: 17. *Galat.* 3: 16. at ipſa hereditas non deſtinata, *Deut.* 5: 23.

6. Patriarchæ enim ceu peregrini Cananæam incoluerunt, *Gen.* 17: 8. *Act.* 7: 5. *Hebr.* 11: 13. & quod Abrahæ dixit Dominus: *tibi dabo hanc terram*, *Gen.* 15: 7. debuit utique de nepotibus intelligere, *Gen.* 12: 7. & *c.* 15: 18. qui parentum pars ſunt.

7. Quare & executio V. T. fieri demum cœpit eo die, quo Iſraelem Deus potenti manu ex Ægypto eduxit, *Jerem.* 31: 32. *Hebr.* 8: 9. *Galat.* 4: 24. licet ejus promiſſio citius contigerit, *Galat.* 3: 17.

8. Quia heredes perverſe pavidi, Joboque diſ-

Digitized by Google

ſimiles *c.* 40. ſeqq. per ſe ipſos non potuerunt cum Teſtatore agere, vel præſentiam ac ſermonem Dei ferre, *Exod.* 20: 19. propterea habuerunt opus perſona media, Moſe, *Galat.* 3: 19. qui inter Deum & Iſraëlem ſtetit, *Deut.* 5: 5.

9. Hereditas erat Cananæa, lacte ac melle diffluens, *Gen.* 17: 7. *Exod.* 3: 17. *Ezech.* 20: 6. terra Jehovæ, *Exod.* 15: 13. domicilium Dei, *Hoſ.* 9: 3. ubi ſedem habebat, *Jerem.* 3: 19. terra præ qua cæteræ omnes erant impuræ, *Amoſ.* 7: 17.

10. Non tamen tota populi Dei hereditas conſtitit ex agris & campis, quorum amœnitatem & fertilitatem complures aliæ regiones bonitate ſoli & aëris, ſi non ſuperant, ſaltem æquant: imo ut Adamo Paradiſus, ſic Cananæa ſperantibus & deſiderantibus Liberatorem Iſraëlitis, cœlum repræſentavit.

11. Non confirmatur teſtamentum niſi mortuo teſtatore, *Hebr.* 9: 16, 17. hinc V. T. Moſes initiavit ſanguine vitulorum & hircorum, *Hebr.* 9: 18-20. *Exod.* 24: 5-8. qui tum pro ſanguine teſtatoris fundebatur, *Hebr.* 9: 12-14. mortui demum ſeptima hujus ætatis periodo.

12. Immiſit Iſraëlitas in hereditatem Deus ipſe; nam fortiſſima manu per Moſen & Aaronem eos eduxit è domo ſervitutis in deſertum, & per Joſuam è deſerto in Cananæam introduxit, veteribus incolis expulſis, interfectis, aut novo terræ Domino ſubjectis.

13. Erat vetus hoc & temporale teſtamentum medium exequendi teſtamenti æterni, quantum id pertinebat ad Iſraëlitas, qui ſoli illo temporis tra-

Digitized by Google

tractu erant heredes Dei ac ſalutis ſempiternæ, exceptis pauculis, qui ex aliis nationibus ad Deum Iſraëlis tum convertebantur.

14. Dum enim Jehova Iſraëlitas introduxit in Cananæam, ſimul eos ad ſe duxit, i. e. ad locum, ubi factus illorum Deus, ſeſe ipſis cognoſcendum & fruendum præbuit, *Exod.* 19: 4. *Gen.* 17: 8. *Exod.* 20: 24.

15. Erat ipſe Dei Filius, qui Hebræos in terram promiſſam introduxit, *Exod.* 23: 20, 21. mittendus à Patre aliquando in eam ad promerendam hereditatem æternam: unde cogitarunt: quam certo jam ducimur à Filio in Cananæam, tam certo & Ipſe in ea ſtatuto tempore apparebit.

16. Cum hiſce heredibus ſuis Jehova pepigit *fœdus*, exequendo & æterno & temporali veteri teſtamento inſerviens; ſicut inter homines quoque teſtator heredem certa ſub conditione inſtituit, ab eo implenda ſi hereditatem adire debeat. unde tacitus inter eos contractus.

17. Interdum conditio eſt præſtanda ex hereditate ipſa, ut de legatis expendendis, de expungendis teſtatoris nominibus: quæ ſolutio fit ex bonis defuncti.

18. Pariter Deus ab heredibus ſuis certa poſtulat officia: & *gratiæ fœdere* ſtipulatur amorem ſui & obedientiam, viciſſim pollicens hereditatis poſſeſſionem certam; atque heredes ſpondent haſce virtutes, officioque functi promiſſa petunt à Deo præmia.

19. Officio funguntur beneficio teſtamenti, ſive Deo amorem & obedientiam præſtant, quia

Deus haſce in iis virtutes efficere ſtatuit ab æterno: dumque illas fœdere exigit ceu conditionem ab heredibus beneficio teſtamenti implendam, oſtendit cum ſapientiam, tum conſtantiam ſuam in homine regendo.

20. Nam quia is intellectu & voluntate eſt præditus, Deum decet, ut ipſum & in naturæ & in gratiæ ſtatu gubernet præceptis & promiſſis: quæ ſi utrinque præſtantur, inter præſtantes ea fœdus eſſe intelligitur. eſt enim fœdus conventio inter duos de præſtandis conditionibus vel petitionibus mutuis, ut jam monuimus.

21. Equidem heredes Dei multo ſunt nomine obligati ad exhibendum Deo amorem & obedientiam, neque ſe à præſtando hoc officio eximere queunt: ſed recipiuntur à Deo in fœdus, quatenus liberrime & promtiſſime neceſſario officio funguntur, qualis lubentia & promtitudo implendi conditionem poſtulatam in fœderatis obſervatur.

22. Igitur Deus in executione teſtamenti ſervat rationem qua gubernat hominem, & per mandata promiſſaque fœderis efficit in herede id, quod ab eo requirit.

23. Sed reſpectu ceterorum hominum præcepta & promiſſiones ſunt modo teſtificatio, qua Deus declarat, quid ab homine poſtulet, & quid promittat officium præſtanti.

24. Fœdus gratiæ eſt perpetuum, *Eſai.* 54: 10. *Pſ.* 89: 4, 5, 29. *Pſ.* 105: 8-10. vigetque per ſingulas tres Eccleſiæ ætates, uti quidem tempore promiſſionis ſemel iterumque id memorari audivimus.

25. Cum Iſraelitis itidem ſolenniter id firmatum

tum eſt in monte Dei Horebo, *Exod.* 3 : 1. *Deut.* 5 : 2. uno montis in Arabia cacumine, cui alterum objacet Sina dictum.

CAPUT II.

De Stipulatione Dei, & Iſraelitarum temeraria adſtipulatione.

1. PRimum Deus Iſraëlem per Moſen ad fœderis ſanctionem invitavit, ſignificans cum petitionem tum promiſſionem ſuam: deinde populus conceptis verbis adſtipulatus eſt, *Exod.* 19 : 3-8.

2. Petitioni præmittitur ratio, quæ præſtandam conditionem ſuadeat, deſumta ab ingenti beneficio Dei, liberatione Iſraëlitarum ex Ægypto, & defenſione ab inſecuto hoſte.

3. Poſtulavit Deus א. obedientiam. ב, ſervationem fœderis; promiſitque viciſſim Iſraëlitas fore א. peculium ſuum. ב. regnum ſacerdotum, gratis cum ſacrificiis ad Deum accedentium. ג. gentem ſanctam.

4. Tum omnes Moſi ſermonem Dei renuncianti uno ore reſponderunt; *quicquid Deus nobis præceperit, faciemus*, quod reſponſum Moſes ſtatim ad Deum pertulit. igitur purgare ſe jubentur, tunicas lavare, viri ab uxoribus ſe continere: atque die tertio Deus de vertice montis ſonora voce pronunciat decem verba fœderis, ut audirent Iſraelitæ, qui ſepto cohibiti ad radices montis ſubſiſtebant, *Exod.* 19 : 10. ſeqq. *Exod.* 34 : 28. *Deut.* 4 : 12, 13. & *c.* 9 : 9-11.

 5. Iſta

5. Iſta federis formula comprehenduntur diverſa bona heredibus ſalutis deſtinata, communio Dei & Iſraëlitarum; horum liberatio ex ſervitute Ægyptiaca; commiſeratio erga amicos Dei, vita longa in Cananæa; quæ beneficia omnia non niſi ex gratia derivari manifeſtum eſt.

6. Neque enim Deus poteſt fieri peccatoris Deus, vel ejus miſereri, niſi in Liberatore ex gratia conceſſo: cujus autem Deus eſt, ad ejus ſalutem divina ſua impendit attributa, ſive fit illi ſapientia, juſtitia, ſanctitas, vita. Inſtitutio ſabbati plena pariter conſolationis.

7. Summa officiorum à federatis Dei exactorum continetur amore Dei & hominis proximi, *Matth.* 22: 37-39. quæ virtutes lege fidei jubentur, aut ſunt ipſa fides per charitatem efficax, *Galat.* 5: 6.

8. Equidem per decem præcepta vivere poteſt, qui illa præſtat, *Ezech.* 20: 11. ſicut per operum legem ſervatam, *Galat.* 3: 12. *Rom.* 10: 5. tamen Iſraëlitis haud data ſunt, ut per eorum accuratam obſervationem jus vitæ mererentur, ſed ut ſe exercerent in ſtudio virtutum iis juſſarum.

9. Mandatum ſcil. breve Abrahamo datum: *Ambula coram me, & eſto integer*, *Gen.* 17: 1. Deus jam exequitur amplius, nec tamen aliud ab Iſraëlitis exigit, quam ut voci ſuæ obtemperent filiorum inſtar, *Jerem.* 7: 23.

10. Sane lex operum peccatoribus, quorum Deus ſit Jehova, nequit præſcribi; nam jus vitæ accipiunt in Liberatore, at lex operum ſtabilit juſtitiam propriam, Deique juſtitiam removet.

11. Decem præcepta Deus digito inſcripſit dua-

bus

Digitized by Google

bus tabulis lapideis, & quatuor prioribus officia erga ſemet ipſum, ſex poſterioribus officia erga alios homines definivit, *Exod.* 31 : 18. *Deut.* 5 : 22. & 9 : 10.

12. Audito Decalogo Iſraëlitæ rurſum plenis buccis ſpondent obedientiam: tamen ſerviliter ſimul orant, ut ne Deus ipſe verba ad eos faciat, ſed per Moſen de voluntate ſua erudiat: ſecus ſe morituros, *Exod.* 20: 19. *Deut.* 5: 25-27. nam erant territi ſignis prodigioſis in aëre & monte, *Exod.* 20 : 18.

13. Moſes, licet ipſe inde pavidus, *Hebr.* 12 : 21. tamen confirmatus hortatur Iſraëlitas, deponant metum, animoque ſint bono, nam Dominum iis glorioſe apparuiſſe, partim ut fiduciam populi experiretur, num federati Dei vocem & adſpectum ferre poſſet, partim ut inderet ei rectum ſupremi Numinis timorem, ne in poſterum peccarent, *Exod.* 20 : 20.

14. Digreſſis à monte longius Iſraëlitis ſubiit caliginoſam nubem, in qua verſabatur Deus, iteratamque populi *adſtipulationem* ei ſignificavit, *Exod.* 20: 21. laudanti quidem pollicitationem obedientiæ, tamen & temerariam virium obediendi præſumtionem redarguenti, *Deut.* 5 : 28, 29.

15. Quis cum à natura non haberent, divinitus precari debuiſſent; id vero facere omittentes, atque obedientiam nihilominus largiter promittentes, turgidum bona de ſe opinione animum nudarunt, Deoque jus dederunt petendi ab ipſis fructus fidei & reſipiſcentiæ: etſi gratiam tales fructus ferendi iis haud tribueret. nam ſtolide putarunt, ſine divina gratia ſe poſſe credere ac reſipiſcere, *Eſai.* 5 : 4.

Digitized by Google

16. Poſt addidit Deus præcepta ſingularia, ad Ipſius cultum, & ad conſtituendam ac conſervandam Remp. pertinentia, *Exod.* 21, 22, 23. *capp.* iiſque auditis ex ore Moſis tertia vice ſpe fallaci propriarum virium turgentes, reſpondent: *omnia dicta Jehova exequemur*, *Exod.* 24: 3.

17. Quare Moſes omnia Dei mandata libro fœderis inſcripſit, & ſuper altari duodecim columnis ad pedem montis inædificato per juvenes holocauſta & ſacrificia pacifica obtulit, dimidiaque ſanguinis parte aram conſperſit, mox prælecturus è libro fœderis formulam, *Exod.* 24: 4. ſeqq.

18. Quam audientes *quarta vice* adſtipulantur, & parte ſanguinis altera à Moſe inficiuntur, cum monito: *hic eſt ſanguis teſtamenti, quod Jehova vobiſcum in omnia hæc verba fecit*, *Exod.* 24: 7, 8. *Hebr.* 9: 19, 20. ſanguis repræſentans ſanguinem Liberatoris, *Zach.* 9: 11. teſtimonium & pignus fœderis, quo Deus Iſraelitas ad ſui communionem admittat, & Iſraelitæ Deo fidem & propoſitum ſancte vivendi polliceantur.

19. Regreſſus in montem juſſu divino Moſes ſeptimo die intra nubem recipitur, in qua 40. dies totidemque noctes ſine cibo & potu exigens, *Exod.* 24: 12-18. præcepta de ſtructura tabernaculi, arcæ fœderis & ſupellectile ſacra, de ſacerdotum veſtitu, ornatu & conſecratione, deque ſabbati celebratione accipit, cum duabus tabulis lapideis, decem verba digito Dei inſcripta continentibus *capp.* 25-31.

20. Dum Moſes in monte agit, populus illius abſentiam inique ferens, factitios petit Deos, & vitulum ab Aarone ex auro fuſum adorat, more

Ægyptio-

Ægyptiorum Apin colentium, *Exod.* 32: 1-14. *Pſ.* 106: 19, 20.

21. Quare Deus excidium Iſraelitarum minatus, Moſis vult amplificare poſteritatem, precibus tamen ejus pro cultoribus idoli factis placatur; Moſes è monte deſcendens videt feſti vitulini celebrationem.

22. Id indignatus acceptas divinitus fœderis tabulas frangit, vitulum in cinerem redactum cultoribus, ad exprobrandam cultus fuſili Deo exhibiti ſtultitiam, deglutiendum præbet, & per filios Levi 3000. viros occidit: tum denuo Deum pro gente Iſraelis deprecatur, *Exod.* 32: 15-35.

CAPUT III.

De rebus cultum vituli proxime ſecutis.

1. PLacatus Deus jubet Moſen novas parare tabulas prioribus ſimiles, promittit expulſionem Cananæorum, vetat eorum Numina colere, & filias in matrimonium ducere, mandat celebrari feſtum azymorum, ſabbati & pentecoſtes, primitias animalium & frugum ſibi vendicat, hædumque in lacte matris coqui prohibet, *Exod.* 34: 1-26. quod eſſet ritus Ethnicus, aut quia lac Mariæ non miſcendum ſanguini filii.

2. Moſi, rurſum 40. dies & 40. noctes apud Dominum in monte ſine victu tranſigenti, præcipit, ut mandata iſta, in quæ fœdus feriiſſet, ſcripto conſignaret; ipſe vero X. verba duabus tabulis à Moſe exciſis denuo inſcribit, *Exod.* 34: 1-28. *Deut.* 9: 9. & *c.* 10: 2-10.

3. Poſt

3. Poſt Moſes de monte deſcendit facie coruſcus, & teſtimonii tabulas manu gerens, commendat ſervationem ſabbati,& collationem donorum ad opus tabernaculi faciendum, *Exod.* 34:29. & 35. *cap.*

4. Mox Bezaleël è Judæ, & Ahaliabus è Danis tribu, tabernaculum, arcam cum Cherubinis, altare, menſam propoſitionis, candelabrum, veſtes ſacerdotales, cum pectorali è 12. gemmis compoſito & nomina 12. tribuum portante, ex præſcripto Dei confecere, *Exod.* 36, 39. *capp.*

5. Menſis primi die primo tabernaculum fœderis juſſu Dei à Moſe erigitur, ſplendida illico obductum nube, itineris & quietis Iſraëlitarum monitrice, *Exod.* 40. *cap.*

6. Tum è federis tabernaculo erecto Deus Moſi diverſas, de ſacrificiis potiſſimum, leges tradit, *Levit.* 1-7. *capp.* mandatum de Aarone & filiis ad ſacerdotium conſecrandis repetit.

7. Quod ſine mora executus Moſes, eos lavat, ungit, veſtit, ſanguine ſacrificii tingit, & ne ante elapſos ſeptem dies à tabernaculo diſcedant, monet, *Levit.* 8. nam VII. ætatibus V. T. durare ſacrificium debuit.

8. Octavo à cœpta conſecratione die Aaron primo pro ſe, deinde pro toto populo ſacrificia Deo offert, igne cœleſti abſumta, ſpectante integro cœtu, cui & Aaron dixit bene, *Levit.* 9.

9. Eodem die, prima à cœpto ad altare miniſterio, Nadab & Abihu, primogeniti Aaronis filii, cum igne peregrino in ſanctuarium ingreſſi, flamma divinitus immiſſa, Patre vidente & ſilente abſumuntur, *Levit.* 10.

10. Hinc

10. Hinc adparet, Iſraëlitas, elapſo circiter anno ab egreſſu ex Ægypto, fuiſſe à Deo ingenti oneratos onere, quod à principio exitus iis non impoſuerat. nam exierunt inde die xv. menſis Abib, vel Niſan, media nocte, & decalogum audiverunt ex ore Dei pronunciatum die vi. menſis tertii, Sivan dicti, id eſt die quinquageſimo ab exitu. *Exod.* 12: 18. ſeqq. & 13: 4. *Exod.* 19: 1-16.

11. Menſe jam quarto Thamuz coluere vitulum aureum, Moſe per 40. dies apud Deum in monte commorato, unde hodierni adhuc Judæi die 17. dicti menſis, Junio noſtro ex parte reſpondentis, jejunium שבר הלוחות *fractionis tabularum* ſervant: licet in ejus myſterium non indagent.

12. Quum ex Ægypto exierunt, nullam omnino de holocauſtis, vel ſacrificiis offerendis, accepere legem, ſed juſſi ſunt obtemperare voci Dei, & ambulare in viis ejus, *Jerem.* 7: 21.

13. Vox ad eos tum facta tota erat gratiæ plena. nam Deus jurabat, ſe eſſe Jehovam Deum ipſorum, ac memorabat, ſe eos velut Deum ipſorum ex Ægypto potenti brachio eduxiſſe, quare & debeat ab iis pro Deo ſuo haberi. inſuper vetabat cultum Ægyptiorum Numinum, *Exod.* 20: 2-5. *Pſ.* 81: 9-11. *Ezech.* 20: 5-7.

14. Eam vocem pronunciavit Pater & Filius, quem utrumque legem in monte Sina tuliſſe, infra videbimus. Igitur auſcultare voci Dei eſt credere, Deum habere filium, in quo ſit factus noſter Deus, eumque ſolum diligere & invocare ceu Deum & Liberatorem noſtrum.

15. Id vero eſt ipſiſſimum fidei præceptum,

cu-

cujus obſervatio facit, ut aggregemur ad populum, ad peculium Dei, & conſequamur beatitudinem, *Jerem.* 7 : 23. Et vox illa in N. T. quoque audienda.

16. Poſt decalogum occurrit nullum mandatum, quo Deus holocauſta vel pacifica exigat: ſaltem jubet extrui altare terreum; & lapideum ſi ſtatuatur, cultro poliri vetat, *Exod.* 20 : 24, 25.

17. Quo ipſo nondum præcipitur immolatio victimarum, arbitrio Iſraelitarum relicta; ſed tantum modus ſacrificandi definitur, *Munſter.* in *Jerem.* 7 : 22.

18. Equidem Moſes per delectos ex Iſraele juvenes Deo ad Horebum holocauſta & pacifica obtulit, *Exod.* 24 : 5. ſed ſponte ſua id fecit, veterum Patriarcharum morem imitatus.

19. Leges de ſervis, de pœna cædis & plagii, de talione, de bove cornupeta, furto & concubitu impudico, de cultu falſi Numinis, de peregrinis, viduis, pauperibus, de honore Magiſtratus, de officio teſtium & judicum, ſunt neceſſaria Reip. conſervandæ fulcra, & imago juſtitiæ aliis hominibus debitæ, ut minime pertineant ad onus Iſraelitis ob delicta impoſitum, *Exod.* 21, 22, 23. *capp.*

20. Senatores, vel Magiſtratus, vocantur אלהים *Dii*, *Exod.* 21 : 6. & 22 : 28. *Pſ.* 82 : 6. à poteſtate ferendi leges, conſcientiam tam arcte obligantes, ac ſi à Deo ipſo latæ eſſent ſine medio: hanc vero poteſtatem poſt vituli demum cultum à Deo præſcitum accepere.

21. Præceptum de primitiis ac decimis Deo offerendis admonebat populum de agendis Deo gra-

tiis,

tiis, & terram & terræ fruges liberaliter concedenti: quod ipſum eſt hominis officium, non jugum.

22. Mandatum de abſtinentia à carne diſcerpta in campo partim improbabat crudam voracitatem, partim docebat, impurum eſſe cibum, quem beſtia polluerit, nec decere Iſraelitas comedere ſanguinem vel ſuffocatum, magis quam Noæ poſteritatem, *Exod.* 22: 31. *Gen.* 9: 4.

23. Leges Eccleſiaſticæ de anno dieque ſabbatico, de diis alienis haud nominandis, & de tribus feſtis, *Exod.* 23: 10-17. continent officia Deo ceu Creatori & Redemtori debita: involvuntque myſteria gratiæ in Meſſia promiſſæ, ac commendant memoriam beneficiorum ſingularium Iſraeli præſtitorum; eoque nihil moleſti & duri imperant ob peccatum.

24. Quod fermentum non erat miſcendum ſacrificio, nec adeps ſervandus in craſtinum, *Exod.* 23: 18. ad figuras pertinet: eſt enim fermentum imago corruptionis, quæ à cultu Dei procul abeſſe debet; & adeps adumbrat cor noſtrum ſine mora Deo offerendum.

25. Dum autem memoratur ſanguis ſacrificii, non præcipitur effundi, ſed cavetur, ſi effundere eum velint Iſraelitæ, ne miſceatur fermento. Nec doctrina de morte Chriſti cum pravis dogmatibus & moribus convenit.

26. Tabernaculum erat domus Dei, officina gratiæ erga Iſraelem exercendæ; & Aaron cum ceteris ſacerdotibus adumbrabant Meſſiam, *Exod.* 25-29. *capp.* ergo præceptum de ejus ſtructura, de altaribus & ſupellectile, deque veſtitu ſacerdotali nullo jure pro jugo haberi poteſt.

27. Tan-

Digitized by Google

27. Tandem poſt omnia hæc mandata occurrunt tria alia, quibus diſerte Deus ſacrificia exigit; א. juvencum & duos arietes ad conſecrandum Aaronem cum filiis, *Exod.* 29 : 1. ſeqq. ב. duos agnos anniculos, alterum mane, alterum veſperi quotidie offerendum, vſ. 38, 39. ג. ſacrificium expiatorium, quotannis ſemel in adyto ſanctiſſimo faciendum, *Exod.* 30 : 10.

28. Præterea jubebat Deus quotidie bis, mane & veſperi, ſuper aram ſuffitus adolere aromata, *Exod.* 30 : 7 - 9. cum ſevero interdicto, ne ſimile incenſum fieret, vſ. 37, 38. quia precatio Chriſti pro populo ſuo non patitur imitationem.

29. Fateor, hæc præcepta exhibere diverſa gratiæ teſtimonia, & quædam eorum ſimul exprobrare impuritatem omnium Iſraëlitarum, ipſorumque ſacerdotum, & peccatum nondum deletum.

30. Sed obſervandum eſt, Deum hæc præcepta dediſſe, quum Iſraëlitæ fabricarent & colerent vitulum aureum, *Exod.* 32 : 7, 8. ut mirum haud ſit, iis dura quædam & oneroſa contineri.

31. Scil. confeſſio peccati nondum deleti fiebat aut ſolo ſermone, aut opere quodam, puta ſacrificio, ſed ſine ingeminata execratione; aut continua operum moleſtiſſimorum ſerie, præſtandorum, ſub pœna execrationis, & in metu mortis.

32. Sancti omnes ab Adamo uſque ad mortem Chriſti ſciebant peccata nondum eſſe deleta & expiata, & ſermone idem fatebantur in precibus ad Deum factis.

33. Ante fuſum ex auro vitulum accipiebat Moſes præceptum de immolandis aliquot ſacrificiis

ad commemorationem peccati adhuc extantis: ſed nondum poſtulabantur tot victimæ, tot lotiones & expiationes, quot poſtea; aberatque timor mortis, neque audiebatur execratio.

34. At poſt vitulum fuſum multiplicabantur mandata de ſacrificiis, luſtrationibus, expiationibus, ingeminabatur carmen dirum, metuſque mortis incutiebatur unum alterumve ritum negligenti.

35. Et hactenus lex ſubintravit, *Rom.* 5:20 addita tranſgreſſionum cauſſa, *Galat.* 3:19. Adami ipſius, & Iſraëlitarum, vituli cultu fœdus Dei violantium.

CAPUT IV.

De Decalogo.

1. UTi omnes leges conſtant paucis verbis ſenſu ampliſſimis: ita & decem præcepta rebus quam verbis ditiora ſunt. nec enim corporis tantum motus & actiones, ſed & mentis cogitationes affectuſque moderantur, *Rom.* 7:14. ut laſcivus conjugatæ feminæ adſpectus pro adulterio, *Matth.* 5:28. & ira vel odium pro cæde habeatur, 1 *Joh.* 3:15. *Matth.* 5:22.

2. Pleraque ſunt concepta formulis vetandi, quia peccatores à ſtudio malorum operum invitant ad agendam reſipiſcentiam, vitamque ſanctam, *Pſ.* 34: 15. *Eſai.* 55:7.

3. Præcepto *primo* interdicimur cultu falſorum Numinum: ***non erunt tibi dii alii***, ***juxta*** vel ***præter faciem meam***, præter Meſſiam, qui Dei eſt fa-

Q cies

cies, *Deut.* 4:37. *Malach.* 3:1. uti e Rakenatenſi & Bechajo monet *J. Alting.* ad *Deut.* 5:7.

4. Pro Deo habetur is, cui divinam perfectionem, vel divinum cultum tribuimus; unde non ſolum veneratio hominum mortuorum aut viventium, animantium vel aliarum rerum, qualis inter Paganos & Romanenſes obtinet, ſed & jactatio propriæ ſapientiæ aut juſtitiæ, avaritia & luxus, falſi numinis cultus eſt, *Jerem.* 17:5. *Habak.* 1:11. *Eph.* 5:5. *Philip.* 3:19.

5. Præcepto *ſecundo* prohibetur cultus veri Numinis per imagines rerum ſive cœleſtium, ſive terreſtrium, ſive aquaticarum: ad quod temerarium Dei colendi genus nimium mature homines inclinarunt, Ægyptii præſertim, Hebræi & Chriſtiani. primus imaginum uſus & honos fuit apud Gnoſticos: poſt ignorantia, ſuperſtitione & morum corruptione regnantibus, invaluit in Oriente & Occidente.

6. Quod ut excuſent, interdictionem imaginum ajunt eſſe non præceptum integrum, ordine ſecundum, ſed primi appendicem: prohiberi idola gentilium, non imagines Chriſtianorum; aut eſſe modo præceptum rituale, datum ad tempus ſolis Iſraëlitis: unde & è decalogo eraſum.

7. Imagines faciunt rudium doctores; at ſunt doctores falſi, *Habak.* 2:18. *Jerem.* 10:14, 15. loquentes vanitatem, *Zachar.* 10:2. ſicut nec Hebræi, nec Chriſtiani per eas fuerunt eruditi. Imo *Varro* monuit: *qui primi Deorum ſimulacra induxerunt, eos & metum demſiſſe, & errorem addidiſſe*, Calvin.

8. Et

8. Et Pagani cauſſabantur, ſimulacra, quæ colerent, non eſſe numina, ſed numinum imagines: tamen judicantur à Deo vanorum falſorumque numinum cultores, *Rom.* 1: 23. *Eſai.* 44: 10. 15. & 45: 20.

9. Et Iſraëlitæ voluerunt vitulum eſſe veri Dei ſimulacrum, qui ipſos ex Ægypto eduxerit, *Exod.* 32: 1. 4, 5. tamen reprehenſi quod vitulum adorarint, Dei obliti, *Exod.* 32: 8. *Pſ.* 106: 19. 21.

10. Reſpuunt Pontificii nomen εἴδωλον: ſic tamen Stephanus appellat vitulum, veri Dei ſimulacrum, *Act.* 7: 41. & εἶδος, εἴδωλον eſt ſimilitudo rei, ſive veræ, ſive fictæ; & Græci Latinique Doctores vocabula εἴδωλον, εἰκὼν promiſcue uſurparunt, teſte *Suicero* & *Forbeſio.*

11. Quicquid de vocibus ſit, præcepto ſecundo vetantur non modo repræſentationes falſæ, falſorum numinum ſimulacra, ſed omnes in genere ſimilitudines rerum exiſtentium, ſive in cœlis, ſive in terra, ſive in aquis: eoque & imagines veri Dei, Angelorum, hominumque ſanctorum.

12. In monte Horebo Iſraëlitæ nullam viderunt Jehovæ ex igne loquentis imaginem: unde Moſes infert, non oportere ſculptile facere, aut ſimulacri ullius imaginem; neque maſculi, neque feminæ, neque animantis, volucris, reptilis, aut piſcis effigiem.

13. Et in N. T. fugienda idola, 1 *Joh.* 5: 21. omnia ſimulacra rerum quibus defertur cultus religioſus; & Paulus vetat cogitare, Numen eſſe auro, argento, vel lapidi ſimile, *Act.* 17: 29.

14. Juſſit quidem Deus fabricari duos Cheru-

Digitized by Google

binos arcæ federis imponendos, & erigi in deſerto æneum ſerpentem: at non fuere imagines Dei. neque Deus Pater apparuit unquam in forma ſenis, & עתיק יומין eſt *permanens dierum*, *Dan.* 7:9. *Pſ.* 102:26-28. non *antiquus dierum*.

15. Neque aliam Pater habere poteſt imaginem quam Filium ſibi æqualem, *Coloſſ.* 1:14. *Hebr.* 1:3. neque res exiſtit ulla cui Deum aſſimilemus, *Eſai.* 40:18.25.

16. Pictæ Angelorum effigies nunquam in nobis rectas de ipſorum natura excitabunt cogitationes: hominumque ſanctorum virtutes præſtat imitari, quam corpora penicillo exprimere.

17. Qui ſtant à partibus Romanæ Eccleſiæ, ſedulo conantur crimen idololatriæ à ſancta matre repellere. nam Tridentini Concilii decreta non licere imaginibus divinitatem tribuere, aut fiduciam in iis ponere: ſed honorem iis præſtitum referri ad exemplar repræſentatum: caput nudari & inclinari coram imagine crucis ad recordandum Jeſum Chriſtum cruci affixum: in ſanctis honorari Deum ſanctitatis autorem.

18. Tridentinos Patres abuſum imaginum & vehementer improbaſſe, & pro viribus abolere conatos: cæterum à Satana ſanctiſſimum quodque inſtitutum corrumpi.

19. Reſp. א. in Romana Eccleſia doceri, non modo Deum ac ſanctos honorari per imagines, ſed & imagines ipſas eſſe colendas propter rem repræſentatam, & quidem cultu rei repræſentatæ debito, ſive proprie, ſive improprie; ratione ſui ipſius, aut loco alterius.

20. ב.

20. ב. Vulgum Romanum, fatente *Bellarmino* ſcholaſticarum diſtinctionum imperitum, divinitatem imaginibus tribuere, & cultum in iis defigere.

21. ג. Quia Deus per imagines coli non vult, illi, qui cultum ab imaginibus ad Numen ſupremum dirigunt, judicio divino non Deum, ſed imagines coluiſſe reputantur, non minus ac Iſraëlitæ, qui vitulum in deſerto, & poſtea in Dane & Bethele honorarunt.

22. Præcepto *tertio* vetatur abuſus divini Nominis, addita pœna quæ manet violatores hujus legis. Eſtque Nomen Jehovæ א. quodlibet vocabulum, Ens perfectiſſimum deſignans, *Eſai.* 42:8. ב. omne attributum, quo Deus eſſentiam ſuam facit notam, *Exod.* 23:21. & *c.* 34:5, 6. ג. Liberator ipſe, per quem Pater innoteſcit, 1 *Chron.* 13:6. *Joh.* 17:6. fatente *Bechajo*.

23. Nomen Dei *ſumitur*, quum aut animo cogitatur, aut ore pronunciatur, aut manu pingitur. ſumere *in vanum* eſt א. uti nomine Dei ſine juſta cauſſa, temere ac leviter, ſine honore ac timore. ב. uti illo cum mendacio.

24. Quod faciunt א indigna cogitantes, loquentes aut ſcribentes de Deo Patre, Filio & Spiritu S. eorumque virtutibus & operibus. ב. temere aut falſo jurantes. ג. venditantes ſe pro cultoribus Dei, licet eum non diligant, *Pſ.* 50:16, 17. ſimiles iis, de quibus Chriſtus, *Matth.* 7:22, 23.

25. Filium Dei aſſumunt in vanum א. qui illum nominant quidem, ſed non habent pro ſummo Deo, & perfecto unicoque Liberatore. ב. qui Eum criminantur & repudiant, uti faciunt Judæi.

Digitized by Google

ג. qui à Chriſti vel Jeſu nomine ſe falſo appellant, corde non amantes, vel opere non colentes eum, quem ore profitentur, *Pſ. 66 : 3.*

26. Præcepto *quarto* jubentur Iſraëlitæ diem quietis facere ſanctum, & quieſcere ab omni opere quod agerent ſex reliquis hebdomadæ diebus. Attende hic א. ad tempus notatum. ב. ad officium eo tempore præſtandum. ג. ad rationem quæ mandatum confirmat.

27. Tempus à Deo notatum eſt *dies quietis*, hebdomadæ ſeptimus, quo & Deus ipſe à creatione quievit, & Hebræos à labore ſolito quieſcere voluit. *Officium* præſtandum eſt, ut diem quietis faciant *ſanctum*; ſimulque præcipitur officii adminiculum, quies ab opere conſueto.

28. Loca uſu redduntur ſancta: pariter tempus fit ſanctum, quum ſancte id tranſigimus, Deum ejuſque opera meditando, laudando & fratribus annunciando: ſeptimus ergo dies fit ſanctus, quando cultui divino conſecratur: neque ipſa quies eſt Dei cultus, ſecus labore Numen cœleſte profanaretur.

29. Deum recte is colit, qui inter laborem, & occaſione operis, quod agit, Creatorem ac Liberatorem conſiderat laudatque; ſed præter hunc cultum vult Deus, ut omni alio opere intermiſſo ſcrutemur ipſius verbum, & contemplemur myſteria ſalutis, de quibus inter labores conſuetos non ſatis cogitamus.

30. Opera quæ Dei inſtituto, vel ſua natura, pertinent ad teſtificandum Dei & hominis proximi amorem, qualia ſunt victimas mactare ac Deo offerre,

ferre, ægrotos ſanare, vel inviſere, ortum incendium delere, hoſtes avertere &c. non ſunt divini cultus impedimentum; unde nec vetari potuerunt, *Matth.* 12:5. 11, 12.

31. Labor ſuſceptus ex amore ſui ipſius ad victum & amictum comparandum, ſive ad corpus aliter curandum, ut coctio cibi, cultura agri, collectio frugum, diſtrahit mentem à meditationibus Dei, & poſt peccatum vanus & moleſtus eſt, non cauſſa lætitiæ & ſolatii.

32. Itaque Iſraëlitæ die quietis vacare ab omni labore debuerunt, partim ut omnibus animi facultatibus & cogitationibus patefacta Dei arcana inveſtigarent, & Jehovam Liberatorem ſuum laudibus concelebrarent, *Exod.* 16: 23. *Deut.* 5: 14. *Eſai.* 56 : 2. 4. *Pſ.* 92 : 1-3. partim ut animam continuis ac laborioſis culpæ exprobrationibus fatigatam recrearent, *Exod.* 23: 12. & 35 : 2. *Eſai.* 58: 13. ſpectantes veræ quietis autorem.

33. Ratio mandatum confirmans petitur ab exemplo Dei, qui ſeptimo die à creatione quievit, & diem quietis ſingulari favore diſcrevit à reliquis, ſanctumque fecit: & fuere Sabbata ſignum inter Deum & Iſraëlitas, ut cognoſcerent, Jehovam eſſe Deum ipſorum, eoſque reddere ſanctos, *Ezech.* 20: 12. 20.

34. Quando enim vacabant à labore terreſtri ac ſervili, Deus in iis operabatur per Spiritum S. opus cœleſte, amorem Jehovæ, fiduciam ac lætitiam in promiſſo Meſſia: unde ſperarunt Iſraëlitæ pii, exoriturum aliquando optatum tempus quietis à peccatis, & ab operibus moleſtis lege placitorum præ-

ceptis, quæ qui facit, curioſiſſime licet, recreari tamen iis non poteſt, vel juſtus & ſanctus fieri, *Pſ.* 95: 11. *Hebr.* 3: 18. & 4: 1-11.

35. Quod dies quietis fuit ſeptimus hebdomadis, admonuit quietem ab operibus legis placitorum incepturam ætate ſeptima ſeculi Iſraëlitici, qua & Meſſias quietis autor venit in mundum.

36. Sabbata polluentes opere ſervili & vetito, negabant Deum facere Iſraëlem ſanctum, & miſſurum aliquando Meſſiam quietis auctorem, propterea que merebantur mortem, *Exod.* 35: 2.

37. Præcepto *quinto* mandatur honos parentibus exhibendus, & vita longa in Cananæa exigenda promittitur iis, qui parentes honorant, *Eph.* 6: 2, 3.

38. Pater & mater in ſcriptura nominantur quicunque tribuunt aliquid ad vitam corporis vel animæ in Deo accipiendam, conſervandam & defendendam, uti genitores, majores, nutrices, Magiſtratus, Paſtores, Præceptores, &c. *Gen.* 41: 43, 2 *Reg.* 2: 12. *Galat.* 4: 19. 1 *Cor.* 4: 15.

39 Honor iis debitus continetur partim exiſtimatione præclara, quam animo de ipſis fovemus, partim teſtimoniis hujus exiſtimationis, quæ edimus per verba reverentiæ plena, per geſtus verecundos, perque opera quibus iis obedimus, vel opitulamur. *Matth.* 15: 4-6. *Prov.* 19: 1.

40. Erat Cananæa cœli figura, & vita longa in felici illa terra tranſacta, pignus vitæ ſempiternæ in cœlo agendæ: igitur in parentum cultoribus iſta excitabatur ſpes: quam certo diuturnam vivimus vitam in optata Cananæa, tam certo nos manet vita cœleſtis.

41. Præ-

41. Præcepto *ſexto* vetatur cædes, quæ committitur aut animo iracundo vel infeſto, aut membro corporis, uti manu violenta, oculo invido. *Matth*. 5: 21, 22. *Galat*. 5: 21: 1 *Joh*. 3: 15.

42. *Septimo* prohibetur adulterium & quævis impudicitia mentis, linguæ & corporis, 2 *Petr*. 2: 14. *Matth*. 5: 28. I *Cor*. 6: 9. ſecundum Aben Ezram quævis commixtio extra legem matrimonii.

43. *Octavo* rei alienæ ablatio invito Domino, 1 *Cor*. 6: 10. *Eph*. 4: 28. cum maxime rei ſacræ, Deo devotæ, *Joſ*. 7: 1. 20. 25. *Nono* teſtimonium falſum & omne mendacium, *Pſ*. 5: 7. *Prov*. 21: 28.

44. *Decimo* prohibetur rei alienæ cupiditas, quæ opere quidem non expletur, ſed perverſis animi cogitationibus concluditur, *Rom*. 7: 7. *Deut*. 5: 21.

45. Hæc brevis eſt *verborum decem* repetitio, quibus formula federis gratiæ continetur ſane, at non integra, verum ea modo pars, quæ Dei poſtulata & promiſſa indicat.

46. Pronunciata ſunt ab auctore gratiæ, & à Moſe vocantur verba federis, *Exod*. 34: 28. *Deut*. 29: 1. & negari nequit, Deum cum Iſraëlitis pepigiſſe fedus gratiæ, quod naturam ſervat eandem, ſive cum una natione, ſive cum multis pangatur.

47. Nec enim niſi gratiæ federe Jehova fit Deus noſter, miſerans amicos ſuos, & ſanctitatem efficiens in quieſcentibus ab operibus carnis: ut errarint viri docti, qui tria ſtatuentes federa, legale à federe gratiæ, officiis & promiſſis diſtinxerunt.

Digitized by Google

CAPUT V.

De novo onere ad decalogum addito.

1. UT conſideratio hujus oneris fiat ordine, docebimus: א. quod Deus Iſraëlitis grave onus impoſuerit. ב. quibus partibus id conſtiterit. ג. cur fuerit impoſitum.

2. De onere Iſraëlitis fœderis ruptoribus impoſito teſtatur Deus ipſe *Jer.* 31: 32. *irritum fecerunt pactum meum*, ואנכי בעלתי בם, *& Ego dominatus ſum illis*, ſeveri inſtar domini rigide ac duriter eos tractavi. LXX, & ex iis Paulus, *Hebr.* 8: 9. κᾀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. *& Ego neglexi eos.*

3. Diſciplina Moſaica eſt ζυγὸς δουλείας *jugum ſervitutis*, *Galat.* 5: 1. jugum quod neque ipſi Judæi, neque Patres eorum portare potuerunt, *Act.* 15: 10. onerati nempe & fatigati, nec recreati, niſi à miſſo Liberatore, *Matth.* 11: 28. heredes quidem, ſed à ſervis non differentes, *Galat.* 4: 1.

4. Jugi hujus intolerandi partes ſunt: א. *exactio obedientiæ perfectæ* propriis viribus præſtandæ, juſtitiæque ex operibus conſequendæ. ב. *execratio* ob injuſtitiam & defectum obedientiæ perfectæ. ג. *lex* imperans plurimas moleſtaſque ceremonias, quæ pertinebant ad demonſtrandam Iſraëlitarum injuſtitiam & impuritatem. ד. pœna violatoribus legis ceremoniarum illata.

5. Perfectam juſtitiam poſtulavit Deus diſerte: *cuſtodite ſtatuta mea & judicia mea, quæ qui faciet homo, & in eis vivet*, Levit. 18: 5. Deut. 10: 12, 13.

Mo-

Digitized by Google

Moſes enim ſcripſit juſtitiam ex lege, Rom. 10:5. Galat. 3:12.

6. Dumque Iſraëlitæ circumcidebantur, obligabant ſe ad ſervandam legem, *Galat.* 5:3. cui velut uxor marito, *Rom.* 7:1.4. & ſervi domino, *Rom.* 6:14. *Galat.* 4:5.7. ſubjiciebantur, ita ut circumciſio nemini niſi legis cuſtodi prodeſſet, *Rom.* 2:25.

7. Et quod gravius eſt, tenebantur ad legem præſtandam ſuis viribus: unde jubentur ipſi ſe circumcidere, *Deut.* 10:16. *Jer.* 4:4. nempe Jehova iis dedit cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, *Deut.* 29:4. quaſi ſuffeciſſent externa gratiæ adminicula, *Eſai.* 5:4.

8. Deinde adverſum injuſtos, qui totam legem ad amuſſim non expleſſent, pronunciabatur execratio, confirmanda ſibique applicanda ab univerſo populo, *Deut.* 29:26. *Galat.* 3:10. atque hactenus lex erat litera occidens, 2 *Cor.* 3:6. miniſterium mortis, vſ. 7. operans iram. *Rom.* 4:15.

9. Tertio, præter mandata, quæ qui facit, per ea vivit, *Ezech.* 20:11. dedit Deus Iſraëlitis præcepta non bona, & judicia propter quæ non vivent, vſ. 25. infirma & inutilia, *Hebr.* 7:18. quod ſervantem ea non poterant reddere juſtum, vel conſummare conſcientiam cultoris, *Hebr.* 9:9.

10. Vocantur & præcepta in placitis, *Eph.* 2:15. *Coloſſ.* 2:14. quia fluebant ex libera Dei voluntate, non ex immutabili ejus ſanctitate; lex præcepti carnalis, *Hebr.* 7:16. quia imperabat δικαιώματα σαρκὸς, *Hebr.* 9:10 ritus multos carne & in carne obſervandos, infirma illa & egena mundi elementa, *Galat.* 4:3.9. *Coloſſ.* 2:8.20. ad mentem puritatis indigam non pertingentia.

11. Rituum Iſraëlitis præſcriptorum alii ſua natura erant moleſti & oneroſi, ad demonſtrandam eorum injuſtitiam & impuritatem deſtinati, ut fuga à locis ſanctis, ſacrificia pleraque, lotiones & diſcrimen ciborum.

12. Alii ad onus hoc inſtitutione prima non pertinebant, ſed ad beneficiorum acceptorum commemorationem, vel promiſſorum confirmationem faciebant, ut datio primitiarum, decimarum, ſacrificium ac ſuffimentum quotidianum & anniverſarium, obſervatio feſtorum *&c.* de quibus Dei præceptum ante vitulum adoratum extabat, velut de lætis juſtiſque grati animi teſtimoniis.

13. *Primo* arcebantur Iſraëlitæ à locis ſacris, ab ingreſſu ſacrarii in quo altaria ſtabant, *Hebr.* 9:6. ſolique tribui Levi licebat adpropinquare ad altare, *Num.* 8:16-19. *Deut.* 10:8. *Hebr.* 7:5. 11. 13.

14. Sed & ipſa excludebatur adyto ſanctiſſimo, quod introire, ſed quotannis tantum ſemel, audebat ſummus Pontifex, *Hebr.* 9:7. jam à monte Sina univerſus prohibebatur cœtus præter Moſen & Aaronem, *Exod.* 19:12. ſeqq. puto ob cor impurum, prævisamque defectionem.

15. *Secundum* genus rituum conſtituebant ſacrificia magno numero, anxia cura, certis temporibus, diverſoque fine, uno tamen loco, ab omnis generis perſonis offerenda.

16. Res Deo oblatæ vel deſtruebantur, vel ſervabantur integræ. Res deſtruenda vocabatur זבח *θυσία*; manens integra מנחה *δῶρον*. illa deſtruebatur vel tota, vel ex parte, eratque animata, vel inanimata. *animata* ſacrificium erat cruentum,

quod

quod conſtituebat adſperſio ſanguinis in altari, & combuſtio adipis inteſtinorumque ſuper illud facta: utramque mactatio, ablutio, & diſſectio victimæ præcedebant, *Levit.* 17 : 6. figuræ hominis impuri deſtructionem meriti.

17. Victima *tota* deſtructa erat עולה *holocauſtum*: quando ſaltem *pars* conſumebatur igne, id quod reſtabat, cedebat in uſum Sacerdotis, & ejus qui pecudem offerebat, ad indicandam victimæ communionem.

18. Deſtructio rei *inanimatæ* fuit incenſio thuris, קטורה θυμίαμα; item incenſio dapum, & libamen vini. Res quæ manebant integræ, fuere primitiæ, decimæ, pecunia ad conſervationem templi, paneſque propoſitionis: hi enim non comeſi niſi caſu neceſſitatis, *Luc.* 6 : 3, 4. 1 *Sam.* 21 : 4-6.

19. Conſecrabant autem Deo res ſive deſtruendas, ſive non deſtruendas, triplici potiſſimum fine: א. ad expiandum delictum quod commiſerant. ב. ad teſtandum animum gratum pro beneficio quod acceperant. ג. ad felicia muneris ſacerdotalis auſpicia.

20. Sacrificium pro expiandis peccatis oblatum erat vel חטאה, *Levit.* 4. tot. & *c.* 5 : 13. vel אשם, *Levit.* 5 : 14. uſque ad fin. *illud* offerebatur pro peccatis inſcienter patratis: item pro juramento audito, ſed non indicato, pro contactu rei impuræ imprudenti, & pro juramento quod quis imprudens jurabat. Conſumebatur chattaa tota, ovis, capra aut turtures.

21. *Hoc* debuit offerri pro ſacrilegio ex ignorantia commiſſo, pro peccatis admiſſis contra legem igno-

ignotam, pro peccatis petulantibus, & pro vitiatione ancillæ, nec in matrimonium ductæ, nec manu miſſæ: fuitque aries.

22. Sacrificium ex grato animo oblatum זבח שלם fuit triplex: א. victima pecudum tam minorum quam majorum, *Levit.* 3: 1-12. ב. dapes crudæ, vel paratæ, hæque vel coctæ, vel toſtæ, *Levit.* 2: 1-7. ג. libamen vini, *Num.* 15: 5-7. *Pſ.* 116: 13.

23. Holocauſtum totum erat Jehovæ, ſacerdote cutem accipiente. מנחה donum erat Dei ac ſacerdotum; pacificum Dei, ſacerdotis & offerentium.

24. Tertium genus ſacrificiorum fuere מלאים *impletiones*, quibus conſecrabantur ſacerdotes ad muneris adminiſtrationem, *Exod.* 29: 19. ſeqq. *Levit.* 8: 22. ſeqq. nomen gerebant ab impletis ſacerdotum manibus.

25. Oportebat ſacrificia immolare pro vivis Iſraelitis omnibus, pro cœtu integro, & pro capitibus ſingulis, pro populo & pro principibus, ipſisque ſacerdotibus ac Levitis, pro viris ac feminis, infantibus & adultis, pro puris & impuris, temporibus ſtatis & occaſione ſingulari.

26. Sequuntur *tertio* lotiones, quibus ex præſcripto legis purgabantur א. victimæ ipſæ, *Exod.* 29: 17. *Levit.* 1: 9. 13. ſacerdotes, *Exod.* 29: 4. & 30: 19. & 40: 12. *Levit.* 16: 4. ג. veſtes Sacerdotum ac Levitarum, *Num.* 19: 7, 8. ד. veſtes & res omnes impuro contactu pollutæ, *Levit.* 15: 5. ſeqq. ה. viri profluvio ſeminis, & mulieres fluxu ſanguinis laborantes, *Levit.* 15: 13-16. & aqua ipſa in quam impurum animal cecidit, *Levit.* 11: 36.

27. Equi-

27. Equidem Iſraëlitæ omnes ad montem Sina lavare veſtimenta ſua debuerunt, *Exod.* 19: 10. probabiliter quod erant maculata contactu Numinum Ægyptiorum, exuenda propterea & omnino abjicienda, ſi alia ſuppetiiſſent, *Gen.* 35: 2.

28. Et Moſes jam ante cultum vituli jubebatur abluere cum Aaronem & filios, *Exod.* 29: 4. tum inteſtina & crura victimæ, *Exod.* 29: 17. quo populus admoneretur, nos victima ſancta, & à pecudibus longe diverſa, atque Sacerdote impolluto opus habere.

29. *Quarto* onerabantur Iſraëlitæ cibaria lege, pecudes, piſces & aves, mundas ab immundis diſcernente, *Levit.* 11. *c.* tot. & *c.* 20: 25, 26. *Deut.* 14: 3-21. adipe præſertim & ſanguine debebant abſtinere, ſancita capitis pœna, *Levit.* 7: 23-27. quia Dei erant.

30. Ab eſu carnis morticinæ jam ad montem Sina arcebantur, quod eſſent gens Deo ſancta, *Exod.* 22: 31. ſacerdoteſque id præceptum negligentes ſupplicio ultimo afficiebantur, *Levit.* 22: 8, 9.

31. Hos ritus omnes Deus eo fine inſtituerat, ut Iſraëlitis injuſtitiam & impuritatem exprobraret; prohibiti enim à locis ſacris, palam monebantur, indignos eſſe qui ad Deum adpropinquarent, *Jer.* 30: 21.

32. Et ſacrificia offerendo chirographum ſcribebant adverſum ſe ipſos, *Coloſſ.* 2: 14. profitentes ſolenniter, ſeſe pecudum loco ut mactarentur dignos: unde & manus illarum capiti imponebant.

33. Quotquot item aqua abluebantur, manifeſto

feſto teſtabantur, peccati ſe ſqualere ſordibus, & opus habere, ut laventur in ſanguine Meſſiæ, & in aquis mundis Spiritus S.

34. Similiter nonnullorum ciborum impuritas demonſtrabat, Iſraëlitas eſſe impuros, ac deſtitui jure fruendi rebus à Deo conditis, puris enim omnia ſunt pura, *Tit.* 1 : 15. ſi accipiantur cum gratiarum actione, 1 *Tim.* 4 : 4, 5.

35. Feſtorum obſervatio gratior erat hilariorque: nam ea cum beneficia accepta recolebant, tum accipienda tempore Meſſiæ, fide ac ſpe pleni, in præſentia Domini meditabantur.

36. Haud tamen ſine aliqua moleſtia fiebat iter Hieroſolymitanum; & quod feſta in ea ſolum urbe oportebat celebrare, admonebat, Deum nolle populo aliis in locis adparere, i. e. cetera Cananææ opida præ Hieroſolymis ipſi diſplicere.

37. Sequitur jam quarta pars oneris Iſraëli impoſiti, pœna ſcil. violatoribus legis cerimoniarum illata, ſive a Deo ipſo, ſive Dei juſſu ab hominibus & Angelis.

38. Nam qui præſcriptum ritum negligebat, ad certum tempus à cœtu ſacro reſcindebatur, & conſequenter communione Dei privabatur, *Deut.* 23 : 10. vel morte ſubita, aut plaga dira affligebatur, *Levit.* 7 : 20. & 10 : 2. & 22 : 8, 9. 2 *Sam.* 6 : 6, 7. 2 *Chron.* 26 : 16. ſeqq. inde per omnem vitam ſervitus ex metu mortis, *Hebr.* 2 : 15.

39. Patres enim carnis habuere caſtigatores, *Hebr.* 12 : 9. tutores ac curatores, *Galat.* 4 : 2. Diis ſimiles, *Pſ.* 82 : 6. & Angelos vindices legis. *Act.* 7 : 53. *Hebr.* 2 : 5. quibus viſis expaverunt, & mortem

tem ſibi imminere crediderunt, *Judic.* 6 : 22, 23. & 13 : 22. *Luc.* 1 : 12.

40. Quin & jubebantur cuſtodire mandata doctorum in Moſis cathedra ſedentium, qui onera gravia portatuque difficilia ligabant, humeriſque hominum imponebant, neque digito ea movere volebant, *Matth.* 23 : 2-4.

41. Supereſt tandem conſideranda ratio, propter quam Deus Iſraëlitas gravi iſto jugo oneravit, ubi quidem ſumma Dei æquitas, juſtitia ac ſapientia elucebit, cum perverſo agentis perverſe, & puritatem ſervantis apud puros, *Pſ.* 18 : 27.

42. Primum enim exegit obedientiam perfectam, eamque propriis viribus præſtandam, quia populus eam promiſerat, neque de nativa carnis pravitate, deque petendo divini Spiritus auxilio cogitaverat.

43. Eadem de cauſſa pronunciavit execrationem legis adverſum omnes ejus violatores: mortis enim diræ fit reus, quiſquis vult per legem vivere, quam tamen nec ſervat, nec ſervare poteſt.

44. A locis ſacris & præſentia Dei prohibebantur, quia cum Dei miniſtris agere maluerunt, quam cum ipſo Deo, *Exod.* 20 : 19. & ſacrificando morte ſe dignos fateri debebant, quia juſtitiæ & vitæ per legis opera impetrandæ vana ſpe tumebant: pavore tamen, ſi pote, ad ſaniora ducendi.

45. Corpora autem, veſtes ac vaſa purgare aquis jubebantur, quo monerentur, ipſorum animos haud dum eſſe ab operibus mortuis purificatos, imo frequentiſſime novis ſordibus conſpurcari.

46. Diverſis cibis interdicebantur, ne ſtolido

faſtu inflari præſumerent, Cananæam ejuſque proventus dignitati ſtirpis ſuæ, operumque legi congruenter præſtitorum, merito deberi.

47. Sed & jure humanæ autoritati ſubjiciebantur, qui homines præ Deo audire malebant: diriſque ſuppliciis coërcere & perterrefacere obſtinati populi contumaciam oportuit, quam emendare & flectere bonis verbis factiſque non licuit. *Act.* 7: 51.

48. Iſraëlitæ pii fideque Meſſiæ præditi non poterant queri de duro onere, quod cum impiis & faſtuoſis juſtitiæ propriæ ſectatoribus portare neceſſe habebant. nam ante Meſſiæ adventum peccatique abolitionem, licuit Deo oſtendere vim peccati, & exercere iram, donec fuſo Liberatoris ſanguine extingueretur.

49. Ita lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum, *Joh.* 1: 17. Lex Moſis litera occidens, miniſterium mortis, 2 *Cor.* 3: 6, 7. nam jugum Iſraëli eſt per Moſen impoſitum, & decem verbis gratiæ à Schechina pronunciatis ſuperadditum. Moſen Iſraëlitas in Cananæam non introduxiſſe, ſed Joſuam, myſterio non caruit.

CAPUT VI.

De promiſſionis confirmatione & amplificatione tempore ſecundo.

1. QUandoquidem lex promiſſionem non abolet; *Galat.* 3: 17. 21. ideo & ipſa fuit magiſtra filios Dei ad Chriſtum ducens, *Rom.* 10: 4. *Galat.* 3: 24. & omnes libri V. T. continent promiſſionis

miſſionis primæ confirmationem & amplificationem, teſtantes de Chriſto, *Act.* 3 : 18. & 10 : 43. 1 *Petr.* 1 : 11. *Joh.* 5 : 39. 46.

2. Præter Moſen omnes prophetæ à Samuele, & deinceps ſecuti, prænunciarunt dies iſtos, *Act.* 3 : 24. & Paulus, qui nihil novit niſi Chriſtum cruci affixum, 1 *Cor.* 2 : 2. extra Moſen & prophetas nec quicquam dixit, *Act.* 26 : 22, 23. Seligamus inde quædam vaticinia.

3. Primum eſt Bileami *Num.* 24 : 17. ab Onkelos, Jonathane Ben Uziel & Nachmanide diſerte de Meſſia explicatum : & continentur ea א. quædam nomina Meſſiæ, *ſtella, virga.* ב. ejus ortus, *procedet è Jacobo, ſurget ex Iſraele.* ג. actus regii erga hoſtes Eccleſiæ, *franget, deſtruet angulos Moabitarum*; & erga Eccleſiam ipſam, *congregabit filios Sethi*, qui in locum Abelis ſucceſſit. *Matth.* 23 : 37.

4. Secundum vaticinium Deus Pater annunciavit Moſi *Deut.* 18 : 18, 19. ubi veteres Judæi magnum prophetam, promiſſum mundi Meſſiam, intellexere, *Joh.* 1 : 21. & 6 : 14. *Act.* 3 : 22. & 7 : 37.

5. Nam א. hic propheta Moſi debet eſſe ſimilis, cæteri autem ſunt eo inferiores, *Deut.* 34 : 10. ב. debet medias agere inter Deum & Iſraelem partes, *Deut.* 18 : 16, 17. quod verum eſt Servatoris officium.

6. Propheta voluntatem divinam ex ore Dei ipſius audit, populoque indicat : Chriſtus ab æterno fuit apud Deum, *Joh.* 1 : 1, 2. in ſinu Patris, vſ. 18. & quæ ex ipſo audivit, nobis revelavit, *Joh.* 8 : 26. 40. etiam Pater eſt ipſius dator : *ſuſcitabo*, & po-

pulus, cujus bono vates iſte excitatur, eſt Iſraël, *ipſis*, *Rom.* 15: 8. *Matth.* 15: 24. *Act.* 13: 46.

7. *Genere* eſt Iſraëlita, *dignitate* Moſi æqualis. *munus* in eo conſiſtit, ut verba Dei Patris annunciet, *Joh.* 3: 32. 34. & *c.* 7: 16, 17. & 14: 24. *Joh.* 8: 26. 28. & 12: 49. etiam Jeſus nihil reticuit eorum, quæ audivit ex Patre, *Joh.* 16: 12-14. *Pſ.* 40: 9. *Eſai.* 50: 4. & 61: 1.

8. Subjungitur ultio ſumenda de contemtore hujus prophetæ: *quiſquis non audierit* &c. audire Meſſiam eſt credere Evangelium, *Joh.* 10: 25. quod qui non facit, contemnit Patrem, qui miſit Filium, *Matth.* 10: 40. & vindex gloriæ Filii Judæos graviſſime punivit. *Joh.* 12: 47, 48. *Hebr.* 2: 2, 3. & 3: 15. ſeqq. *Eſai.* 50: 1, 2. *Ego requiram*, *Gen.* 9: 5. 2 *Chron.* 24: 22.

9. Tertio *Hanna* occaſione nati Samuelis proloquitur canticum Eccleſiæ N. T. teſtificantis gaudium ex ortu Meſſiæ conceptum, & celebrantis ſanctitatem, ſapientiam ac potentiam Dei in regendo & defendendo populo ſuo, 1 *Sam.* 2: 1-10.

10. Oraculum quartum de Meſſia attulit Nathan ad Davidem, ſtructuram templi meditantem, 2 *Sam.* 7: 12-15. quod diligenter eſt executus Ethan *Pſ.* 89. de perpetuitate regni Davidis in Meſſia vaticinatus.

11. Verba: *Ego Ei pater ero, & ipſe mihi filius erit*, à Paulo diſerte explicantur de Chriſto Jeſu, *Hebr.* 1: 5. quare nefas eſt, ea de ſolo intelligere Salomone, ad quem ſine dubio pertinent verba ſequentia: *Quum deliquerit*, tamen & ſemen Meſſiæ à lege Dei recedit interdum, *Pſ.* 89: 31-33.

12. Nem-

12. Nempe David habuit geminum ſemen, א. *ſanctum* & divinum, Meſſiam ipſum. ב. *peccans*, & ob peccatum humana virga caſtigandum, Salomonem ejuſque prolem: illi promittitur regnum perpetuum, huic caſtigatio paterna, qualis erat diminutio & ablatio regni temporalis.

13. Deus qui non habitat in domibus manu factis, ſed cœlum & terram implet, *Act.* 7: 48. 1 *Reg.* 8: 27. *Eſai.* 66: 1. *Jerem.* 23: 23, 24. tres habet domos, unam ignobiliorem, templum à Salomone ſtructum, 1 *Reg.* 8: 10. 13. duas nobiliores, humanam Chriſti naturam, *Zach.* 6: 14. *Eſai.* 8: 14. & Eccleſiam, 1 *Tim.* 3: 15. *Joh.* 14: 23.

14. Nathan ergo prædicens, ſemen Davidis ædificaturum Deo domum, innuit: א. Meſſiam Davidis filium fore hominem. ב. & collecturum Eccleſiam. ג. Salomonem ſtructurum templum è ligno & lapidibus.

15. Quinto Davidis moribundi ſermo ultimus agit א. de ipſomet, Rege pio, 2 *Sam.* 23: 3. ב. de Meſſia orituro cum luce Evangelii, deque miſſione Spiritus S. vſ. 4. ג. de conſtantia fœderis gratiæ, etſi non cum filiis carnis, regiam poteſtatem amiſſuris, tamen cum Meſſia ex collapſa Davidis familia naſcituro, vſ. 5. & tandem ד. de pœna impiorum, vſ. 6, 7.

16. Plerique Pſalmi agunt de Meſſia, & ejus quidem generatione æterna, pacto cum Patre, natura humana, paſſione & morte, reſurrectione, adſcenſione in cœlum ac donis inter homines diſtribuendis, poteſtate regia, munere ſacerdotali, triumphiſque de hoſtibus omnibus reportandis.

Digitized by Google

17. *Eſai.* 7 : 14, 15. prædicitur Meſſiæ mater, *Virgo*, victus & ſanctitas. *Cap.* 9 : 1, 2. habitatio in Galilæa, v. 6. adventus in carne & regnum cum regiis virtutibus, v. 7. regni amplitudo, pax, juſtitia & æternitas. *Cap.* 11. ortus Meſſiæ ex collapſa Davidis familia, vſ. 1. ejus dotes, vſ. 2, 3. juſta regni adminiſtratio, vſ. 3-5. cum fatis regni inter gentes propagandi.

18. *Cap.* 40. vaticinatur N. de prodromo Meſſiæ, vſ. 3, 4. de revelanda Dei gloria per adventum Meſſiæ, vſ. 5. vanitate Iſraëlis, vſ. 6-8. præconio Evangelii, vſ. 9. judicio populorum, vſ. 10. & collectione Eccleſiæ, vſ. 11. *Cap.* 49. prædicitur mirabilis conceptio Meſſiæ, vſ. 1. prædicatio Evangelii, vſ. 2, 3. querela de infidelitate Judæorum, vſ. 4. conſolatio à Patre accepta. vſ. 5-15. *Cap.* 50. ſiſtitur Meſſias præco Evangelii, patiens, Judex.

19. *Cap.* 53. deſcribitur forma Chriſti contenta, vſ. 1-4. pœna pro nobis tolerata, vſ. 5-8. mors, vſ. 9. ſepultura, vſ. 10. præmium laboris, vſ. 11-13. Vid. *Matth.* 8 : 17. *Act.* 8 : 30. ſeqq.

20. *Micha c.* 2. indicat ſigna præcedentia adventum Meſſiæ, reductionem ſcil. Judæorum ex captivitate Babylonica, & multiplicationem poſt reditum, vſ. 12. victoriam de vicinis hoſtibus, vſ. 13. adventum Meſſiæ, *ibid. Cap.* 5. locum natalem, Bethlehemum, vſ. 1.

21. *Jeremias c.* 23. introducit Deum prænunciantem Iſraëlitarum collectionem ex captivitate, multiplicationem, vſ. 3. curam paſtoralem & felicitatem, vſ. 4. adventum Meſſiæ, & varia ejus beneficia, vſ. 5, 6. Conf. *Jerem.* 33 : 15, 16. *Cap.* 30. annunciat

annunciat ſolutionem captivitatis, ſtructuram urbis & templi, vſ. 18. gaudium inde ortum, populique incrementum, vſ. 19. defenſionem, vſ. 20. Meſſiæ exhibitionem, vſ. 21. novam federis promulgationem & confirmationem, vſ. 22.

22. *Jerem.* 31 : 22. prædicitur conceptio Chriſti & geſtatio in utero materno, tanquam res nova, à Jehova creanda. hæc via viri in virgine, *Prov.* 30: 19. Nihil hic de cœtu Iſraëlitico.

23. *Joel c.* 2 : 23. hortatur filios Sionis ad lætitiam in Deo federato, quia det nobis א. Doctorem illum ad juſtitiam, Meſſiam. ב. Spiritum S. imbrem ac pluviam ſerotinam.

24. *Habakuk c.* 2 : 3, 4. videt *praconem in fine*, venturum ultima V. T. ætate, *Hebr.* 1 : 1. reſpuendum ab iis, qui ſe ad clivum, templum in monte, recipiunt; ab aliis tamen fide complectendum.

25. *Daniel c.* 9 : 24 - 27. vaticinatur de reſtauratione Hieroſolymorum, adventu Meſſiæ, beneficiis & morte, deque Reip. Judaicæ everſione per Romanos, intra 490. annos futura.

26. *Ezech.* 17 : 22-24. extat prædictio de tenero ramo in Sione plantando & augendo, qui Jonathani & *Oecolampadio* vere eſt Meſſias, *Grotio* falſe Zorobabel.

27. Idem Vates ſacer prænunciat curam ovium per Meſſiam paſtorem, *c.* 34 : 11-24. conjunctionem Iſraëlis ſub uno Rege & Paſtore, Davide ſervo, *c.* 37 : 15-22. purgationem, vſ. 23. gubernationem per Meſſiam, vſ. 24-28.

28. Ab *Haggeo* annunciatur adventus Chriſti in templum ſecundum, *c.* 2 : 7, 8. à *Zacharia* adven-

Digitized by Google

tus & habitatio in Cananæa *c.* 2 : 10. miſſio ſervi germinis, *c.* 3 : 8. regnum Meſſiæ, veri ſacerdotis, *c.* 6 : 9 - 15. adventus Regis in paupere forma, cum diverſis beneficiis, *c.* 9 : 9-12.

29. Cura ovium Patris mandato ſuſcepta à Filio, *c.* 11 : 4-7. venditio paſtoris pro triginta argenteis, vſ. 12, 13. ſalus Judæ per Filium Davidis, Angelum Dei in humili ſtatu adparentem, *c.* 12 : 7, 8. paſſio paſtoris Viri Jehovæ proximi, *c.* 13 : 7. *Matth.* 26 : 31.

30. Denique *Malachias* vaticinatur de adventu Johannis B. & Angelo fœderis ſacerdotes purgaturo, *c.* 3 : 1-4. de conſervatione piorum per oriturum Solem juſtitiæ, *c.* 4 : 1, 2.

31. Ita verbum ſalutis paulatim crevit, amplius & diſtinctius per partes enarratum ; quin & ſcripto eſt conſignatum ad confirmandam Iſraëlitarum fidem, *Joh.* 5 : 39. 2 *Petr.* 1 : 19. *Rom.* 15 : 5.

CAPUT VII.

De criminationibus librorum quibus promiſſiones confirmatæ & amplificatæ continentur.

1. B. de Spinoza negat libros ſacros ab iis eſſe ſcriptos, quorum nomina præ ſe ferunt : nam diverſos auctores edidiſſe commentarios de rebus geſtis Iſraëlitarum, quos poſt reditum ex captivitate Babylonica probabiliter Ezras ſtudioſe collegerit, ad componendam ex iis hiſtoriam patriam à prima generis origine uſque ad deportationem in Chaldæam.

2. At mutilas mancaſque haud raro inveniſſe & ex-

exhibuiſſe hiſtorias, imo & inter ſe pugnantes; nec enim potuiſſe, forſitan morte occupatum, ultimam operi manum admovere.

3. Præterea *nec à poſteris hos libros ea diligentia ſervatos fuiſſe, ut nulla mendæ irrepſerint; plures enim dubias lectiones animadvertiſſe antiquiores ſcribas, & præterea aliquot loca truncata, non tamen omnia.* Circa moralia documenta nullam ſibi mendam adparuiſſe, unde obſcura, aut dubia redderentur.

4. Fuiſſe plures duabus varias lectiones quam Maſoretæ adnotarint, utpote qui nonniſi duo vel tria exemplaria ad manus habuerint.

5. Libros prophetarum eſſe modo fragmenta, ex aliis libris collecta, nec eo ſemper ordine, quo Vates ediderint prophetias; codices omnes accepiſſe nos à Rabbinis de illorum pretio judicantibus; canonem confectum Phariſæorum decreto, non ante tempora Maccabæorum.

6. Richardi *Simonis* opinio eſt, Moſen imitatum Ægyptios, conſtituiſſe Scribas publicos, Prophetas dictos, qui res imperii literis conſignarent: hinc in Pentateucho diſcernenda ea, quæ Moſes ipſe ſcripſerit, ab iis quæ Scribæ iſti prodiderint.

7. Moſen ipſum haud digeſſiſſe annales: Scribas ſuo judicio quædam addidiſſe, vel immutaſſe; inde nominum diverſitatem, & hiſtoriæ unius repetitionem ortam.

8. Libros hodie extantes compendia eſſe majorum voluminum, ſed perditorum, facta pro ſcopo & conſilio cujuslibet compilatoris, ita ut libere interdum ab autographo receſſerint.

Digitized by Google

9. In Pentateucho ordinem ſæpe turbari, ſive ob confuſas membranas, ſive quia Judæi neglexerunt ordinate ſcribere. libros Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, ſcriptos diu poſt geſtas res iis memoratas, ſuaſque pariter habere additiones, detractiones & immutationes.

10. Conciones prophetarum relatas in acta publica, interdum & deſcriptas, quo legerentur a populo: redactis in unum volumen nonnulla eſſe addita ad res illius temporis melius illuſtrandas; tamen & Judæorum incuria vitioque ſtyli Scriptoris laborare defectibus ſuis.

11. Judæos è Babylonia reduces ſuperſtitum monumentorum partem vulgaſſe, partem in Archivis tenuiſſe; in vulgatis rerum, non temporum habitam rationem.

12. Poſt Eſdram quoque fuiſſe Scribas in Rep. Judaica, Prophetarum etſi haud nomine, tamen auctoritate ornatos: proptereaque libros ipſorum reputandos canonicos; *apocryphos* vocatos, qui poſt ultimam collectionem ſint conſignati, ſed à Synedrio non adprobati.

13. Tam ſcil. audacter de Verbi Dei Auctore, auctoritate & argumento pronunciant homunciones, qui aut inſanientis ingenii ludibria, aut ſuperſtitioſa & tyrannica humanæ auctoritatis placita pro certiſſima vitæ ac fidei norma habent: cujuſmodi judicium, qui ineptis ratiunculis & conjecturis inductus de humanis ferret ſcriptis, acerrimam Eruditorum cenſuram non effugeret.

14. *Primo* librorum divinorum ſumma eſt auctoritas, fallere & falli neſcia: ſunt enim divinitus

inſpirati,

Digitized by Google

inſpirati, hiſce, non aliis vocabulis concepti, quia Spiritus S. voluit, ut hiſce, non aliis conciperentur, 2 *Tim.* 3:16.

15. *Secundo* temere negatur, Moſen & prophetas ſcripſiſſe libros, nomen ipſorum in fronte gerentes. nam א. & diſertum ſcribendi mandatum, ut alibi monitum; ב. & habemus Moſen ac prophetas, non eorum collectores, vel abbreviatores, *Luc.* 16:29. & 24:27. 44. *Joh.* 5:46, 47. *Act.* 3:18. ג. ſermo propheticus eſt prophetia Scripturæ, neque diſtinguitur Scriptura ab eo, quod locuti ſunt per Spiritum S. ſancti homines Dei, 2 *Petr.* 1:19-21. ד. citantur ipſi Prophetæ, non Epitomatores eorum, *Matth* 1:22. & 4:14. & 8:17.

16. Quanquam *tertio* paucula quædam ab alio auctore divino ſunt addita, ſive quæ poſteriore ætate contigerunt, ſive quæ agunt de morte Moſis, Joſuæ, Samuelis &c. ſive quæ ad explicandum præcedentia pertinent; uti jam Andreas *Rivetus* ad *Gen.* 12:6. monuit. Moſis, Joſuæ, Samuelis &c. nomina in ipſorum codicibus occurrunt, uti C. J. Cæſaris in ſuis commentariis, propter dictionis perſpicuitatem, gravitatem & ſimplicitatem.

17. Hiſtorias exhiberi mancas ſibique contrarias, pugnat cum eo, quod lex eſt perfecta, recta, pura, Jehovæ teſtimonium fidele, *Pſ.* 19:8, 9. verboque Dei nihil addendum, nihil demendum, *Deut.* 4:2. quia hominem Dei reddit perfectum, 2 *Tim.* 3:17. ac habemus ſat plenam à creatione mundi uſque ad mortem Apoſtolorum hiſtoriam.

18. Num Vates ſacri plura, quam hodie extant, vaticinia prodiderint, inutilis eſt quæſtio: hæc enim

enim, quæ leguntur hodie in libris propheticis, ſufficiunt ad ſtabiliendam illorum auctoritatem, ad credendam Dei veritatem, & ad dignoſcendum Jeſum Chriſtum, promiſſum mundi Salvatorem, *Act.* 3: 18. 21. 24. & 26: 27. *Joh.* 5: 49. ejus enim naturæ, officia, ſtatus, beneficia, mater, patria &c. ibi declarantur.

19. Neque ſola Phariſæorum ſecta pollebat auctoritate faciendi canonem, & definiendi quinam codices divinæ vel humanæ ſint originis: ſed toti populo Iſraëlitico data fuit Scriptura Sacra, *Pſ.* 147: 19. *Rom.* 3: 2. & nemo pro arbitrio librum recipere aut rejicere potuit, ad probandum dogmata privata, 2 *Tim.* 3: 16. 2 *Petr.* 1: 20. *Act.* 17: 11. *Eſai.* 8: 20.

20. Similiter temerarium eſt, prophetas mutare in Actuarios, vel Scribas publicos, geſta Reip. literis prodentes: nam conſilium Dei ſacras paginas Viris Spiritu S. plenis verbo tenus dictantis fuit, ſapientes nos reddere ad ſalutem, ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. 2 *Tim.* 3: 15. *Rom.* 15: 4.

21. Haud patitur homo, fœtum ingenii, publicæ luci expoſitum, ab alio emendationibus, additionibus, vel detractionibus immutari: cur igitur credamus, confectores annalium Iſraëliticorum ſibi jus ſumſiſſe, libris ſanctis quædam adjiciendi, aut demendi?

22. In Græcis quoque & Romanis hiſtoriis variant nomina Ducum, Conſulum, familiarum, locorum &c. nemo tamen propterea mutatos queritur vel corruptos codices, etſi forte memoriam Scriptoris deſideret, aut deſcriptioni vitium ſubeſ-

ſe

Digitized by Google

ſe ſuſpicetur. Servati ab errore Scriptores S. *Johan.* 16: 13.

23. Et quid vetat unam hiſtoriam bis repeti, præſertim ſi primum conciſius, mox fuſius recenſeatur, ſive alio fine, aliave occaſione memoretur?

24. Crimine falſi tenetur Actuarius, qui privatas aut publicas deſcribens tabulas ab autographo recedit: itaque calumnia, non error, eſt *Simonis*: compendii ſacri confectores ab autographo majorum voluminum pro arbitrio diſceſſiſſe.

25. Qui componunt monumenta hiſtorica, alium haud raro præter temporis ordinem obſervant: idem ſi fecere Moſes & Prophetæ cæteri, cur aut turbatas commixtaſque putamus fuiſſe membranas, aut confuſam eos amaſſe dictionem criminamur?

26. Stylum Jeremiæ, Hoſeæ, Amoſi aliorumve Autorum divinorum carpere, & defectuum arguere, ingenio petulanti facilius eſt, quam verum ſenſum conciſæ & minus obviæ orationis inveſtigare: eo tamen ſermone libri ſancti debuerunt conſignari, quo & puerorum ſimplicitas erudiretur, & doctorum diligentia acueretur, & ſuperborum faſtus confunderetur.

27. Et *Auguſtinus*, Manichææ adhuc ſectæ addictus, faſtidium ex ſtylo Scripturæ ceperat, ſed mente ſaniore poſt donatus agnovit perverſum judicium, doluitque pia & ingenua confeſſione, *Confeſſ.* l. 3. c. 5. quanto melior hiſce divinorum librorum contemtoribus?

28. Sine ratione fingitur, Judæos monumentorum publicorum partem vulgaſſe, partem occulta-

tam

tam tenuiſſe, ſaltem ut perfectioni ſanctæ Scripturæ præjudicium creetur: lex enim Moſis & conciones Prophetarum terebantur omnium manibus, *Luc.* 16: 29. & c. 24. 27.

29. Et pugnat cum ſcopo Dei, partem librorum ſacrorum vel abditam latere, vel omnino interire: nam vult Deus, ut medium liberationis noſtræ inde diſcamus, quod fieri nequit, niſi omnium pateant oculis.

30. Nempe quod nefas Romana patrat Synagoga, commiſiſſe & Judaicam opinatur: Codices divinos è populi manibus auferendos, theſauris abſconditis inferendos, ut ex iis ſalutem nemo obtineat; lucem modio contegendam, ut plebs vilis ambulet in tenebris, neque cernat abominabiles errores perverſi cœtus.

31. Scribæ, qui poſt Eſdram vixerunt, auctoritate prophetica muniti non fuerunt, quoniam humana induſtria, non inſtinctu Spiritus S. ſcripſerunt: ipſique fatentur Judæi, templo ſecundo donum prophetiæ defuiſſe, ſi Zachariam & Malachiam prophetarum ultimos exceperis.

CAPUT VIII.

De exhibitione Seminis liberantis per typos tempore ſecundo.

1. ERat *typorum* illius ætatis cum magnus ſat numerus, tum genus diverſum; homines, pecudes, reſque vita carentes: nam tota lex habebat exemplar & umbram rerum cœleſtium, bonorum

Digitized by Google

bonorum futurorum, *Coloſſ.* 2 : 17. *Hebr.* 8 : 5. & *c.* 10 : 1.

2. Inter homines, qui Meſſiam repræſentabant, primo loco occurrunt *primogeniti* Deo conſecrati, *Exod.* 13: 12. *Luc.* 2: 23. ad appropinquandum coram ipſo pro fratribus conſtituti, quibus mox Levitæ ſucceſſerunt, *Num.* 8: 16. 19. Chriſtus eſt primogenitus omnis rei creatæ, *Coloſſ.* 1 : 15. inter multos fratres conſecratus Deo Patri pro nobis, *Pſ.* 89: 28. *Joh.* 17: 19. *Hebr.* 2: 11. *Rom.* 8: 29. *Coloſſ.* 1: 18. ad noſtram apud eum cauſſam agendam, *Rom.* 8 : 34.

3. Eſt autem Liberator frater primogenitus noſter, non reſpectu divinæ, ſed humanæ naturæ ſanctæ: nam ratione divinitatis eſt Filius unigenitus Patris, *Joh.* 1 : 18. & *c.* 3 : 16. *Hebr.* 1 : 5.

4. At ſanctam naturam humanam accipimus non modo poſt Liberatorem, ſed & per ac propter Ipſum: ideo quippe regignimur à Spiritu S. ac renovamur, ut fiamus homo ſanctus, imagine Dei decoratus, quia Filius Dei voluit fieri homo ſanctus, & Patri ſervire in humanitate ſancta.

5. Hæc tamen inter primogenitos & Meſſiam interceſſit differentia, quod ii non mactabantur, ſed quinque ſiclis redimebantur, *Exod.* 13 : 13. *Num.* 18 : 15, 16. Chriſtus autem pro nobis mactari debuit, hujus enim, non illorum ſanguis placando Patri ſufficit, *Pſ.* 49 : 8, 9. *Coloſſ.* 1 : 20. 1 *Joh.* 1 : 7.

6. Secundus inter homines typus Chriſti eſt *Moſes*, Amrami filius, *Deut.* 18 : 15. 18. *Hebr.* 3 : 2. ſeqq. medius inter Deum & Iſraëlitas, *Deut.* 5 : 5. *Galat.* 3: 19. propheta, *Deut.* 34: 10. ſacerdos, *Levit.*

8 : 14.

Digitized by Google

8:14. ſeqq. Dux, vel Princeps, *Deut.* 33:5. fidelis ſervus in tota domo Dei, *Hebr.* 3:5. cum Deo intra nubem familiariter verſatus, *Deut.* 34:10.

7. Ita Chriſtus Jeſus eſt noſter Mediator, Propheta, Sacerdos, Rex, ſervus Patris, verſatus in ſinu Patris, *Joh.* 1:18. cæterum & Chriſtus Moſen longiſſime antecellit: ita miniſterium Chriſti præſtantius multo & latius eſt miniſterio Moſis, *Joh.* 1:17. 2 *Cor.* 3:9. *Joh.* 5:45-47.

8. Moſi jungatur ſummus Pontifex, Aaron, cum ſucceſſoribus ipſius legitimis: Paulus enim non modo Chriſtum appellat Pontificem, *Hebr.* 3:1. & 4:15. & 7:26. ſed & ſimilitudinem inter utrumque late exequitur, *Hebr.* 5-9. *cap.*

9. Aaron ad dignitatem Pontificalem evectus ab ipſo fuit Deo; initiandus abluebatur, veſtiebatur indumentis ſingularibus ac pretioſis, ungebatur, & Moſes pro eo ſacrificabat, *Exod.* 28. *Levit.* 8.

10. Et Chriſtus hunc honorem accepit à Patre, *Hebr.* 5:4, 5. *Jer.* 30:21. ablutus in Jordane, *Matth.* 3:16. geſtat togam ſalutis & pallium juſtitiæ, iiſque tegit nuditatem corporis ſui, *Eſai.* 61:10. *Apoc.* 3:18. perfuſus donis Spiritus S. *Pſ.* 45:8, 9. ſuo ſe dedicavit ſacrificio.

11. Jure divino unus tantum erat Pontifex maximus, qui præſidebat toti ordini Sacerdotali in 24. claſſes diſtributo, 1 *Chron.* 25:1-19. Chriſtus caput eſt 24. ſeniorum, *Apoc.* 4:10. omnium fidelium, quos fecit Sacerdotes Deo Patri, *Apoc.* 1:6.

12. Sacerdos maximus ſemel quotannis intrabat in adytum cum ſanguine pecudum, & ſuffitu,

Levit.

Digitized by Google

Levit. 16 : 2-19. Chriſtus cum proprio ſanguine intravit in cœlum, preces pro nobis apud Patrem faciens, *Hebr.* 9 : 11, 12, 24.

13. Sacerdotes quoque reliqui omnes figurabant Chriſtum: nam pro populo ſacrificia offerebant, & odores incendebant in Sanctuario, *Hebr.* 9 : 6. quo accedere præter eos nemo audebat.

14. Porro ut Iſraëlitas occaſione quietis in Cananæa cogitare oportuit de quiete N. T. ita Joſua iis repræſentabat Liberatorem, verum quietis autorem, qui natus homo idem cum Joſua nomen geſſit, *Act.* 7 : 45. *Hebr.* 4 : 8.

15. Huc & pertinent Naziræi, ut Simſon, *Proſp.* p. 2. c. 21, 22. Davidis nomine venit Meſſias, *Pſ.* 89 : 4. *Ezechiel.* 34 : 23, 24. an ob originem ex eo, an ob typicam rationem? Salomonis, *Cant.* 3 : 7, 9, 11. & *c.* 8 : 12. Moram Jonæ in ventre balænæ Servator facit typum ſepulturæ ſuæ, *Matth.* 12 : 40. & 16 : 4. *Jon.* 2 : 1.

16. Pecudes ſacrificales omnes adumbrabant humanam Liberatoris naturam, qua debuit mori, 1 *Petr.* 4 : 1. & offerri pro nobis victima in odorem bonæ fragrantiæ, *Eph.* 5 : 2. Socino licet diſputante, ſola ſacrificia ſtata, anniverſarium maxime, fuiſſe typum mortis Chriſti; reliqua adumbraſſe ſacrificia noſtra ſpiritualia.

17. Hæ namque pecudes debebant eſſe puræ, integræ, *Levit.* 1 : 3. 10. portabant peccata populi, peccantis manibus ſuper ipſarum caput congeſta, vſ. 4. mactabantur, vſ. 5. ex parte comburebantur, vſ. 7. ſeqq. ex parte cedebant in eſcam offerentis, 1 *Cor.* 10 : 18. & earum ſanguine conſpergebatur altare, *Levit.* 4 : 7.

18. Pariter Jeſus Chriſtus eſt homo purus, integer, *Hebr.* 7: 26. portavit peccata noſtra in corpore ſuo ad crucem, 1 *Petr.* 2: 24. quæ Pater in Ipſum conjecit, *Eſai.* 53: 4. 6. ſeſe ipſe Sacerdos æterna divinitate obtulit Patri, *Hebr.* 9: 14. cujus flammantem ſenſit iram, *Matth.* 27: 47. ut fieret cibus noſtræ animæ, *Joh.* 6: 54-56. & Deum ſanguine ſuo placaret, *Coloſſ.* 1: 14. 20. tamen victima vera præſtantior erat pecuaria, *Hebr.* 10: 4.

19. Prima ex pecudibus ſacrificalibus erat agnus paſchalis: unde Chriſtus appellatur Agnus 1 *Petr.* 1: 19. agnus Dei ferens peccata mundi, *Joh.* 1: 29. 36. paſcha, 1 *Cor.* 5: 7. ſequuntur agni duo quotidie offerendi, *Exod.* 29: 38, 39.

20. Juvencus & duo arietes, in conſecratione Aaronis & filiorum mactati, docebant, ſummum Pontificem noſtrum cum ſacrificio patefactum iri, *Hebr.* 9: 26. 1 *Joh.* 5: 6. hircus ſorte delectus offerebatur die propitiationis Jehovæ; hircus alter dicabatur Aſaſeli, *Levit.* 16: 7, 8. Et columbæ Deo gratæ, *Levit.* 12: 6. 8. & c. 15: 14.

21. Vaccæ rufæ, à ſacerdote extra caſtra mactatæ & combuſtæ, ſanguis contra tentorium ſpargebatur ſepties, & cinis miſcebatur aquæ impuros expianti, *Num.* 19: 2. ſeqq. *Hebr.* 9: 13, 14.

22. Suffitus quotidianus & anniverſarius, *Exod.* 30: 7, 8. *Levit.* 16: 12, 13. adumbrabant preces, quas Chriſtus apud Patrem pro nobis facit in cœlo, *Apoc.* 8: 3, 4. Conf. *Pſ.* 141: 2. *Apoc.* 5: 8. libamen, *Num.* 15: 5. notabat effuſionem ſanguinis Chriſti factam pro noſtris peccatis, *Matth.* 26: 28. *Luc.* 22: 20.

23. Non ſunt obliviſcenda מנחות dona de bonis

terræ

terræ in Sanctuarium illata, ut munus è farina oleo mixta, *Levit.* 2:1. ſeqq primitiæ, *Exod.* 23:19. *Deut.* 26:1 panes propoſitionis, *Exod.* 25:30. pretium redimendæ animæ, *Exod.* 30:12. Chriſtus enim eſt panis vitæ, *Joh* 6:48. 50. oleo Spiritus S. perfuſus, *Pſ.* 45:8. primitiæ totam maſſam reddens ſanctam, *Rom.* 11:16. primitiæ dormientium, ob quas ad vitam, non ad mortem ſuſcitamur. 1 *Cor.* 15:20. 23. deditque animam pretium noſtræ liberationis, *Matth.* 20:28. 1 *Tim.* 2:6.

24. Sacrificia cruenta & munera incruenta Iſraëlitæ Deo obtulere & accepere ab Eodem: non aliter ac Chriſtum à Deo nobis donatum, viciſſim ei ſiſtimus, ut propter eum gratiam conſequamur.

25. Et dona Iſraëlitis mirabiliter data Liberatorem repræſentabant, manna *Exod.* 16:14, 15. *Pſ.* 78:24, 25. & aqua fluens ex petra, *Exod.* 17:6. Conf. *Joh.* 6:48. *Apoc.* 2:17. 1 *Cor.* 10:4. *Joh.* 4:14. & 7:37, 38.

26. Sic in arida Aaronis virga, ſed mox florente, videmus Chriſtum, virgam ex arido Jeſſe ſtipite prognatam, virentem dein & fructus multos ferentem, ſacerdotii confirmandi cauſſa, *Num.* 17:2. ſeqq.

27. In ſerpente æneo ſpectare decet ejus elevationem in altum, & adſpectum per Iſraëlitas morſos: illa ſuſpenſionem Chriſti de cruce, hæc fidem, qua Liberatorem reſpicimus, notabat, *Num.* 21:6-9. *Joh.* 3:14, 15.

28. Ultimum typorum promiſſi Servatoris genus conſtituunt *res ſacræ*, *Hebr.* 8:5. tabernaculum, *Joh.* 1:14. templum, *Joh.* 2:19. 21. ubi Filius

Dei habitavit, *Exod.* 29:44.46. & 40:34. 1 *Reg.* 8:10,11. *Coloſſ.* 2:9. *Zach.* 2:10.

29. Velum præfigurabat humanam Meſſiæ naturam, *Hebr.* 10:20. altare divinam, quæ carnis victimam reddit ſanctam & pretioſam, *Hebr.* 13:10. *Matth.* 23:19. mare æneum, aquas nos ab operibus impuris mundantes, *Eph.* 5:26. *Hebr.* 10:22, 23. lychnuchus aureus, Chriſtum in tenebris lucentem, *Exod.* 25:31. ſeqq. *Joh.* 1:5. *Zach.* 4:2,3.

30. Arca fœderis repræſentabat Chriſtum hominem ac Deum, *Pſ.* 47:6. *Apoc.* 11:19. confecta è cedro & cincta aureo limbo, *Exod.* 25:10,11. ſuperius tecta propitiatorio, ſplendida nube abdito, vſ. 17.21. in qua habitabat Deus, *Levit.* 16:2. ſonora voce reſponſa dans ſacerdotibus, magni momenti quæſtiones proponentibus, *Exod.* 25:22.

31. Jeſum Chriſtum propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius, *Rom.* 3:25. nuncium divinæ voluntatis, *Joh.* 1:18. *Hebr.* 1:1. habitantem inter duos Cherubinos, *Exod.* 25:18-21. *Pſ.* 80:2. & 99:1. duas rerum creatarum claſſes, Angelorum ſanctorum & hominum electorum.

CAPUT IX.

De apparitionibus Liberatoris tempore ſecundo.

1. Sub finem temporis primi, inſtante Hebræorum exitu ex Ægypto, Moſi in deſerto ad Horebum adparuit Angelus Jehovæ, medio è rubo ardente illum inclamans, Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, liberaturus Iſraëlitas, populum

pulum ſuum, *Exod.* 3 : 6. ſeqq. creator ſurdorum, mutorum, cœcorum, oculatorum, *Exod.* 4 : 11.

2. Exeuntibus Jehova indeſinenter præivit in columna, quæ interdiu fulgente ſole nubis inſtar candebat,& in obſcura nocte ceu ignis ſplendebat, *Exod.* 13 : 21, 22. & Ægyptiis eorum caſtra inſecutis medium ſeſe inter utrumque exercitum interpoſuit, rubroque in mari Ægyptios ſubmerſit, *Exod.* 14 : 19-26.

3. Populo ob cibi & potus defectum murmurante, Moſi non ſolum oſtendit lignum, quo aquas amaras faceret dulces, *Exod.* 15 : 24. ſeqq. & panem cœleſtem promiſit, *Exod.* 16 : 4. ſed & gloria Jehovæ in nube toti cœtui adparuit, vſ. 10.

4. In monte Sina Pater & Filius cum Moſe eſt collocutus : Jehova enim, qui per Moſen Iſraëlitas ad fœdus Dei amplectendum invitavit, & jam in monte fuit, ſubjicit, die tertio Jehovam deſcenſurum in montem Sinam populo adſpectante, *Exod.* 19 : 11.

5. Etiam die tertio Jehova inter tonitrua, fulgura, clangoremque tubæ, & fumos igneos de monte trepidante excitatos, deſcendit in faſtigium Sinæ, *Exod.* 19 : 16-20. è cœlis ſtillantibus, *Pſ.* 68 : 9.

6. Tum Jehova per Moſen populum à monte arcet, ne perrumpant ad Jehovam, eoque viſo occidantur, vſ. 21-24. & Pater velut Judex ſeverus apparet in forma terribili, non Filius : Pater eſt, ad quem accedendum nemo cor ſuum illicere audet, *Jerem.* 30 : 21.

7. Verba *Exod.* 23 : 20, 21. de mittendo Angelo in quo ſit nomen Dei, ſunt Patris de Filio : ſicuti

& iſta: *Angelus meus ibit ante te*, Exod. 32: 34. *Facies mea precedet, & requieſcere faciam te*, c. 33: 14. nam ſolus Filius, Angelus faciei, eſt facies Patris, *Joh.* 14: 9. *Hebr.* 1: 3.

8. Eſſentiam Patris videre nemo poteſt & vivere, *Exod.* 33: 18-23. vidit tamen Moſes illuſtre & inſolitum præſentiæ Dei Patris & Filii ſignum: item *poſteriora Dei*, opera ejus viſibilia, gratiæ potiſſimum & juſtitiæ, uti & in ſcholis cognitio cauſſæ ex effectis dicitur eſſe à poſteriori, *Vatablo* monente. Et Moſis facies reſplenduit ex conſpectu Dei, *Exod.* 24: 29.

9. *Jehova qui venit è Sina, & eluxit ex monte Paran, ſanctos ſuos pede perambulabit medios*, *Deut.* 33: 2, 3. *Levit.* 26: 12. in humana natura inter eos aliquando habitabit: ac *mons Sina tremuit a facie Dei, qui eſt Deus Iſraelis*, *Pſ.* 68: 9. Filius *cujus vox tum concuſſit terram*, *Hebr.* 12: 26. etiam vſ. 18, 19. Paulus de Jeſu Chriſto explicat, *Eph.* 4: 8.

10. Is ſcil. eſt Angelus, Propheta promiſſus, e quo Moſes accepit viva eloquia, quæ Iſraëli traderet, *Act.* 7: 37, 38. tentatus in deſerto, 1 *Cor.* 10: 9. per quem Pater populum ſuum ex Ægypto eduxit, *Deut.* 4: 37.

11. *Heinſius* per λόγον δι' ἀγγέλων λαληθέντα intelligit, aut ſermonem prophetarum, qui ſunt nuncii & interpretes Dei, aut apparitiones Angelorum delinquentes caſtigantium, vel pœnam comminantium *Hebr.* 2: 2, 3. ſed & Decalogus eſt pronunciatus δι' ἀγγέλων inter Angelos, è concilio Angelorum, *Deut.* 33: 2. uti διὰ πολλῶν μαρτύρων eſt *in præſentia multorum teſtium*, 2 *Tim.* 2: 2.

12. Spi-

Digitized by Google

12. Spiritus S. non memoratur diſertè, quia lex fiebat miniſterium literæ, non Spiritus, 2 *Cor.* 3: 6. ob ſtolidam Iſraëlitarum præſumtionem, ſe propriis viribus cuncta Dei præcepta præſtituros.

13. Atque alias Pater & Filius conjunctim memorantur, omiſſa Spiritus S. mentione, *Joh.* 17: 5. 1 *Cor.* 8 : 6. propter æternum pactum, quo Pater eſt conſtitutus Filii Dominus, & Filius Mediator ſervuſque Patris.

14. In tabernaculo erecto *Gloria Jehovæ* non ſolum interdum apparuit, ſed & continuo habitavit, *Exod.* 40 : 34, 35. Conf. *Exod.* 20 : 24. *Levit.* 9 : 23. & diſtincta voce oracula edidit, *Levit.* 1 : 1. *Num.* 1 : 1. *Levit.* 24 : 12.

15. Ut quoties Jehova cum Moſe & Aarone, vel horum ſucceſſoribus, legitur eſſe locutus, de ſermone Filii Dei in auguſto hocce domicilio è Cherubinis habito ſit intelligendum, *Exod.* 25 : 22. *Num.* 7 : 89. *Joſ.* 7 : 6.

16. Tamen de propitiatorio prodivit quandoque ad januam tabernaculi, quo toto à populo conſpiceretur, *Levit.* 9 : 23. *Num.* 10 : 11. & 11 : 16-25. & 16 : 19. regreſſus poſtea ad ſedem ordinariam, *Num.* 12 : 5-10.

17. Porro Angelus Jehovæ, qui Bileamo ad Balakum tendenti occurrebat in via, erat Jehova, *Num.* 22 : 22. ſeqq. & c. 23 : 3. ſeqq. Sicut vir nudatum enſem manutenens, qui Joſuæ ad mœnia Hierichuntis adpropinquanti apparuit, eſt Princeps exercitus Jehovæ, *Joſ.* 5 : 13, 14. Jehova ipſe *Joſ.* 6 : 2.

18. Poſt mortem Joſuæ de Gilgale ad locum la-

Digitized by Google

crymarum adſcendens Angelus Jehovæ, pariter eſt Deus, Dei Filius, qui Iſraëlitas ex Ægypto in Cananæam duxit, & in fœdus adſcivit, *Judic.* 2: 1. & congregato populo defectionem à vero Deo, forma indutus conſpicua, humano ſermone exprobravit, vſ. 4, 5.

19. Gideoni trituranti *Judic.* 6: 11. ſeqq. idem Jehovæ Angelus prænunciavit victoriam de Midianitis reportandam; Manoæ & uxori ortum Simſonis, *Judic.* 13: 3. ſeqq. adfirmantibus ſe Deum vidiſſe, vſ. 22.

20. In Silunte, ubi tabernaculum vivente Joſua ſtatuerant Iſraëlitæ, longo ſat tempore Filius Dei nulla de fœderis arca proferebat oracula, 1 *Sam.* 3: 1. ſed tandem noctu Samuelem, divinæ vocis adhuc inconſuetum, inde inclamavit, vſ. 3. ſeqq. reſponſa porro ſciſcitantibus veteri more daturus, vſ. 21.

21. Abiathar amiculo indutus, Deumque in cauſſa Davidis conſulens, reſponſum tulit, 1 *Sam.* 23: 1. ſeqq. & *c.* 30: 7, 8. arca licet abſente, 1 *Sam.* 7: 2. unde colligitur, Schechinam tum & extra tabernaculum reſpondiſſe.

22. Salomone regnante habitavit in templo ſecundum promiſſionem Dei, *Deut.* 12: 21. & 14: 23. 1 *Reg.* 8: 6. 10, 11. eratque inſcriptio arcæ: *Nomen Jehovæ exercituum ſedet inter Cherubinos ſuper eam*, 2 *Sam.* 6: 2. & illa capta quiritabantur, Gloriam ab Iſraële receſſiſſe, 1 *Sam.* 4: 21, 22.

23. Hebræis Gloria & Nomen Jehovæ eſt Meſſias: *ſpectavimus* δόξαν *gloriam ejus, gloriam ceu unigeniti à Patre, Joh.* 1: 14: eſt enim Deus gloriæ, *Act.* 7: 2. Dominus gloriæ, 1 *Cor.* 2: 8. ſplendor gloriæ Patris, *Hebr.* 1: 3.

CA-

CAPUT X.

De ſalute ſeminis liberati tempore ſecundo.

1. POtiti ſunt Iſraëlitæ eadem ſalute, quam Liberator heredibus Dei ætate prima contulit, complectentem partim bona hujus vitæ, communionem cum Deo & Liberatore per fidem, adoptionem, juſtitiam, ſanctitatem, horumque beneficiorum conſtantiam & conſcientiam: partim vitam æternam.

2. Vixere in communione cum Deo, qui fœdus cum iis ad montem Sina pepigit, *Jerem.* 31: 32. *Ezech.* 16: 8. & per id ipſorum Deus eſt factus, ut ii populus, hereditas Jehovæ, *Pſ.* 33: 12. *Jerem.* 7: 23. *Exod.* 19: 5, 6.

3. Ideo Deus proxime ad Iſraëlitas acceſſit, *Deut.* 4: 7. *Pſ.* 34: 19. inter eos habitavit, *Pſ.* 76: 2, 3. eos de voluntate ſua voce viva & per prophetas erudivit, *Pſ.* 147: 19. *Hebr.* 1: 1. ab hoſtibus liberavit, in itinere duxit, rebus neceſſariis inſtruxit.

4. Viciſſim pii Iſraëlitæ Deum ceu Deum ſuum laudarunt, amarunt, adierunt, res neceſſarias orarunt, conſuluerunt, *Exod.* 14: 10. *Num.* 27: 5. *Exod.* 15: 1. ſeqq. *Judic.* 5: 1. ſeqq. *Pſ.* 18: 2.

5. At in communionem Dei veri ac vivi non venerunt ſponte ſua, ſed funibus divini amoris attracti, *Pſ.* 100: 3. *Hoſ.* 11: 3, 4. diligebant enim Ægyptia Numina, *Ezech.* 20: 7, 8. gens prava, monitoribus aſpera, *Ezech.* 16: 3. ſeqq. *Exod.* 16: 2. ſapienti corde deſtituta, *Deut.* 5: 29. & 29: 4. *Act.* 7: 51.

6. Verum Deus, immenſa gratia ductus, eos ex omnibus aliis populis elegit, *Deut.* 7 : 6, 8. *Pſ.* 105: 43. & 106 : 5. & ſolos voluntatem ſuam docuit, *Deut.* 4 : 8. *Pſ.* 78 : 5, 6. convertit, *Jer.* 31 : 18, 19. & per Spiritum S. duxit, *Pſ.* 143 : 11.

7. Converſi ad Deum accepere fidem, qua א. crediderunt, promiſſum Liberatorem ſtatuto tempore in Cananæa adpariturum, 1 *Sam.* 2 : 1. *Pſ.* 23 : 1. *Prov.* 30 : 19. ב. adventum illius vehementiſſime exoptarunt, *Pſ.* 14 : 7. *Luc.* 2 : 25. 38. ג. proſperitatem terreſtrem bonis ex communione Meſſiæ percipiendis longe poſtpoſuerunt, *Hebr.* 11 : 26. ד. gratiam ob Meſſiam à Deo petierunt ac ſperarunt, *Dan.* 9 : 17. *Matth.* 13 : 17.

8. Fidem hanc teſtabantur facientes fœdus cum Deo ſuper ſacrificio, *Pſ.* 50 : 5. & Prophetæ ſcrutabantur temporis articulum, quo evenirent Chriſti paſſiones, & gloria inde ſequeretur, 1 *Petr.* 1 : 10, 11. *Act.* 2 : 30, 31.

9. Pauluſque numeroſum conficit virorum & fœminarum catalogum, qui fidem promiſſionibus Meſſiæ habentes, aut præclara patravere facinora, aut diras calamitates tolerarunt fortiter, *Hebr.* 11 : 23-39.

10. Nec dubium eſt, inter populum ex Ægypto eductum, multos viſa Ægyptiorum ſubmerſione, ſincere Jehovam timuiſſe, & Moſis verba crediſſe, *Exod.* 14 : 31. *Pſ.* 106 : 11, 12.

11. Cananæam ſe intraturos ſperarunt, *Num.* 14 : 8. ſeqq. ingreſſi, Deum in ea habitare crediderunt, 1 *Reg.* 8 : 29, 30. ejiciendi, vel ejecti reditum ſperarunt ob nomen Dei, 1 *Reg.* 8 : 46. *Dan.* 9 : 19.

Digitized by Google

12. Precantes in templo, 1 *Reg.* 8: 35. aut facie verſus illud directa, 1 *Reg.* 8: 44. 48. *Dan.* 6: 10. confeſſi ſunt nomen Dei, Meſſiam in templo habitantem, hominemque in ea appariturum.

13. Conjuncti per fidem cum Deo & Liberatore, facti ſunt Dei filii, *Eſai.* 63: 8. *Jerem.* 31: 9. 20. *Hoſ.* 11: 1. quos Deus ceu pater miſeratur, *Pſ.* 103: 13. caſtigat, reprehendit, & in gratiam recipit, *Prov.* 3: 12. *Malach.* 1: 6. & 3: 17. *Ezech.* 21: 13. filii primogeniti, *Exod.* 4: 22. libere cum Deo velut Patre locuti.

14. Potiti ſunt juſtitia, *Pſ.* 17: 15. condonatione peccatorum, *Pſ.* 32: 1, 2. 2 *Sam.* 12: 13. & jure vitæ æternæ, *Habak.* 2: 5. licet malis temporalibus interdum caſtigati ad reparandam Dei gloriam, & peccati vim infringendam, 2 *Sam.* 12: 11. 14. non confiſi juſtitia propria, *Dan.* 9: 18. *Pſ.* 143: 2.

15. Gloriantes juſtitia, ſignificabant ſe bonam agere cauſſam adverſus hoſtes, à quibus opprimebantur licet multo meliores, *Pſ.* 18: 21. ſeq. & 26: 1. *Pſ.* 35: 19. & 37: 6, 7. at Deum orarunt: audi me ob juſtitiam tuam, *Pſ.* 143: 1.

16. Tamen Iſraëlitarum plurimi impegerunt ad offendiculum, putantes legem datam, ut per illius obſervationem juſti fierent, *Rom.* 9: 31, 32. & 10: 3. & 11: 7.

17. Cum juſtitia recuperarunt jus utendi rebus à Deo conditis, terram hereditate accipientes, *Pſ.* 37: 29. nutriendi egeno tempore, vſ. 25. *Pſ.* 33: 19. defendendi ab Angelis, *Pſ.* 34: 8. *Pſ.* 91: 11.

18. Juſtitiam fidei coram Deo comitabatur ſincerum ſtudium ſanctitatis, amor ac metus Dei, *Pſ.*

18: 1.

Digitized by Google

18 : 1. & 34 : 10. 1 *Reg.* 18 : 3. 12. cuſtodia præceptorum ejus, vſ. 6. laudatio corde & ore fideli, *Pſ.* 34 : 2, 3. & 51 : 16, 17.

19. Fiduciam in Deo collocabant firmam, *Pſ.* 33 : 21. 2 *Reg.* 18 : 5. ad nomen Jehovæ velut ad arcem currentes, *Prov.* 18 : 10. patientes malorum ac gloriæ Dei ſtudioſi, *Hebr.* 11 : 36, 37. *Pſ.* 115 : 1. 1 *Reg.* 19 : 10.

20. Imagines & falſa numina deteſtabantur, 2 *Reg.* 18 : 4. *Dan.* 3 : 18. cultores veri Dei, *Pſ.* 26 : 6-8. & 27 : 4. ingemiſcentes conviciis ipſi dictis, 2 *Reg.* 19 : 1. Sabbatha & feſta fide obſervantes, *Nehem.* 10 : 31.

21. Erga homines æqui & juſti, honorantes Magiſtratus ac parentes, 1 *Reg.* 2 : 19. *Ruth.* 1 : 15. ſeqq. 2 *Sam.* 15 : 21. & 19 : 32. aliorum pudicitiæ, vitæ, bonis non inſidiantes, famæ non detrahentes, *Ruth.* 3 : 8. 1 *Reg.* 18 : 13. *Pſ.* 37 : 21. & 34 : 14.

22. Pauperes juvabant ſtipe, *Pſ.* 37 : 21. peregrinos amicitia, *Ruth.* 2 : 8. ſeqq. dubios conſilio, & oppreſſos auxilio, 1 *Reg.* 18 : 13. triſtes erigebant ſolatio, 1 *Sam.* 4 : 20. & 23 : 17. rudes erudiebant, *Pſ.* 37 : 30. & 51 : 15.

23. Prolapſi in peccata reſurgebant pœnitentia, commiſſum ſcelus ſerio dolentes, ac Deo confitentes, vitamque ſtudioſe emendantes, 2 *Chron.* 33 : 12, 13. *Pſ.* 51 : 5, 6. *Judic.* 10 : 15, 16. *Jon.* 3 : 5. ſeqq.

24. Neque amittebant recenſita beneficia, ſed virtute immutabilis teſtamenti ſervabant perpetua, *Pſ.* 37 : 28. 31. juſtique à juſtitia deflectentes, *Ezech.* 11 : 24. *Rom.* 10 : 3. ſunt qui propriam juſtitiam ſtabiliunt.

25. Præ-

25. Præterea & horum bonorum certi fuere, gloriati ac lætati Deo & Liberatore ſuo, *Pſ.* 42: 4. in vitæ hujus adverſitatibus conſolantes ſe ſpe liberationis & futuræ felicitatis, *Pſ.* 27: 13. & 36: 9, 10. & 17: 15.

26. Sane Moſes, *Exod.* 32: 32, 33. Joſua, *c.* 1: 5. ſeqq. David, *Pſ.* 42: 5. & 52: 10. Hiskias, 2 *Reg.* 20: 3. & plurimi alii divinæ gratiæ erant conſcii, velut cujus habebant ſigna & pignora, ordinaria, extraordinaria, agnum paſchalem & ſacrificia cætera, Mannam cœleſtem & aquam è petra fluentem, Cananæam cum proventu.

27. Interdum Davidis, *Pſ.* 42: 6. 12. & Aſſaphi *Pſ.* 77: 8. ſeqq. exemplo fatigabantur anxiis de ſalute quaſi deperdita cogitationibus; ſed mox opera Dei memoria recolentes meliora ſperabant.

28. Poſt mortem recipiebantur in cœlum, ſicut recti Scripturarum V. T. ſcrutatores putabant in iis ſe vitam æternam habere, *Joh.* 5: 39. in quam Elias vivus eſt ſuſceptus, 2 *Reg.* 2: 11. & mulieres acceperunt ex reſurrectione mortuos ſuos, 1 *Reg.* 17: 21. ſeqq. 2 *Reg.* 4: 34. aliis potiorem reſurrectionem ſortituris, *Hebr.* 11: 35.

29. Non tamen acceperunt promiſſionem, *Hebr.* 11: 39, 40. quatenus non vixerunt uſque ad complementum promiſſionis per adventum & mortem Meſſiæ, non conſummati ſine nobis, de quibus Deus melius quid providit.

30. Inde arcebantur à locis ſacris, ut cogitarent, viam ad ſacrarium nondum patefactam, *Hebr.* 9: 8. lex operabatur iram, *Rom.* 4: 15. Deusque fœderatis imponebat varia opera culpas nondum deletas exprobrantia.

31. Deus

31. Deus dominabatur iis ſeveri inſtar domini, *Jer.* 31 : 32. arcana ſalutis revelabat particulatim, *Pſ.* 25:12, 14. *Hebr.* 1: 1. myſterio prima & ſecunda Eccleſiæ ætate tacito, *Rom.* 16: 25, 26. ipſis prophetis de ſalute noſtra inquirentibus & ſcrutantibus, 1 *Petr.* 1:10. Iſraël habebatur pro ſervo, *Joh.* 15: 15. *Galat.* 4 : 1-3. parca Spiritus S. menſura, *Joh.* 7: 39.

32. Ipſorum fides erat ſpes, *Galat.* 3 : 23-25. deſiderium, *Matth.* 13 : 17. cui utrique affectui fluctuatio & metus ineſſe ſolet. ut enim poſſeſſio gloriæ cœleſtis majorem adfert beatitudinem quam illius ſpes: ita nos fides Meſſiæ præſtiti reddit feliciores quam Iſraëlitas ſpes præſtandi.

33. Sacrificantes ſcribebant chirographum ſibi contrarium, *Coloſſ.* 2 : 14. & profitebantur ſolenniter, ſe dignos qui ob peccata nondum expiata pecudum inſtar à Deo mactentur: metu mortis per omnem vitam ſervituti obnoxii, *Hebr.* 2 : 15. habebant enim ſpiritum ſervitutis, *Rom.* 8 : 15. & metus, 2 *Tim.* 1 : 7.

34. Non puniebantur ob delicta, Deus enim tolerabat ea & diſſimulabat, *Rom.* 3: 25, 26. tamen jubebantur ſe ipſos condemnare dirum Moſis carmen firmando, *Deut.* 27 : 26. inter ſacrificia maxime, quibus quotannis fiebat peccatorum commemoratio, *Hebr.* 10 : 3. neque cultoris poterat confirmari conſcientia, *Hebr.* 9 : 9.

35. Maledictiones legis adhuc audita, & benedictione Meſſiæ nondum allata, *Galat.* 3 : 13. morbis & aliis adverſitatibus vexati, haut lætabantur, nec gloriabantur, ſed gemebant, plorabant, *Pſ.* 42: 6-8. *Eſai.* 38 : 10. ſeqq.

Digitized by Google

36. Jubebantur abſtinere à pecudibus, piſcibus & reptilibus multis, velut à cibis immundis, quod ipſi eſſent manerentque impuri, donec præſtiti Meſſiæ ſanguine purgarentur, *Hebr.* 9: 13, 14. Conf. *Zach.* 3: 3-6.

37. Studebant ſanctitati; & ſimul vacare debebant operibus carnis, vanis & inutilibus, ad veram ſanctitatem nihil facientibus: conſcientiæ ſalutis angor & metus multus intermiſcebatur: à Cananæa exulantes, vel in ea ægrotantes, aut fato præmaturo morientes, pejora timebant, excluſionem à vita in cœlo, *Eſai.* 38: 17. videntes Deum, nec niſi bona annunciantem, ſubita morte ſe extinctum iri putabant, *Judic.* 6: 22, 23. & 13: 22.

38. Suſcepti in cœlum lætabantur peccatis expiandis, at nondum gloriari poterant expiatis: Satana iis immundas veſtes objectante, ob quas indigni ſint, qui ſtent coram Angelo Jehovæ, *Zach.* 3: 1. ſeqq. *Jud.* vſ. 9.

39. Iſta non ſinunt dubitare bona N. T. eſſe majora & perfectiora bonis V. T. 1 *Cor.* 2: 6. ſed abſit & procul abſit dirus Socinianæ ſectæ error, vitam æternam & Spiritum S. fuiſſe Moſis legi incognita.

40. Quanquam & hi Errones fateantur, prophetas Chriſtum & ſalutem in Chriſto prædixiſſe: ſed tanquam bona noſtra: atque Deum obedientibus legi Moſaicæ peccata remiſiſſe, & vitam æternam dediſſe, tamen citra promiſſionem, ſicut & iis qui ante Moſen pie vixerunt.

41. Cæterum ipſo Moſis fœdere neque promiſſum eſſe Meſſiam, neque imperatam fidem Chriſti venturi: & ea populum univerſum non obligare,

quæ paucis fuerint indicata: multaque potuiſſe à Prophetis dici, quæ non opus erat populum credere.

CAPUT XI.

De ſemine liberato temporis ſecundi.

1. ID tum non procrevit niſi inter populum Iſraëliticum à Deo adoptatum, *Deut.* 7:6,7. & *c.* 33:29. ſolumque de via ſalutis eruditum, *Pſ.* 147:19,20. *Act.* 14:16. Excipe pauculos ex aliis gentibus ad Deum Iſraëlis converſos.

2. In deſerto obierunt *Moſes* & *Aaron*, viri Deo familiariſſimi ac ſanctiſſimi, licet ſuis uterque nævis non caruerint: ille dubius de aquis ex petra eliciendis, *Num.* 20:10. ſeqq. hic faber vituli, *Exod.* 32.

3. Et *Levitæ* ſtudium divinæ gloriæ probarunt, Moſis juſſu gladio necantes quemlibet fratrem, conſanguineum & vicinum cultu vituli pollutum, *Exod.* 32:28. *Deut.* 33:8.11. ſic & Pinehas, *Num.* 25:7. *Pſ.* 106:30,31.

4. *Joſua* & *Calebus* promiſſionibus Dei conſtantem habuerunt fidem, & refractarium populum ſolati ſunt, *Num.* 13:31. & 14:1-38. ſolique è toto cœtu digni ſunt habiti qui Cananæam intrarent.

5. Proſelytis fidei accenſeo *Jethronem*, vocatum & *Reguelem*, Moſis ſocerum & Midianitarum Pontificem, qui fama admirandæ Iſraëlis ex Ægypto liberationis excitus generum in ſolitudine inviſit, & auditis ex eo Domini operibus, in gratiam Iſraëlitarum factis, valde lætatus Deum Iſraëlis omnium

Deo-

Digitized by Google

Deorum maximum verumque Jehovam agnoſcit, & Sacrificiis colit: tum ab Aarone & Senatoribus coram Schechina epulis excipitur, *Exod.* 18:1-12. *Hobabus* ejus creditur filius, *Num.* 10:29.

6. *Othoniel* Spiritu Dei armatus liberavit Iſraëlem à jugo Regis Meſopotamiæ, *Judic.* 3, 7. ſeqq. *Debora* vates, victo Jabine, Jehovam laudavit divino carmine, *Judic.* 4. 5. *capp.* ſub cujus auſpiciis pugnavit *Baracus*, Paulo recenſitus inter eos, qui fide regna debellarunt, *Hebr.* 11: 32, 33.

7. In eundem catalogum refertur *Gideon*, *Hebr.* 11:32, 33. qui adparitione Filii Dei, & nocturno oraculo excitatus, Baalis aram deſtruxit, & Midianitas levi apparatu vicit, *Judic.* 6. 7. *capp.*

8. Id vitio datur viro divino, quod fecit Ephodum ex ſpoliis Midianiticis, ſibi ſuisque poſitum offendiculum, & plures ſimul præter concubinam uxores habuit, *Judic.* 8:24. ſeqq.

9. Gideoni Paulus aggregat *Jephtam* fide potitum ingenti de Ammonitis victoria, quam tamen polluit ſanguine filiæ unicæ è temerario voto mactatæ, laudandæ ob patientiam & amorem erga Deum, *Judic.* 11.

10. *Manoam* ejusque *conjugem* fide Meſſiæ claruiſſe probat apparitio Schechinæ, gratumque Jehovæ ſacrificium ignitum *Judic.* 13. horumque filius *Simſon*, Philiſtæorum domitor, unus eſt ex iis heroibus, qui fide regna oppugnarunt, *Judic.* 14. 15. *capp.* ſed infelix ſcorti Philiſtæi conſuetudine.

11. *Naëmi* commendatur a fide, patientia in adverſis, morumque Sanctitate, *Ruth.* 1. *cap.* *Boas* lætatur Ruthæ ad Deum Iſraëlis converſione, in-

ſignis amore erga Deum & homines, factus e Rutha Meſſiæ progenitor, *cap.* 2. &c. *Matth.* 1: 5.

12. *Elkana* ſacerdos, & *Hanna* uxor, pii conjugum paris exemplum ſunt, 1 *Sam.* 1. eorum filius *Samuel* fide, ſanctitate, juſtitia, miraculis, & frequentibus cum Deo colloquiis inclaruit. 1 *Sam.* 3. & ſeqq. *capp.* Sacerdos *Eli*, juſto licet erga filios indulgentior, audito adverſus ſe & familiam ſevero Dei judicio exercendo, ſubmiſſe divinam voluntatem adoravit, 1 *Sam.* 2: 23. & 3: 17, 18.

13. Duæ per hanc periodum fœminæ paganæ animum ad religionem Hebræam applicuerunt, *Rachab* Cananitis, a Paulo laudata ob fidem, *Hebr.* 11: 31. *Joſ.* 2. *cap.* & *Rutha* Moabitis, quæ ſocrum comitata, colere Deum Iſraelis firmiter ſecum conſtituit, *Ruth.* 1: 16. Chriſti facta progenitrix.

14. Poſt Saulis regnum *David* primum opilio, deinde Rex & Propheta, ſinceræ pietatis, fortis in Deum fiduciæ, & conſtantis malorum patientiæ, ſpecimen fuit perilluſtre: adulterio & cæde maculatus candide reſipuit, 2 *Sam.* 11. &c.

15. Ejus amicus *Jonathan* cupiditatem regni fato divino poſtpoſuit, 1 *Sam.* 23: 17, 18. in periculis ſummis Deo confiſus, 1 *Sam.* 14: 6. Arcam fœderis *Obed Edom* tribus menſibus hoſpitio excipiens, gratia Dei cum tota familia mactatur, 2 *Sam.* 6: 11. *Mephiboſet* Zibæ calumniam bonorumque jacturam æquo fert animo, 2 *Sam.* 19: 24.

16. *Nathan* & *Gad* funguntur legatione Dei apud Davidem, 2 *Sam.* 12. & 24. *capp.* *Aſſaphus*, de gratiæ divinæ ſenſu ſolicitus, e verbo Dei ſolatium accipit, *Pſ.* 77. *Barſillai* Gileadita civis eſt fidelis, 2 *Sam.* 19: 31. ſeqq.

17. *Sa-*

17. *Salomo* dilectus Domini, 2*Sam*.12:24,25. in ſolium evectus ſapientiam a Deo orat & impetrat, 1*Reg*. 3. ſeqq. templum Jehovæ magnifice extruit, ſenex a fœminis peregrinis ad cultum falſorum numinum ſeductus, reſipiſcentiam ſcripto *Eccleſiaſte* teſtatur. 1*Reg*.6. & ſeqq. *capp*. a Remonſtrantibus temere defectoribus mixtus.

18. *Araſna* Jebuſita regulus, Davidi locum altaris cum victima promte concedit, 2*Sam*.24:20. 1*Chron*. 22:18. *Hiramus* Tyriorum Rex lætatur nuncio templi in honorem Dei Iſraëlis extruendi, 1*Reg*.5:7. Regina Aethiopiæ, Joſepho *Nicaules*, Jehovam Salomonis Deum, & Iſraëlem perpetuo diligentem, laude celebravit, juſte condemnatura Judæos ſapientiam Jeſu Chriſti ſpernentes, 1*Reg*:10.9.*Matth*.12:42.*Luc*.11:31.

19. A ſciſſione regni Iſraëlitici uſque ad captivitatem Babylonicam, fide & ſanctitate floruerunt quidam Reges, regiique principes & miniſtri; Sacerdotes, Prophetæ & perſonæ privatæ.

20. In *Abia* Jeroboami filio dicitur boni quid inventum coram Jehova, 1*Reg*.14:13. & *Obadias* domui Achabi præfectus Deum a juventute timuit, 1*Reg*.18:3-13. *Jehu* de bellico duce Regis ſtatus ambiguus, 2*Reg* 9.& 10.

21. In regno Judaico *Aſſa* toto animo adhæſit Deo, 1*Reg*.15:11-14. felix *Joſaphato* filio pio, 1*Reg*.22:43-47. *Joas*, vivente Jojada ſummo Pontifice, viis Dei inſtitit, ſecutis *Amazia, Uzia, Jothamo*: niſi quod populum in excelſis ſacrificare permiſerunt, & Uzias ſuffitum ſuper aram in templo incendere voluit; 2*Reg*.12.& ſeqq. *capp*.

Digitized by Google

22. Sed *Ezechias* Ahaſi natus eos pietate, integritate, ac in Deum fiducia longe ſuperavit, in regni adminiſtratione felix, ereptus e morbo lethali, tamen cum legatis Babyloniis nimio familiaris, 2 *Reg*. 18. *c*. & ſeqq.

23. *Eliakimus* aulæ Ezechiæ, remoto Sebna, præpoſitus, conviciis Jehovæ a Rabſake dictis inhorruit, veſteſque laceravit, *Eſai*. 22:20. 2 *Reg*. 18:18. ſeqq. *Manaſſes* reſipiſcens in regnum redit, omneſque peregrinos Deos cum idolis e templo removet, & Judæis cultum ſolius veri Dei præcipit, 2 *Chron*. 33.

24. *Joſias*, Manaſſis ex improbo Amone nepos, a juventute Deum Patris Davidis ſectatur, univerſum regnum à ſordibus impietatis purgat, populum, invento legis divinæ codice, cum Deo fœdere conjungit, & feſtum paſchale renovat; ſed infeliciter contra Pharaonem Nechum pugnat; 2 *Chron*. 34. 35. *capp*. 2 *Reg*. 22. 23. *capp*.

25. *Saphan* ſcriba regius coram Joſia inventum legis librum prælegit, 2 *Reg*. 22:9, 10. & *Abikamus* ipſius filius Jeremiam à furore impiorum defendit, *Jerem*. 26:24. exemplum eorum, qui ſervos Dei tuentur.

26. In regno X. tribuum ſacerdotes ac Levitæ multi a Jeroboamo expulſi ſedes ſubſtantiaſque perdere, quàm intermiſſo veri Dei ſacerdotio vitulis litare, maluerunt, 2 *Chron*. 11:13, 14.

27. *Jonadab* Rechabi filius, vir integer, ſtudium Jehu in cultu Baalis abolendo probavit adjuvitque, & certus imminentis calamitatis ac captivitatis Babylonicæ, filios potione vini, ſtructurâ

ædium,

ædium, cultura agrorum & plantatione vinearum interdixit, 2 *Reg.* 10 : 15. ſeqq. *Jerem.* 35 : 6, 7.

28. Quod inſtitutum paternum obſervantes Rechabitæ ex Jeremia promiſſionem Dei de ſacerdotio ab ipſorum familia nunquam auferendo audiunt, *Jerem.* 35 : 18, 19.

29. *Jojada* Pontifex M. poſt occiſam Athaliam non modo populum cum Rege, ſed & utrumque conjungit cum Deo, fœdere renovato, Beli altaribus & imaginibus confractis, ac ſacerdote interfecto, 2 *Reg.* 11 : 17. ſeqq.

30. *Zacharias* Jojadæ filius, impellente Spiritu Dei ſevera concione defectionem a Jehova reprehendens, juſſu Joaſi ingrati lapidibus obruitur, 2 *Chron.* 24 : 20. ſeqq. *Hilkia* Pontifex M. inventum legis codicem ad Regem Joſiam mittit, 2 *Chron.* 34 : 14. nec ſilendus *Sacerdos*, qui ab exilio Bethelem ductus, novos regni Iſraëlitici incolas Cuthæos timorem Jehovæ docuit, ubi a leonibus devorarentur, 2 *Reg.* 17 : 25. & 28.

31. Sequuntur *Prophetæ*, inter quos ſervus Dei *Abia* cultum falſorum Numinum indignatus, Jeroboamo X. tribuum regnum, 1 *Reg.* 11 : 29. ſeqq. poſt & gentis Jeroboami extirpationem, & Iſraëlis in Aſſyriam abduxionem prædixit, 1 *Reg.* 14 : 5. ſeqq. Roboamo *Semaja* diſſuaſit bellum contra X. tribus, 1 *Reg.* 12 : 22. ſeqq.

32. *Jehu* Baëſæ III. decem tribuum regi ob cultos Jeroboami vitulos excidium annunciavit, 1 *Reg.* 16 : 1. ſeqq. Aſſam *Azaria* confirmavit, 2 *Chron.* 15 : 1-8. Syriſque nixum *Hanani* reprehendit, ob id in carcerem conjectus, 2 *Chron.* 16 : 7-10. claſſis Ju-

Digitized by Google

dæi prophetæ a leone diſcerpti 1 *Reg.*13. 1. incerta.

33. *Elias* Thisbites, *Micha*, 1 *Reg.* 17-22. *capp.* *Eliſæus*, 2 *Reg.* 2. & ſeqq. *capp.* *Jonas* ad Ninivitas, & plures alii vates, quorum ſcripta habemus, tum inclaruerunt, uti & *Hulda*, 2 *Reg.* 22: 14. *Urias*, *Jerem.* 26: 20.

34. E privatis perſonis pietate inſignibus primum memorandæ duæ viduæ, *Sareptana* Eliæ, 1 *Reg.*17:7. & *Sunemitis* Eliſæi hoſpes, 2 *Reg.*4: 8. ſeqq. utraque filio a mortuis ſuſcitato exhilarata.

35. *Nabothus* paternæ vineæ permutatione timuit violare mandatum Jehovæ de hæreditatibus non confundendis, 1 *Reg.* 21. Eliæ conquerenti ſe unicum ſupereſſe, qui gloriæ divinæ ſtudio flagret, Deus indicat, ſervatos in Iſraële *ſeptem mille* cultu Beli haud pollutos, 1 *Reg.*18. 19.

36. Jeroboamo idolorum cultum inſtituente, *e decem tribubus plurimi*, Deum Iſraëlis corde integro ſectantes, Hieroſolymam ad ſacrificia Jehovæ offerenda venerunt, 2 *Chron.* 11: 16. nec dubitandum, *in regno Judæ*, quum pii Reges cultum veri Dei, abolitis idolis, reſtaurarunt, *multos cives* animo puro Jehovæ adhæſiſſe, 2 *Chron.* 34: 33.

37. E Syra gente ad Deum Iſraëlis ſe convertit *Naaman* ſupremus belli Dux, in Jordane a lepra purgatus, & ſuper aram de terra Iſraëlitica, quam ſecum in patriam reportaverat, ſtructam, Jehovæ ſacrificia obtulit, Regique in æde idoli miniſtrans, falſum Numen neque coluit, neque colere ſe ſimulavit, 2 *Reg.* 5: 1-19.

38. *Nautæ* ab oppido Joppe ſolventes, [illegible] primum Deos invocarunt, mox Jehovam valde ti-

timuerunt, & ſacrificiis placarunt, *Jon.* 1:4. atque *Ninivitæ,* concioni Jonæ fidem habentes, indutis ſaccis jejunarunt, pravamque vitam emendarunt, *Jon.* 3. *Matth.* 12: 41.

39. *Ebedmelech* Æthiops, regius cubicularius, pro vita Jeremiæ apud Zedekiam verba fecit, prophetam e cœnoſo carcere extraxit, & Deo confiſus promiſſionem de ſervanda ipſius vita inter hoſtilia diſcrimina audivit, *Jerem.* 38:7. & 39.16. ſeqq. *Seraja* Zedekiæ exulis comes a Jeremia laudatur ceu princeps quietis, & vaticinio contra Babelem recreatur, *Jerem.* 51: 59. ſeqq.

40. In captivitate Babylonica *Ezechiel* viſa divina vidit, ſicut & *Daniel,* cujus tres ſocii, *Sadrach, Meſach,* & *Abednego,* auream Nebucadnezaris ſtatuam venerari nolentes, in fornacem flammantem immittuntur quidem, ſed ab Angelo Dei cuſtodiuntur illæſi, *Dan.* 3:12. ſeqq.

41. Sub idem tempus *Baruch* Jeremiæ ſervus, quod imminentibus calamitatibus indoluiſſet, in exilio vivus ſervatur, *Jerem.* 45. & *Obadias* contra Idumæos Judæorum miſeriæ inſultantes vaticinatur.

42. An *Nebucadnezar* Regem cœlorum Deumque ſupremum laudans, *Dan.* 4: 30. ſeqq. ac *Darius Medus* timorem Dei Danielis ceu Dei vivi præcipiens, inter proſelyitas referendi?

43. Menſe ſeptimo poſt ſolutam a Cyro captivitatem, *Zorobabel* Judæorum princeps & *Joſua* ſummus ſacerdos, Jehovæ aram ſtatuunt, & victimas quotidianas ſuper eam accendunt, cultum integrum reſtaurant, *Haggao* & *Zacharia* incitante, templum abſolvunt.

44. *Eſthera* & *Mardochai* Judæorum ſalutem cordi habent; *Ezra* cultum Dei & Remp. reſtituit; *Nehemias* urbis mœnia reparat, cum Ezra populum ſolatur, & ſabbatum ſervari jubet.

45. Tum & *Iſraelitæ* pœnitentiam agunt, uxores peregrinas removent, fœdusque cum Deo, interpoſito juramento, renovant, *Nehem.* 9. 10. *capp. Ezr.* 10. Judæos cultum Dei negligentes *Malachias* arguit.

46. Antiocho Epiphane Hieroſolymis impie & crudeliter dominante multi ſævam obire mortem, quam a Deo deficere, maluerunt: inter quos laudatur *Eleazar* ſacerdos & ſcriba, & *mater* cum ſeptem filiis, 1 *Maccab.* 1: 65, 66 *Hebr.* 11: 36-39. *Joſeph.* de Maccab. c. 5.

47. *Mathatias* ſacerdos legem & religionem promiſſis muneribus anteponit, abominationibus regiis ingemiſcit, Judæum idolo ſacrificantem ad aram necat, moribundus quinque filios ad conſtantiam hortatur; cum eo multi homines pii in deſertum migrant, ut tuto legem ſervent, *Maccab.* 3. *Hebr.* 11: 38.

48. Quid de *Cyro* Rege, Judæorum paſtore, Jehovam Deum Iſraëlis agnoſcente, Judæis libertate donatis, Hieroſolymas cum templo reparari mandante? *Eſai.* 45. *Ezr.* I. Cum Daniele propheta Suſis egiſſe probabile.

49. In ultima temporis ſecundi periodo inter quinque Mathatiæ filios, legi conſtanter adhærentes, eminuit *Judas Maccabæus*, qui Syris victis templum purgavit, *Maccab.* 3. 4. *capp.* inde Encænia, *Joh.* 10: 22.

50 *Zacharias* & *Elizabetha*, conjugum par integrum ſceleriſque purum, *Joſephus* & *Maria*, Jeſu Chriſti parentes, *paſtores Bethlehemitici*, *Simeon* & *Hanna* vates, ſunt illuſtria hujus ætatis ſidera, *Luc.* 1. 2. *capp.*

51. In quem ordinem quoque pertinent *Johannes* B. cum ſuis diſcipulis: etiam Jeſus, propheti, comunere fungens, frequentes habuit diſcipulos, e quibus XI. Apoſtolos elegit; nam XII. fuit ſerpentis ſemen.

52. *Paralyticus Matth.* 9: 2. *Jairus* vſ. 18. æger ad Betheſdam decumbens, *Joh.* 5: 5. ſeqq. cæcus *Joh.* 9. *Lazarus* Bethanienſis cum ſororibus Maria & Martha, *Joſephus* Senator, & *Nicodemus* Phariſæus, pleni amore erga Jeſum.

53. *Latro* de cruce cum Domino ſuſpenſus, in fine vitæ reſipiſcens Jeſu gratiam vehementer deſideravit, & lætum illud a Chriſto ſolatium audivit: *hodie mecum eris in paradiſo*, *Luc.* 23: 39. ſeqq.

54. *Fœminis* piis annumeranda mulier, quæ a duodecim annis profluvio ſanguinis laboravit, *Matth.* 9: 20-22. vidua *Nainitis*, *Luc.* 7: 11-15. mulier pedes Domini lacrymis rigatos ſiccans, oſculans, ungens, vſ. 37. ſeqq.

55. Et *Maria Magdalena* a ſeptem Dæmonibus liberata, *Johanna* Chuſi uxor, *Suſanna*, aliæque multæ ſectabantur Jeſum, ac facultatibus ſuis juvabant, *Luc.* 8: 2, 3. *Matth.* 27: 55. Eadem Maria Magdalena Dominum ad crucem fuit comitata, ſepultum ungere voluit, ſuſcitatum prima vidit, *Marc.* 16. *Matth.* 28: 9.

56. *Maria*, matris Jeſu ſoror, Cleopæ uxor,

Joh. 19: 25. Jacobi Minoris & Joſes, vel Joſephi, mater, *Matth.* 27: 56. item *Salomone*, Johannis & Jacobi Minoris e Zebedæo genitrix, *Matth.* 20: 20, 21. tenerrime quoque Jeſum amarunt: paupercul æ *vidua* reſidua duo minuta in ſacrum ærarium injicientis liberalitas Chriſto laudatur, *Luc.* 21:1-4.

57. Inter *Idumæos* ab Hircano victos, & circumcidi ſe paſſos, nonnullos ſincero corde religionem Judaicam tenuiſſe, ſat eſt probabile. *Magi* ex oriente advenæ natum Judæorum Regem Bethlehemi adorarunt, *Matth.* 2.

58. *Samaritana* mulier cum potiore civium parte ſermone Jeſu inducta credidit, Eum eſſe promiſſum Chriſtum, *Joh.* 4: 5. ſeqq. Romanus *Centurio* Capernaumitici præſidii fiducia in Chriſtum omnes Iſraelitas ſuperavit, *Matth.* 8: 5. ſeqq. uti & fœmina *Syro-Phœnicia*, *Matth.* 15: 22. ſeqq. *Marc.* 7: 25. ſeqq.

59. *Zachæus*, publicanorum præfectus, fit benigno Jeſu intuitu Abrahæ filius, *Luc.* 19: 2. ſeqq. ac *Centurio* appoſitus cruci cuſtos, Jeſum Dei Filium hominemque juſtum fatetur, *Luc.* 23: 47. *Marc.* 15: 39.

CAPUT XII.

De Semine Serpentis tempore ſecundo.

PRæter Cananæam tum totus terrarum orbis deſertum erat ſterile, *Eſai.* 32: 15, 16. & 35: 1. & 41: 18. repletum beſtiis feris, *Pſ.* 8: 8. *Eſai.* 11: 6, 7. & 34: 13-15. gentibus aliis ſine Deo

&

& Chriſto viventibus, *Eph.* 2: 12. atque ob flagitia plurima in reprobam mentem traditis, *Rom.* 1:24. ſeqq.

2. Sed nec omnes Iſraëlitæ ſunt verus Iſrael: ſolique promiſſionis filii habentur pro ſemine, *Rom.* 9:6,7. Judæi occulti, corde circumciſi, *Rom.* 2:28, 29. factores, non auditores legis juſti ſunt apud Deum, vſ. 13.

3. Populi ex Ægypto egreſſi pars magna fuit ſerpentis ſemen, turba rebellis, Spiritui S. obnitens, & quacunque occaſione Deo ejusque ſervis obmurmurans, *Exod.* 16: 2. ſeqq. & 17: 2, 3. *Eſai.* 63: 10. *Act.* 7: 51. & Moſe abſente fœdus cum Jehova initum cultu vituli turpiter violans, *Exod.* 32. cibos Ægyptios repetens, *Num.* 11.

4 *Decem exploratores* Cananææ non modo ipſi de occupatione terræ promiſſæ deſperarunt, ſed & populum ad rebellionem reditumque in Ægyptum concitarunt, peſte ob id deleti, *Num.* 13-14. *capp.*

5. Quum vir die ſabbati ligna colligens Dei juſſu extra caſtra lapidibus obrueretur, atque poſt *Core, Dathan* & *Abiram* adverſus Moſen & Aaronem rebellantes, cum domibus vivi a terra abſorberentur, & CCL ſocii igne delerentur; populus, ſeverum hoc Dei judicium indignatus, Moſen & Aaronem cædis ſacrilegæ poſtulavit, unde peſtis 14700. abſumſit, *Num.* 15. 16. *capp.*

6. In via denuo ipſum Jehovam & Moſen criminantes mordentur ab igneis ſerpentibus, *Num.* 21:5,6. mox numen Moabitarum colentes filiaſque vitiantes, uno die XXIV. millia, XXIII. millia peſte, & mille ſuſpendio perierunt, *Num.* 25:1-9. 1. *Cor.* 10:8,9.

7. Æ-

7. *Aegyptii* ſuperſtitione, idolorum cultu, tyrannide & injuſtitia turpes, decem plagis haud emendantur: eorumque Rex *Pharao* cum toto exercitu aquis rubri maris ſubmergitur, *Exod.* 14: 24. ſeqq.

8. *Amalekitæ*, Eſavi ex Elipha poſteri, à Joſua franguntur, Deum non timentes exitio deſtinantur, *Exod.* 17: 8. ſeqq. *Deut.* 25: 17. Amorræorum Rex *Sihon*, & gigas *Og* Rex Baſanis, cum exercitu ab Iſraële cæduntur, *Num.* 21.

9. *Balako* Iſraëlitas vane per Bileamum execraturo, *Moabitæ* à cœtu Jehovæ excluduntur in perpetuum, bello tamen non infeſtandi, *Num.* 22: 2. ſeqq. *Deut.* 23: 3-6. & c. 2: 9. atque *Midianitæ*, viri fœminæque viro tactæ, gladio necantur, cum *Bileamo* poſiti offendiculi autore, *Num.* 25. 31. capp. 2 *Petr.* 2: 15, 16. *Jud.* vſ. 11.

10. Poſt obitum Joſuæ *Iſraelitæ* cum Cananitis fecere fœdus, & a vero Deo ad Syrorum aliorumque populorum numina defecerunt, *Judic.* 2. & ſeqq. capp. *Abimelech* Gideonis ex pellice filius, *Hophni* & *Pinehas* Eli, *Joel* & *Abia* Samuelis filii, mala vita infames.

11. Interea *Cananæi* expleta ſcelerum menſura evomuntur e terra, *Levit.* 18: 24. *Deut.* 18: 9. a Joſua & aliis ducibus fugati, interfecti. *Midianitæ* a Gideone, *Ammonitæ* a Jephta, *Philiſthæi* a Simſone atteruntur.

12. *Saul*, mandata Dei præ victimis negligit, Davidi inſidiatur, fœminam incantatricem conſuluit, vulneratus proprio ſe enſe confodit, *armigero* ipſius exemplum ſecuto. *Abitophel* vir impie cal-

callidus ſuſpendio vitam finit; *Simei* Davidi fugitivo dicit male, Salomoni tandem pœnas daturus.

13. *Mulieres exteræ* in aula Salomonis viventes, Regi cultum Chamuſi Moabitarum, & Molochi Ammonitarum numinis perſuadent, & Iſraëlitæ multi idola coluerunt, 1*Reg*.11.

14. *Ammonitæ* Solis cultores, & Iſraëlitarum diri hoſtes, a Saule, 1.*Sam*.11. poſt & a Davide 2*Sam*. 10. ſuperantur. *Philiſtæi*, Dagonis, ſeu Neptuni a piſcibus dicti, adoratores, a Saule & Jonathane gravi afficiuntur clade, ſicut & *Amalekitæ*, quorum Regem *Agagum* Samuel diſcerpſit, 1*Sam*. 13. 14. 15. *capp*.

15. *Goliathus* gigas per XL. dies exercitum Jehovæ execratur, à Davide lapide per frontem funda adacto conficitur, 1 *Sam*.17. Idumæus *Doeg* jubente Saule 85. ſacerdotes interficit.

16. Decem tribuum regno præivit impietate Rex primus *Jeroboamus*, duos vitulos aureos, unum in Bethele, alterum in Dane, ſtatuens, colendos per ſacerdotes ex plebe, 1 *Reg*. 12. patrem malignum imitatur filius *Nadab*, occiſus a ſucceſſore *Baeſa*, Jeroboami fœda feſtigia premente, 1*Reg*.15.

17. *Ellam* Baeſæ filium ebrium, ut Jehu prædixerat, occidit *Simri*, qui ab altero belli duce Amri obſeſſus in Thirza, flamma regiis ædibus ſubdita, ob ſcelera ſua ſeſe ipſe combuſſit, 1 *Reg*. 16.

18. Antecedentes Reges malitia ſuperavit *Amri*, qui vitulorum cultui novos impiæ ſuperſtitionis ritus addidit, & filium reliquit adhuc pejorem *Achabum*, flagitioſæ *Jeſabelis* maritum, 1 *Reg*. 16. & ſeqq. *capp*. *Mich*. 6:16. *Apoc*. 2:20. *Falſi prophetæ*

a men-

a mendaci ſpiritu acti, Achabo victoriam de Syris promiſerunt, 1*Reg*. 22.

19. *Ahaſias* Achabi & Jeſabelis parentum impietatem imitatur, lapſu vulneratus Muſcam Accaronitarum Deam conſulit, 1*Reg*. 22:52. 2*Reg*. 1. 2. XLII. *pueri* Eliſæ convicia in Bethele dicentes a duobus urſis e ſylva egreſſis devorantur, 2*Reg*.22:3,24.ſoboles parentum idolis deditorum.

20. *Joramus* Achabi filius natu minor, patre paulum melior, Beli ſtatuas removet, ſed vitulos a Jeroboamo conflatos retinet,a Jehu ſagitta transfigitur, in agrum Nabothi projectus, 2*Reg*.3:2,3. & 9: 24. ſeqq.

21. Poſt alios reges Jeroboami viis inſiſtentes *Peka* terram trans Jordanem a Tiglathpilleſere occupatam amittit, necatus ab *Hoſea*, quem Salmanaſſer in Aſſyriam cum univerſo populo captivum abducit, 2*Reg*.17.

22. *Tribus Juda*, ſecuta *Roboami* exemplum, tertio regni anno a lege Jehovæ deficit, celſa, ſtatuas & lucos in collibus, & ſub arboribus viridibus, extruit, Cananæorum facta abominanda, 2*Chron*.11:17. & 12. 1. 1*Reg*. 14: 22-24. Roboami uxor *Maecha* Ammonitis Priapum colit.

23. *Joramus*, Joſaphati filius, Achabi filiam ducit uxorem, viaſque perverſas premit, quem a matre Athalia ſeductus imitatur *Ahaſias* filius. *Athalia* regiam Judæ ſtirpem omnem præter Joaſum occultatum necat. *Ahas*, Jothami pii maligna ſoboles, impios Regum Iſraëlitarum ritus ſectatur.

24. *Amon* Manaſſis filius idola colit, *Joahas* Joſiæ fil. a Pharaone Necho in Ægyptum abducitur,

Digitized by Google

tur, Jeremiæ *Sallum* vocatus. Et ſubſtituitur *Jojakimus* frater, qui cum *Jechonia* & *Zedekia* male audiunt.

25. Tum & omnes ordines fuere corrupti, aula, ſacerdotium, vulgus. *Platia* & *Jaſania* pravorum conſiliorum in aula cruenti; *Pashur* ſacerdos Jeremiam alapa percuſſum in carcerem detrudit. *Prophetæ falſi* populum blandis promiſſis ſeducentes, in improbitate confirmabant.

26. *Syri* Deos Iſraëlis montanos putant; *Benhadadi* exercitus obſidionem Samariæ ſolvit. *Sennacheribi* copiæ ab Angelo delentur. Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Tyrii Sidoniique, Philiſthæi & Ægyptii, juſto Dei judicio, multa eorum ſcelera punientis, a Nebucadnezare ſubjugantur. *Ninive* a Nabopollaſaro excinditur.

27. In Ægypto *Judæi* colunt Ægyptia numina, *Jerem.* 44: 8. ſeqq. in Aſſyria & Babylonia *Iſraelitæ* ritus gentium, inter quas exulabant, imitantes, ſanctum Dei nomen profanant, *Ezech.* 36: 19, 20. *Eſai.* 52: 4, 5.

28. *Novi incolæ* regni Samaritani, Jehovam non timentes, a leonibus degluriuntur: quare Eum juxta idola a ſingulis nationibus in opidis ſtatuta colunt, 2 *Reg.* 17: 24. ſeqq. uti & ſub N. T. Dii fictitii vero ſunt aſſociati.

29. *Babyloniæ proceres* cum omni vulgo ad auream Nebucadnezaris ſtatuam procidunt, Chaldæique nonnulli ſocios Danielis ad eam non prolapſos accuſant, *Dan.* 3: 7. ſeqq. effigies civium Babelis myſticæ.

30. Darii Medi *Principes* ac *Satrapæ*, Danieli in-

invidentes, mandatum regium, de nullo Deo vel homine præter Regem intra XXX. dies invocando, exorant: Danielem ei non parentem trudi in foveam leonum faciunt; ſed illo vivo mane egrediente, ipſi cum uxoribus & liberis in ſpeluncam abjecti a leonibus devorantur, *Dan.* 6: 3. ſeqq.

31. Poſt liberationem e captivitate Babylonica, *Samaritani* cœptam templi ſtructuram primum juvare volentes impediunt, *Eſr.* 4: 1. ſeqq. *Haman* Judæis exitium molitur; *Sanballatus*, Samaritanus ſatrapa, & *Tobias* Ammonita ſtructuræ mœnium urbis intercedunt, fœduſque pangun Hieroſolymæ expugnandæ gratia.

32. *Antiochus Epiphanes* templum ſpoliat & profanat, Scripturas S. comburit, edictum de una ab omnibus religione tenenda promulgat, multos Judæos necat & vendit, *viſibilis Deus* appellatus.

33. Tum plurimi Judæi à lege Dei ad impios Antiochi ritus defecerunt, 1 *Maccab.* 1: 45. 55. *Dan.* 11: 30-32. ætate ultima V. T. *Alcimus*, prece & vi ſummum nactus pontificatums, Sacerdotes perfide trucidat, Iſraëlem totum vexat, & repente obit, 1 *Maccab.* 7: 5. ſeqq. & 9: 1. ſeqq.

34. *Syri* Judæam tenentes a Juda Maccabæo cæduntur; & Hircano principatum gerente, oritur ſecta *Phariſæorum* & *Sadducæorum*, viperarum progenies dicta, *Matth.* 3: 7. cum *Scribis*.

35. *Herodes* M. natum Jeſum ad mortem quærit, & Bethlehemiticos infantes necat; *Antipas* Johannem B. occidit in carcere. Judas Chriſtum prodit, Pilatus condemnat, a Judæis antea ſpretum, contumelia affectum, & inſidiis petitum, ſed irritis, quia Domini hora nondum venerat. LI-

LIBER QUINTUS DE MESSIA PRÆSTITO.

CAPUT I.

De Adventu Meſſiæ in carne ſub finem temporis ſecundi.

1. TEmpus mundi propter Dei heredes conſervandi in tres diſtinguitur articulos: *promiſſionis*, *Teſtamenti Veteris*, & *Novi*; primus deſiit cum fœderis pactione in monte Sina, *Galat.* 4: 24. ſecundus cum morte Chriſti, *Matth.* 26: 29. *Luc.* 22: 18. tertius à reſurrectione Domini inchoatus deſinet cum fine mundi.

2. Duo priores articuli, excepta poſterioris portione ultima, fuerunt tempus *ſpei*, *Act.* 26: 6, 7. *Eph.* 1: 12. Meſſiam venturum deſiderio complectentis, *Luc.* 2: 25. tertius eſt tempus *fidei*, *Galat.* 3: 23. amantis Chriſtum præſtitum, *Rom.* 1: 2.

3. Secundæ ætatis pars ultima *Num.* 24: 14. 17. *Eſai.* 2: 2. *Hebr.* 1: 1. eſt plenitudo temporum opportunorum, *Eph.* 1: 10. *Galat.* 4: 4. tempus ſtatutum, *Habak.* 2: 3. *Galat.* 4: 2. annus beneplaciti Jehovæ, *Eſai.* 61: 2. dies ſalutis. 2 *Cor.* 6: 2.

4. Eam Deus certis ac claris definivit ſignis, *Matth.* 16: 3. ut attendens ad ea cognoſceret, tempus adventus Meſſiæ adpropinquaſſe: etſi Meſſias ipſe ob humilem formam non agnoſceretur, *Eſai.* 52: 2. *Joh.* 1: 10, 11. neque regnum Dei obſervaretur, *Luc.* 17: 20.

5. Si-

5. Signa hæc ſunt varia cum populi Judaici, tum orbis univerſi fata, Chriſti adventum prægreſſa: ut Judæorum poſt captivitatem Babylonicam multiplicatio, & de vicinis hoſtibus victoria, *Eſai.* 9:2. *Mich.* 2:12, 13. Monarchiæ Romanæ potentia, *Dan.* 2:32-34. 44, 45. deſtructio regni Syriæ, *Eſai.* 7:16. Romanorum in Judæam irruptio, *Mich.* 5:1. natalia Johannis viam Chriſto paraturi, *Eſai.* 40:3. *Malach.* 3:1.

6. Quibus omnibus impletis, Auguſto imperante, *Luc.* 2:1. & Herode M. regnante, *Matth.* 2:1. legislatore nondum abolito, *Gen.* 49:10. templo ſecundo adhuc ſtante, *Hagg.* 2:8. 10. licet ab Herode amplificato, *Joh.* 2:20. *Joſeph.* Antiq. Jud. l. 15. c. 14. & hiſt. l. 1. c. 16. intra LXX. Danielis hebdomadas, *Dan.* 9:24. Meſſias promiſſus in hunc mundum venit, *Galat.* 4:4. *Joh.* 1:9. & c. 18:37. in terram, *Joh.* 16:28. *Eph* 4:9. Jeſus ab educationis loco Nazarenus dictus, *Matth.* 1:21. & c. 2:23.

7. Adveniſſe autem in mundum dicitur, *Zach.* 9:9. *Habak.* 2:3. quatenus in terra factus eſt homo, 1 *Joh.* 4:2. *Galat.* 4:4. relicto cœlo, *Luc.* 1:78. *Joh.* 3:13. ubi fuit apud Patrem, *Prov.* 8:22. *Joh.* 1:1. & cum Spiritu S. divinam ab æterno gloriam habuit, *Joh.* 17:5. ut Sociniani impie doceant, Jeſum Chriſtum non extitiſſe prius, quam è B. Virgine natus eſſet.

8. In terram venit Judaicam, *Zach.* 9:9. genitus Bethlehemi, *Mich.* 5:2. *Luc.* 2:6. *Matth.* 2:1 6. anno, menſe & die ignoto: Latina Eccleſia natalitium feſtum die ſexto Januar. primum celebrante, dein XXV. Decembr. *Scaligero* in finem

Septembris, vel principium Octobris rejiciente.

9. Finis adventus Meſſiæ erat, populi, à Patre ſibi dati, & peccato perditi, ſervatio, *Matth.* 1 : 21. & *c.* 20 : 28. 1 *Tim.* 1 : 15. *Luc.* 19 : 10. è Satanæ imperio *Hebr.* 2 : 14. & ſervitute legis vindicatio, *Luc.* 1 : 71. 74. *Zach.* 9 : 11. peccati deletio, & juſtitiæ adductio, *Dan.* 9 : 24. Evangelii inter gentes totius orbis propagatio, *Eſai.* 61 : 1, 2.

10. Proinde temporum præcedentium fideles adventum Meſſiæ anxie concupierunt, *Apoc.* 12 : 2. *Malach.* 3 : 1. *Luc.* 10 : 24. & certiſſime ſperarunt, *Gen.* 49 : 18. *Luc.* 1 : 68, 69. uti nos in N. T. vehementiſſime illo lætamur, *Eſai.* 9 : 3. *Zach.* 9 : 9. *Luc.* 2 : 10.

11. Auctor adventus Meſſiæ Pater eſt, qui Filium miſit, *Eſai.* 48 : 16. & *c.* 61 : 1. *Joh.* 8 : 42. & ab eo petiit, ut ſibi in humana natura ſerviret; in quod petitum Filius ab æterno lubens conſenſit, *Pſ.* 40 : 7-9. factus homo, *Joh.* 1 : 14. homo verus, *Luc.* 24 : 39. nobis per omnia ſimilis excepto peccato, *Hebr.* 2 : 14. *Philip.* 2 : 7.

12. Habet enim *corpus* verum, *Hebr.* 10 : 5. quod potuit creſcere, *Luc.* 2 : 52. fatigari, *Joh.* 4 : 6. verberari, *Joh.* 19 : 1. *Matth.* 26 : 67. clavis configi, *Pſ.* 22 : 17. quod cibo potuque firmari debuit, *Joh.* 19 : 28. *Marc.* 11 : 12. & veram animam, *Matth.* 26 : 38. *Luc.* 23 : 46. intellectu finito, *Luc.* 2 : 52. *Marc.* 13 : 32. & voluntate humana præditam, *Matth.* 26 : 29. capacem indignationis, *Joh.* 11 : 33. & triſtitiæ, *Matth.* 26 : 37, 38.

13. Corpus accepit Dominus è S. Virginis Mariæ carne & ſanguine, *Luc.* 1 : 35. 42, 43. neque attulit è cœlo in uterum matris, genitum ſive ex eſ-

ſentia Patris, ſive ex ſemine verbi æterni, ſive ex Spiritu S. neque Pater aliam ſubſtantiam cum Virginis ipſius carne conjungendam, vel in uterum Mariæ immiſit, vel in eo creavit: uti *Socinus* æternam Filii Dei generationem inficiatus contendit. *Mennonis* & aſſeclarum error eſt innocentior.

14. Debuit enim Meſſias eſſe mulieris ſemen, *Gen.* 3: 15. & hominis filius, *Dan.* 7: 13. & B. Maria Dominum Jeſum concepit ſine viri ope, ſola virtute Spiritus S., ſemen matris in utero colligentis, fœcundantis, à perverſis motibus vindicantis, fœtumque ſanctum inde formantis. *Luc.* 1: 34, 35.

15. Ut Virgo manſerit illibata, *Gen.* 3: 15. *Eſai.* 7: 14. *Prov.* 30: 19. *Jerem.* 31: 22. quanquam peperit aperto utero, *Luc.* 2:23. ſecus ac *Nazianz.* & ſeculo IX. *Paſchaſius Ratbertus* putavit.

16. Niſi enim ex Virgine, citra viri opem, conceptus fuiſſet Meſſias, ſanctus concipi naſcique non potuiſſet, *Gen.* 5: 3. *Joh.* 3: 6. quod tamen erat neceſſarium, *Hebr.* 7: 26.

17. Probabiliter S. Maria, edito in lucem filio, manſit virgo: nam Chriſti fratres *Matth.* 13: 55. vel ſunt ejus conſanguinei, vel, quod credidit *Epiphanius*, Joſephi ex priore matrimonio ſuſcepti filii, *Hæreſ.* 78. Helvidius è Joſepho quoque matrem eam factam ſtatuit.

18. Non tamen quia Filium genuit peccati expertem, & ipſa fuit à nativa corruptione libera, Richardo *Victorino* ſub medium ſeculi XII. primo diſerte id affirmante. nam & Jeſum pro Servatore ſuo habuit, *Luc.* 1: 47. & Domini cenſuram incurrit, materno jure abuſa, *Joh.* 2: 4. & finem adventus

tus Chriſti in mundum ignoraſſe videtur, *Luc.* 2: 49, 50.

19. Propter admirandam hanc conceptionem, virtute Spiritus S. factam, Meſſias haud vocatur Dei Filius, quod Sociniani vellent: ſed quia eſt Dei Filius, noſterque Sponſor, idcirco modo extraordinario & ſanctiſſimo concipi homo debuit, *Luc.* 1: 35.

20. Porro natus eſt Meſſias ex Semine Abrahami, *Gen.* 22: 18. *Galat.* 3: 16. tribu Judæ, *Num.* 24: 17. *Deut.* 18: 15. *Rom.* 9: 5. & ſtirpe Davidis, 2 *Sam.* 7: 12. *Eſai.* 11: 1. *Jer.* 23: 5. *Amoſ.* 9: 11. *Matth.* 1: 1. & *c.* 20: 31. *Rom.* 1: 3. nam Maria erat Davidis filia ex Nathanis poſteritate per Heli patrem, *Luc.* 3: 23. deſponſata Joſepho fabro è poſteris Salomonis, *Luc.* 1: 26, 27. & 2: 4.

21. Atque hactenus origo Meſſiæ fuit ſignum conſervandæ familiæ Davidicæ, datum Achaſo Regi, & promiſſionem de ortu Meſſiæ, è progenie Davidis, vel neſcienti, vel non credenti, ac metuenti, ne illa cum regno Judaico à Syro & Iſraëlitico Rege funditus everteretur, *Eſai.* 7: 14.

22. Eliſabeta Aaronitis, & Maria è tribu Judæ ac familia Davidis oriunda, potuere eſſe cognatæ, ſive quia Pater Eliſabetæ uxorem duxit ſororem matris aut aviæ Mariæ; ſive quia Pater vel avus Mariæ conjugem habuit Eliſabetæ ſororem, aut neptem è ſorore, *Luc.* 1: 36. Sacerdotibus enim ex alia tribu uxorem ducere licuit, *Levit.* 21: 14. coll. cum *Num.* 27: 13. 2 *Chron.* 22: 11. & ſacerdotum filiabus nubere viris alterius tribus, *Levit.* 22: 12.

23. Judæi veteres ſciverunt Mariam eſſe filiam

Digitized by Google

Heli: ſed criminati ſunt, Religioſum quendam in inſomniis vidiſſe pœnas inferorum, interque eos Mariam filiam Heli in umbris ſuſpenſam per glandulas mammarum, *Lighf.* ad *Luc.* 3: 23.

24. *Matthæus* enumerat poſteros Salomonis: *Lucas* Nathanis; illos Joſephi, hos Mariæ majores, eaque propter mirum non eſt, quod apud utrumque Evangeliſtam diverſus ſit generationum numerus, diverſa nomina.

25. Atque ex eo, quod nomina interdum ſunt eadem, male infertur, eoſdem quoque homines deſignari. Erant nempe inter Salomonis poſteros, qui vocati Salathiel, Zorobabel; ſed & è Nathanis ſtirpe aliqui hoc gerebant nomen.

26. In genealogia Mariæ à Julio Africano omittuntur Mattatus & Levi, *Euſeb.* H.E. l.1. c.7. Cainan inter Arphaxadum & Salam poſitus, *Luc.* 3: 36. expungi debet, ſiquidem non occurrit *Gen.* 11: 12. neque 1 *Chron.* 1: 24. neque in vetuſto *Bezæ* codice.

27. Uti contra *Robert. Stephan.* quem Chemnitius, Piſcator & Pareus ſecuti ſunt, *Matth.* 1: 11. recte è vetuſtis codicibus edidit: Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιακείμ· Ιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν· Et *Cod. Bodlej.* apud Curcell. habet: τὸν Ιωακείμ· Ιωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν.

28. Ita ſcil. completur numerus XIV. generationum, cui omiſſo Joakimo deeſſet unus: etiam Joſias fuit pater Joakimi & avus Jechoniæ, 2 *Reg.* 23: 35. & 24: 6. 1 *Chron* 3: 15, 16. 2 *Chron.* 36: 4. 8. *Jer.* 37: 1.

29. Ex dictis colligitur, miſerrime decipi Judæos, credentes Meſſiam nondum adveniſſe, & re-

Digitized by Google

reſpuentes Jeſum Nazarenum, *Joh.* 5: 40. 43. quod & ipſum prophetæ prædixerunt, *Deut.* 32: 15. *Eſai.* 42: 19. & 50: 1, 2. & 53: 1.

30. Jam diu enim tribus familiæque omnes ſunt confuſæ, templum ſecundum deſtructum, Cananæa execrationi ſubjecta, & Legislator abolitus.

31. Tamen Jeſu Nazareno in terris verſante, ſciverunt Judæi, adeſſe tempus adventus Meſſiæ, *Joh.* 1: 25. & 10: 24. unde & quemlibet virum eximium pro Meſſia ſuſcepere; ipſos etiam turpiſſimos deceptores. *Matth.* 24: 24. *Joh.* 5: 43.

32. At humilis & contemta Jeſu noſtri forma ſuperbæ nationi offendiculo fuit, *Eſai.* 53: 3. *Luc* 2: 34. *Matth.* 11: 6. 1 *Cor.* 1: 23. & ſtupida excœcati ignorantia credere non potuerunt, abjectum hominem ſimul eſſe Dei Filium, *Joh.* 5: 18.

33. Eſt nihilominus certiſſimum, Liberatorem eſſe ſimul verum hominem, Deumque ſupremum, laudatum in ſecula; fideque amplectimur doctrinam Evangelii, *Rom.* 1: 3, 4. 1 *Tim.* 3: 16. *Joh.* 1: 14. prophetarum oraculis confirmatam, *Jer.* 23: 5, 6. Jeſum Chriſtum habere geminam naturam, divinam & humanam.

34. Nec enim divina fuit mutata in humanam; aut humana cum divina confuſa, *Malach.* 3: 6. *Jacob.* 1: 17. uti Dioſcurus & Eutyches putarunt *Synod. Chalcedon.*

35. Sed utraque natura ſuas retinuit proprietates, Meſſiæ ab alterutra appellato tributas, 1 *Petr.* 3: 18. *Joh.* 3: 13. *Act.* 20: 28. quæ ipſa eſt idiomatum vel *proprietatum communicatio*, in ſcholis tantum memorata, & nimium acerbe, ac ſine fructu tam diu diſceptata, *Eſai.* 42: 8.

Digitized by Google

36. Et humana natura ad divinam eſt aſſumta à Filio Dei, *Philip.* 2:7. quatenus Is voluit, ut corpus è ſanguine Mariæ formatum, & conjuncta cum eo mens, ſuum eſſet corpus, ſuaque mens: & quæ illa agerent, aut paterentur, Ipſe agere, aut pati cenſeretur. quo ipſo divinam naturam non reddidit perfectiorem, ſed honoravit humanam, *Pſ.* 8:5.

37. Neque factus duo, ſive alius & alius, ſed manſit unus, 1 *Tim.* 2:5. ut Maria Virgo dici poſſit Θεοτόκος, *Luc.* 1:43. propterea tamen cultu religioſo non proſequenda, *Joh.* 2:3, 4. *Matth.* 4:10. cui illicito cultui occaſionem dedere inconſulta encomia, à priſcis doctoribus in B. Domini matrem congeſta; & picturæ Chriſtum infantem in ulnis matris referentes: originem Gregorii M. ſomnia: autoritatem Synodus Claræmontana A. 1095. incrementum Dominicus: complementum Monachorum & Patrum Societatis Jeſu ſtudia.

38. Nam Mariam fecere Reginam cœlorum, Reginam univerſalem, ad quam provocemus à Deo: cum qua Deus regnum ſit partitus; quæ citius Chriſto preces noſtras exaudiat, & Filio imperet, quæ ſit perfugium ſalutis, fons gratiæ, diſpenſatrix omnium bonorum.

39. Salutavit quidem ipſam Angelus Gabriel κεχαριτωμένην *gratioſam*, cui gratia facta eſt, non quæ aliis gratiam facere poſſet, *Luc.* 1:28. & Eliſabeta prædicavit beatam præ cæteris mulieribus, vſ. 42. quæ pro ejus cultu nihil concludunt.

40. Cæterum ut Angelus Gabriel adventum Meſſiæ prænunciavit B. Virgini, quæ novum & ino-

Digitized by Google

inopinum ſermonem primum mirata, mox credidit, *Luc.* 1: 26 - 38 ita paſtoribus Bethlehemiticis natum eſſe Salvatorem eapſe nocte indicavit Angelus Domini, cui mox adfuit exercitus cœleſtis, Deum laudans, *Luc.* 2: 9-14. *Eſai.* 40: 5. & bona N. T. deprædicans.

CAPUT II.

De vita Meſſiæ privata.

1. CUrriculum à Jeſu Chriſto in hac terra peractum complectitur vitam ejus cum *privatam* tum *publicam*: ſed in definiendis utriuſque periodi annis priſci & recentes doctores diſſenſerunt: *Irenæo* vitam Domini ultra XL. annos extendente, *Clemente Alexandrino* poſt Gnoſticos opinato, Dominum nonniſi unum annum annunciaſſe Evangelium.

2. *Ignatio* Jeſus XXX. ætatis anno fuit baptizatus, ac docuit tribus annis. *Epiphanio* obiit anno XXXIII. venitque ad baptiſmum natus annos XXIX. menſes X. & XXXum annum explevit ipſo die, quo Canæ in nuptiis miraculum edidit: poſt continuavit præconium verbi ſalutis per biennium duobus paſchatibus notatum, ſuſpenſus in tertio.

3. Diem ortus Meſſiæ ſtatuebat incidiſſe in VI. Januarii, (qui inde Græcis ἐπιφάνεια dictus) baptiſmi in diem VI. Novembris; & obitus in XX. Martis: ut omnino bimeſtre & XIV. dies ſupra XXXII. annos vixerit. *Hæreſ.* 51. §. 16. ſeqq.

4. *Scaliger* putavit, Jeſum Chriſtum obiiſſe anno

no ætatis XXXV. currente; privatum enim vixiſſe ſolidos XXX. annos, & doctorem publicum quinque paſchata celebraſſe.

5. *Lightfoot.* opinatur, ſpatium, à Chriſto in terris peractum, fuiſſe nec plus nec minus quam XXXII. annorum cum dimidio, diviſum in duas partes inæquales: videl. in XXIX. integros annos, quibus ante baptiſmum privatè viverit; & dein in tres annos cum dimidio, intra baptiſmum & mortem Domini elapſos, in *Harmon.* ad *Luc.* 2: 7.

6. Numerum annorum publici miniſterii Servatoris jam ab Angelo Gabriele prænunciatum, *Dan.* 9: 27. atque Jeſum obiiſſe die paſchatis, vel XV. menſis Abib, & conſequenter natum die XV. menſis Tiſri, Septembri noſtro reſpondentis, in feſto tabernaculorum: quo menſe & mundus & peccatum originem ſumſerint.

7. B. quoque *Lutherus* vaticinio *Dan.* c. 9: 27. commotus, & *Ludov. Capell.* Jeſum Chriſtum tres annos cum dimidio ſermonem gratiæ annunciaſſe crediderunt. neque *Uſſer.* niſi quatuor paſchata cum tempore à baptiſmo Domini uſque ad paſcha primum, publico ipſius miniſterio tribuit.

8. Exiſtimo, Jeſum Chriſtum, quandò à Johanne fuit baptizatus, egiſſe annum ætatis viceſimum nonum, & brevi poſt attigiſſe triceſimum: hæc enim vis verborum, *Luc.* 3: 23. ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα; publice autem docuiſſe per tres annos & fere dimidium: ἀρχόμενος ſignificat initium publici Jeſu Chriſti miniſterii, uti ἀρξάμενος *Act.* 1: 22. & 10: 37.

9. Sed videamus acta vitæ privatæ Jeſu Chriſti, ad

Digitized by Google

ad ſuum quæque tempus relata. Igitur ipſa ſtatim natalitia nocte, à Paſtoribus Bethlehemitanis, Angelico nuncio excitatis, in præſepi jacens ſpectatur, & promiſſus Servator mundi læta voce renunciatur. octavo poſt die, tanquam Patris ſervus, legi ſubjectus, circumciditur, & ſecundum Angeli monitum *Jeſus* appellatur, *Luc.* 2 : 15-21. *Matth.* 1: 21. *Eſai.* 42 : 1. *Galat.* 4 : 5. & 5 : 3.

10. Hebræum eſt origine nomen ab הושיע *ſervavit, liberavit:* uti Moſes filium Nuni vocavit יהושיע *Liberatorem*, Servatorem, *Num.* 13 : 17. *Act.* 7 : 45. *Hebr.* 4 : 8. & Athniel cum Ehudo nominatur מושיע, *Judic* 3 : 9. 15.

11. A Judæis impie effertur ישו׳, licet & alii inter ipſos viri nomen Jeſu geſſerint, *Syracid.* 1 : 1. *Act.* 13 : 6. *Coloſſ.* 4 : 11. à Chriſtianis nonnullis Servator, etiam duodecennis puer, non ſine detractione *Jeſulus* dicitur: quaſi per blandimentum.

12. Dulce profecto & plenum ſolatio nomen Jeſu eſt, ac liberationem noſtram è ſumma miſeria nobis in memoriam revocat: propterea tamen haud oportet literas ejus & ſyllabas ſingulari ritu & ſuperſtitioſo honore proſequi.

13. Tenellus infans dum Bethlehemi eſt, tanquam Rex Judæorum à *Magis* orientalibus adoratur, muneribuſque colitur, *Matth.* 2 : 1. ſeqq. Romanæ Eccleſiæ ſunt tres Reges; *Lightfooto* venefici, quia vox Μάγος in S. Scriptura nunquam bene accipiatur, *Act.* 8 : 9. 11. & 13 : 6. 8. pleriſque ſunt *Sapientes*, aſtrorum ſcientiam amantes, Hebræis dicti אשפים quod LXX. reddunt Μάγοι, *Spanhem*, dub. Evang. XIX.

Digitized by Google

14. *Lightfoot.* Arabes facit, *Harm. Evang.* p. 300. & *Spanhem.* Perſas: alii Chaldæos: quidam Meſopotamiæ incolas, in *Dubio* XXIV. an acceſſerunt ex diverſis Orientis tractibus, ἀπὸ ἀνατολῶν, ſaltem non controvertitur Arabica attuliſſe munera.

15. Iter Hieroſolymas ſuſceperunt excitati viſo *cometa* ſecundum *Scalig.*, vel *aſtro* maculis exſoluto, Cl. *Mieg.* P. in diſput. de Stella Magor. *Chron. Alexandr.* meminit libri de Stella Regis venturi, ab illuſtri Perſa compoſiti, & à Magis Perſis coram Herode allegati.

16. Sidus iſtud in Oriente ortum nato Chriſto προῆγεν *proceſſit* ante Magos, haud tamen viſum ceu viæ dux: ut apparet è gaudio concepto ex iterata ſtellæ apparitione, quum ad hoſpitium nati Regis veniſſent; atque illa ſideris iterata apparitio, monente Cl. *Mieg.* vocatur ſtatio, *Matth*, 2: 9, 10. ἔστη ἐπάνω &c.

17. *Lightfoot.* credidit, acceſſiſſe Magos, cum Salvator noſter ſecundum circiter ætatis annum *attigiſſet:* rectius *Uſſer.* eorum adventum collocat ante purificationem Mariæ: nam brevior erat Chriſti mora Bethlehemi, quam ut ullis innotuiſſet, *Joh.* 1: 46. & *c.* 7: 41, 42. Nazaretani inde ab omnibus habiti.

18. Bimulos occidit Herodes, ut recens natus Judæorum Rex eo certius communi ſtrage interficeretur, neque vivus evaderet, ſi forte ſtella citius dicto Magorum viſa eſſet. Et ſolent tyranni ob unum plures exitio involvere.

19. Hieroſolymis parentes Jeſu non diu manſerunt,

Digitized by Google

runt, & clam in urbem populoſam, atque in templum ipſum, illatus infans periculum à tyranno imminens facile effugit. Neque cogitavit Herodes de Jeſu ſtato die Deo in templo offerendo.

20. Elapſis XL. diebus, quibus & puerpera & fœtus primum ab hominum contactu, deinde à cœtibus publicis abſtinere, lege Moſis jubebantur, cerimoniis ſolitis uterque purificati ſunt, *Luc.* 2: 22. *Levit.* 12: 2. ſeqq.

21. Purificatione facta Joſephus & Maria Bethlehemo Hieroſolymas proficiſcuntur, & poſt oblatam pauperis matris hoſtiam, primogenitum filium legi convenienter Domino in templo ſiſtunt, *Luc.* 2: 22-24.

22. Eo tum & venit impulſu Spiritus S. ſpectatæ pietatis vir *Simeon*, qui accepta promiſſione, ſe ante mortem *Unctum* Domini viſurum, Iſraëlis conſolatorem ardenti deſiderio expectabat, votoque potitus Salvatorem ulnis geſtat, & parentibus valde gratulatus, de Meſſia Judæis & gentibus cæteris dato, & à multis rejiciendo, non ſine Joſephi & Mariæ ſtupore diſſerit, *Luc.* 2: 25. ſeqq.

23. Etiam *Hanna* vates, Phanuelis filia, è tribu Aſſer, ſenecta & pietate illuſtris vidua, iis qui liberationem Iſraëlis ſperabant, huncce Jeſum eſſe promiſſum mundi ſoſpitatorem declaravit, *Luc.* 2: 36-38.

24. Mox parentes Domini, juſtis legi ſolutis, Nazarethum, indicti ab Auguſto cenſus cauſſa ad tempus relictum, velut in ſedem conſuetam ſe recipiunt cum Filio, qui plenus ſapientia Spiritus S. & gratia Dei, ſub ipſorum cura adolevit, *Luc.* 2: 39, 40.

Digitized by Google

39, 40. ὑποτασσόμενος αὐτοῖς; *iis ſubjectus*, vſ. 51.

25. Interea tardatus Magorum reditus creat Herodi ſuſpiciones, qui ſe deceptum indignatus, exequendi conſilii à crudeli æmulatione ſuggeſti, anſam arripit, & omnes Bethlehemitici pagi infantes, anno majores minoreſque interfici mandat, *Matth.* 2: 16. ſeqq. *Jerem.* 31: 15. ſeqq.

26. Ut autem Jeſus ad necem quæſitus tyranni manus evitaret, ſomnio divino per Angelum monetur Joſephus Nazarethi, filium cum matre in Ægyptum ducat, *Matth.* 2: 13-15. *Hoſ.* 11: 1. Hermopolin Thebaïdis veniſſe, dicebant Ægyptii apud *Sozom.* l. 5. c. 21.

27. Verſati aliquamdiu in Ægypto, nova ab Angelo Domini de morte Herodis accipiunt, & reverti in Iſraëlis terram jubentur, *Matth.* 2: 19. ſeqq. *Jerem.* 31: 16.

28. Itaque Joſephus cum ſuis iter ingreditur, ſed videns confirmatam à Romanis Archelao potentiam paternam, non audet venire in Judæam. hinc ſomnio monitus ſecedit in Galilæam inferiorem, cui Herodes Antipas, Archelai frater, mitioris ingenii princeps, & æmulationis expers, præfuit.

29. Sedemque figit in contemto opido, triduo ab Hieroſolymis, duabuſque leucis à monte Thabor diſtante, Nazaretho, *Matth.* 2: 23. *Joh.* 1: 47. ubi prius habitarant.

30. Anno ætatis XII. Jeſus Hieroſolymas ad celebrandum paſcha ducitur à parentibus, quibus finita feſti ſolennitate in patriam regreſſis, ipſe in urbe ſancta reſtat, medioſque inter doctores, ſapientiæ

pientiæ & divinioris ingenii ſpecimen, interrogando & reſpondendo edit, *Luc.* 2 : 42. ſeqq. res Patris cœleſtis mature curans.

22. *Lightfoot.* ad *Marc.* 6 : 3. putat, Dominum exemplo aliorum ſapientum, ad evitandam otii ſuſpicionem, tectonicam patris artem didiciſſe & exercuiſſe; probabilius exiſtimo, dies noctesque legem Jehovæ meditatum eſſe, ſine opificio ab hominum vulgo exerceri ſolito.

32. Alia Chriſti privati acta in ſacris literis non leguntur. Quatuor annos natum, quum ex Ægypto reverteretur, tradit *Eutych.* p. 315. Quæ habet *Euthym.* Zigaben. autorque libelli *Infantiæ Jeſu Chriſti*, & *Xaver.* in Evang. Pers. ea ſuo loco relinquimus.

CAPUT III.

De vita Meſſiæ publica.

1. EAm exorſus eſt triceſimo fere ætatis anno, quo ſacerdotes munus ſuum obire cœperunt, *Num.* 4 : 3. Joſephus autem ad præfecturam Ægypti, *Gen.* 41 : 46. & David ad dignitatem regiam evecti fuerunt, 2 *Sam.* 5 : 4.

2. Membris continetur quatuor, quorum primum memorat acta Servatoris ab ejus baptiſmo uſque ad paſcha primum; tria autem reliqua repræſentant acta Domini à paſchate *primo* uſque ad *quartum*, quod Chriſto fuit emortuale. I. legitur *Joh.* 2 : 13. II. colligitur è *Joh.* 4 : 35. & *Luc.* 6 : 1. *Joh.* 5 : 1. III. *Joh.* 6 : 4.

Digitized by Google

3. Igitur Jeſus Nazaretho contendit ad Jordanem, *Marc.* 1:9. immergendus aquis à Johanne, *Matth.* 3:13. *Luc.* 3:21. qui de facie Liberatorem nondum noverat, *Joh.* 1:31. ut ſolenniter demonſtraret, quod animo lubenti ſe immergat fluctibus iræ divinæ, ad gloriam Patris illuſtrandam: certus ſe inde emerſurum, & heredibus Dei remiſſionem peccatorum acquiſiturum.

4. Adſcendens ex Jordane Dominus, & preces fundens, diffiſſos vidit cœlos, & Spiritum S. in forma columbæ ſuper ſe deſcendentem; Patriſque audivit vocem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo acquieſco*, *Matth.* 3:16, 17. *Marc.* 1:11. *Luc.* 3:21, 22.

5. Regreſſus à Jordane agitur à Spiritu S. in deſertum, ubi Moſis & Eliæ exemplo, *Deut.* 9:18. 1 *Reg.* 19:8. XL. dies jejunavit, verſatus inter feras, & tentatus à Satana, *Matth.* 4:1. ſeqq. *Luc.* 4:1. ſeqq. *Marc.* 1:13. quam hiſtoriam non licet convertere in viſionem propheticam, qualem viderat Hoſeas, *c.* 1. quia Jeſus reapſe debuit tentari, ut fratrum tentatorum miſereri diſceret, *Hebr.* 2:18, & 4:15.

6. Digreſſo diabolo revertitur in Galilæam ad Johannem, *Matth.* 4:12. *Marc.* 1:14. à quo Agnus Dei renunciatur, *Joh.* 1:29. ſeqq. & diſcipulos legit, vſ. 37. ſeqq. inde Canam, tribus Zabulonis opidum, Nazaretho vicinum, pergit; ubi cum aſſeclis invitatus ad convivium nuptiale, aquam in vinum mutat, *Joh.* 2:1. ſeqq. nuptiis primo hoc miraculo honoratis, quia per conjugium accepit à Patre populum, cui Rex præfectus eſt.

7. Re-

7. Relicta Cana, cum matre familiaque Capernaum, urbem opulentam ad mare Galilææ ſitam, deſcendit; ſed ob propinquum *paſcha* brevi poſt Hieroſolymas proficiſcitur, ibique è templo animantia bruta, venditores & argentarios, confecto è funiculis flagello, ejicit, *Joh.* 2: 12. ſeqq.

8. Mox Nicodemum erudit de ſecunda hominis generatione per Spiritum S. deque vita æterna per Filium Dei adipiſcenda; & Hieroſolymis relictis, in agrum Judaicum abit, *Joh.* c. 3. ubi diſcipulorum miniſterio baptizat, *Joh.* 4: 1, 2. ſed preſſus invidia Phariſæorum, Johanne B. in carcerem jam compacto, è Judæa, ubi octo circiter menſes exegerat, in Galilæam, ad Evangelium annunciandum, remigrat, *Matth.* 4: 12. *Marc.* 1: 14. *Luc.* 4: 14. *Joh.* 4: 35.

9. Trajiciens agrum Samaritanum cum fœmina Samaritide colloquitur, *Joh.* 4: 7, ſeqq. atque à Galilæis bene ſuſceptus, Canæ ſanat filium regii miniſtri Capernaumi ex febre decumbentem, *Joh.* 4: 45-54. in Synagogis Galilæis magna cum fama gratiæ verbum prædicat, Capernaumi editis prodigiis inclareſcit, *Luc.* 4: 14-23. *Matth.* 14: 17. *Marc.* 1: 14, 15. tamen à Nazarethanis de monte eſſet præceps datus, niſi evaſiſſet, *Luc.* 4: 16-30.

10. Expulſus patria deſcendit Capernaum, ad lacum Tiberiadis, Petrum, & Andream, Jacobum & Johannem ad munus Apoſtolicum vocat, *Matth.* 4: 18-22. *Marc.* 1: 16-20. *Luc.* 5: 1-11. in urbe è viro ſpiritum impurum ejicit, Simonis ſocrum liberat à febri, *Marc.* 1: 21, ſeqq. *Luc.* 4: 33, ſeqq. *Matth.* 8: 14, 15.

11. Poſtero die, ſummo mane, ſecedit in locum deſertum ad fundendas preces, quæſitus à Petro & reliqua multitudine, longiorem apud ipſos moram orantibus, reſpondet, aliis quoque opidis Evangelium annunciandum; ideo Galilæam peragrans regnum Dei prædicat, ægrotos ſanat, & inter hos virum lepra percuſſum, *Matth.* 4: 23-25. & *c.* 8: 2-4. *Marc.* 1: 39. *Luc.* 4: 44. Capernaumi paralyticum, *Matth.* 9: 1-8. *Marc.* 2: 1-12. *Luc.* 5: 17-26. inde redit ad mare Galilææ, populum ſecutum docet, Matthæum Levin ad ſe vocat, *Matth.* 9: 9. *Marc.* 2: 13, 14. *Luc.* 5: 27, 28.

12. *Secundi paſchatis* argumentum eſt Sabbatum δευτερόπρωτον, *Luc.* 6: 1. Sabbatum primum novi anni à menſe Niſan inchoati *Uſſerio*: ſicut Sabbatum primum anni civilis in menſe Tiſri πρωτόπρωτον vocari potuiſſe, *Capell.* & *Cloppenb.* monent.

13. *Scaliger.* & *Lightfoot.* ſolenni paſchatis ſabbato proxime poſtponunt, appellatum quaſi ἀπὸ τῆς δευτέρας πρῶτον, à craſtino paſchatis primum ſabbatum in computo pentecoſtes: uti Rabbini primum hebdomadale ſabbatum poſt ſabbatum ſolenne vocent שבת ראשון ממהרת.

14. Itaque Jeſus feſto imminente è Galilæa adſcendit Hieroſolymas, dieque ſabbati ægrotum ad Betheſdam ſanat, graviſſimoque ſermone ſeſe defendit, *Joh.* c. 5. ſabbato primo à ſecunda feſti die numerato per ſegetes ambulat, & diſcipulos, qui fame preſſi ſpicas evulſerant, excuſat, *Luc.* 6: 1-5. *Matth.* 12: 1-8. *Marc.* 2: 23-28.

15. Sabbato alio in Synagoga docet, aridam viri manum reſtituit: unde Phariſæi conſilium de eo

ne-

necando capiunt: quod ſciens Jeſus ſecedit ad mare Galilææ, extra Judææ fines, diſcipulis & innumera multitudine comitatus, *Matth.* 12: 9, ſeqq. *Marc.* 3: 6, ſeqq. *Luc.* 6: 6-11. cum hoſtibus contendere nolens, *Matth.* 12: 16-21. *Eſai.* 42: 2-4.

16. Eodem tempore in monte pernoctavit precans, ortoque die XII. Apoſtolos eligit, *Marc.* 3: 14-19. *Luc.* 6: 12-16. præ inedia in cordis deliquium incidiſſe putatur, *Luc.* 6: 17-19. *Marc.* 3: 20, 21. in monte longum facit de beatitudine, ſenſuque legis &c. ſermonem, *Matth.* 5, 6, 7. *capp.* *Luc.* 6: 20-49. Capernaumi Centurionis Romani ſervum ſanat, *Luc.* 7: 1-10. *Matth.* 8: 5-13. ad portam Naini filium viduæ unicum vitæ reſtituit, *Luc.* 7: 11, ſeqq.

17. Johannes, auditis in carcere Jeſu miraculis, nuncios ad Dominum mittit, qui ſevere vituperat contemtores baptiſmi & concionum ejus, *Luc.* 7: 18, ſeqq. *Matth.* 11: 2, ſeqq. tum apud Simonem Phariſæum epulum ſumens, mulierem peccatis antea adſuetam abſolvit, *Luc.* 7: 36-50. ſingulas urbes & vicos iterum peragrat, regnum Dei annunciat, & à feminis in via victum accipit, *Luc.* 8: 1-3. Dæmoniacum ope Diaboli ſanaſſe arguitur, *Matth.* 12: 22. &c.

18. Signum petentibus aliud non dat niſi Jonæ, *Matth.* 12: 38-45. à matre & fratribus compellatur, *Matth.* 12: 46-50. *Marc.* 3: 31-35. *Luc.* 8: 19-21. eodemque die ſedens ad mare fata Eccleſiæ N. T. per parabolas declarat: ſub veſperam lacum Geneſareti trajicere mandat, *Matth.* 13: 1, ſeqq. *Marc.* 4: 1, ſeqq. *Luc.* 8: 4, ſeqq.

Digitized by Google

19. Interpellatus à Scriba comitem ſe offerente, reſpondit ſibi locum non eſſe, ubi caput reclinet; uni diſcipulo, ſequi juſſo, non dat veniam abeundi ad patrem ſepeliendum; alium, volentem prius domum conſtituere, ineptum ad regnum Dei pronunciat; laſſus in navi obdormiſcit, Dæmones in porcos Gergeſenorum intrare permittit, *Matth.* 8: 19, ſeqq. *Marc.* 4: 36, ſeqq. *Luc.* 9: 57. &c.

20. E Gadareno agro reverſus, cupideque à populo exceptus, prandet Capernaumi apud *Matthæum*; Jairi filiam vita redonat, in via prius mulierem, fluxu ſanguinis laborantem, fimbriæ tactu ſanat: tum duos cæcos; & Dæmoniacum, convicium paſſus rurſum, *Matth.* 9. *Marc.* 5. *Luc.* 8. à Nazaretanis faber audit, *Matth.* 13: 54-58. *Marc.* 6: 1-6. ob meſſem multam, *Matth.* 9: 36-38. Apoſtolos emittit, *Matth.* 10. & ipſe in urbibus docet, *Matth.* 11: 1.

21. Accepto de cæde Johannis nuncio, in locum deſertum urbis Bethſaidæ nave ſecedit, *Matth.* 14: 13. *Marc.* 6: 30-32. *Luc.* 9: 10. populum pedeſtri itinere ſecutum, ſub veſperam quinque panibus & duobus piſciculis ſaturat; ideo Rex ab eo coronandus, in montem ad orandum privatim adſcendit, & orta nocte ſolus agit, *Joh.* 6: 3, ſeqq. *Matth.* 14: 13, ſeqq. *Marc.* 6: 33. ſeqq.

22. Diſcipuli naufragio expoſiti ſervantur à Magiſtro, qui noctis vigilia quarta ſuper mare ambulans ad eos acceſſit, *Matth.* 14: 24, ſeqq. *Joh.* 6: 18-21. Capernaumi in Synagoga orationem habuit de pane vitæ, vſ. 26. ſeqq. paulo ante *paſcha*, vſ. 4.

23. Intra tertium & quartum paſcha decurre-

bat

bat III. miniſterii publici Jeſu Chriſti annus cum initio IV. *Luc.* 13: 7,8. quando interpretes legis & Phariſæos ſimulatæ ſanctitatis accuſavit, filiam fœminæ Phœniciæ à Dæmonio liberavit, infirmos plurimos curavit, Phariſæis ac Sadducæis ſignum aliud præter Jonæ moram in ventre piſcis proponere renuit, *Matth.* 15. *Marc.* 7. & 8.

24. Diſcipulos ſibi à Phariſaico fermento cavere jubet, pro quo habeatur in via interrogat, Petrum reſpondentem Eccleſiæ N. T. doctorem conſtituit, ſimul & adverſarium nominat paſſioni imminenti intercedere volentem, *Matth.* 16. *Marc.* 8. *Luc.* 9.

25. In monte transfiguratur, Johannem B. fuiſſe Eliam declarat; deſcendens puerum lunaricum ſanat; paſſionem ſuam denuo prædicit; dimidium ſiclum, in uſum templi collectum, pro ſe & Petro ſolvit, *Matth.* 17. *Marc.* 9. *Luc.* 9. ſub feſtum tabernaculorum in Judæam ire tardat, clam poſt inſecutus, *Joh.* 7: 1-10. vici Samaritani incolas ob negatum hoſpitium igne conſumi non vult, *Luc.* 9: 52. 56.

26. LXX diſcipulos ad prædicandum Evangelium ſanandoſque ægros ablegat, *Luc.* 10: 1, ſeqq. feſto jam medio docet in templo; in fine ejus propinat aquas vitæ æternæ; prehendendus à lictoribus defenditur à Nicodemo, ſed pernoctat in monte olearum, *Joh.* 7: 11, ſeqq.

27. Orto diluculo in templo iterum docet; adulteram damnare non vult; lumen mundi ſe eſſe occaſione exorti ſolis teſtatur, *Joh.* 8: 1, ſeqq. hominem à natalibus cæcum die ſabbati viſu donat, Phariſæis præſentibus, bonum ſe eſſe paſto-

 rem,

rem, & ovilis oſtium, declarat, *Joh.* 9. & 10.

28. Interea LXX. diſcipuli redeunt elati gaudio, quod ſpiritus maligni iis ſubfuiſſent; ſed jubentur à Chriſto lætari nominibus in cœlis ſcriptis, *Luc.* 10:17, ſeqq. Doctor legis, propriæ juſtitiæ opinione turgidus, eruditur de homine nobis proximo, vſ. 25, ſeqq Martha Jeſum domi ex itinere exceptum ſollicito miniſterio curat, vſ. 38, ſeqq.

29. Chriſtus cum Phariſæo prandet, ſectæque mores depingit, præceptum de cavendo Phariſæorum fermento, privatim diſcipulis olim datum, publice nunc repetit, *Luc.* 11. & 12. litem inter fratres hereditatis cauſſa ortam decidere non vult, *Luc.* 12: 13, ſeqq. occaſione cædis à Pilato in Galilæa patratæ Judæos ad agendam reſipiſcentiam hortatur, afferens parabolam extirpandæ brevi ficus, *Luc.* 13:1-9.

30. Sabbato in Synagoga docens mulierem ab infirmitate liberat, vſ. 10-13. Eccleſiam N. T. grano ſinapis & fermento confert, vſ. 14-21. Atque hæc ſpatio bimeſtri contigere: jam imminente Encæniorum feſto, quod XXV. Nov. celebrari ſolebat, Dominus Hieroſolymas tendit, *Joh.* 10: 22. *Luc.* 13: 22. in via reſpondet ad quæſtionem, an pauci ſerventur? vſ. 23-30.

31. Eo ipſo die Phariſæorum aliqui migrationem è Galilæa Domino ſuadent ob Herodis inſidias; ſed reſpondet Jeſus, ſe brevi adhuc tempore munus continuaturum, donec id Hieroſolymis trucidandus abſolvat, *Luc.* 13: 31-35. Sabbato cœnans apud Phariſæorum principem, Hydropicum ſanat, accubitus primi cupiditatem improbat, pauperes ad epulum invitandos monet, parabolam de cœna

magna

Digitized by Google

magna ab invitatis hoſpitibus contemta proponit, *Luc.* 14:1, ſeqq.

32. Turbam comitantem docet, omnia amori Chriſti poſthabenda, Phariſæis & Scribis parabolam ovis & drachmæ perditæ, filiique prodigi narrat, vſ. 25-35. & c. 15. Phariſæorum avaritiam taxat parabola diſpenſatoris iniqui; opinionem propriæ juſtitiæ damnat; fatum Lazari divitiſque epulonis defuncti memorat; offenſas retinere vetat; diſcipulis fidei incrementum orantibus, fidei virtutem, noſtrorumque ſervitiorum inutilitatem, ſignificat; decem leproſos ſanat, quorum unus, Samaritanus, redit ad agendas gratias, *Luc.* 16. & 17.

33. Interrogatus à Phariſæis de tempore adventus regni Dei, modum & ſigna illius docet, conſtantiam in precibus, exemplo viduæ Judicem iniquum jugi oratione fatigantis, & modeſtiam animi ad tribunal Dei ſiſtendi, parabola publicani & Phariſæi commendat, *Luc.* 17:20-37. & *c.* 18.

34. Dum celebrantur encænia, cinctus à Judæis urgetur, ut aperte fateatur, num ſit Meſſias? provocat ergo ad opera ſua, addens, ipſos non credere, quia non ſint ex ovibus Chriſti, *Joh.* 10:22-30. & lapidibus petitus, demonſtrat, ſe Deo non dixiſſe convicium, nominando Deum Patrem ſuum; ſed quum ipſi rurſum manus injicerent, incolumis in Galilæam elabitur.

35. E Galilæa in Judæam redit, ubi à Phariſæis tentatur quæſtione de jure divortii; puerulis oblatis manum imponit; legis ſtudioſum, divitiis deditum, bona inter pauperes diſtribuere jubet, *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. Eccleſiam N. T. vineæ comparat, *Matth.* 20:1-16.

Digitized by Google

36. Bethaniæ Lazarum, Marthæ & Mariæ fratrem, quarto à ſepultura die, in vitam reſtituit: quibus ſignis inviſior factus, necique deſtinatus, non audet porro libere inter Judæos verſari, ſed in opidum Ephraim deſerto vicinum abit, *Joh* c. 11.

37. Verum ob paſcha propinquum ex Ephremo remeare cito oportuit. Itaque Jeſus, ſolis XII. Apoſtolis comitatus, Hieroſolyma adſcendit, & pavidis mala Filio hominis ibi toleranda denuo prænunciat, *Joh.* 11: 55. *Matth.* 20: 17-19. *Marc.* 10: 32-34. *Luc.* 18: 31-34.

38. Tunc Zebedæi filii, primas in regno cœlorum per matrem petentes, jubentur ſe parare ad ferendas adverſitates, omneſque diſcipuli ſtudere modeſtiæ, Magiſtri exemplo, *Matth.* 20: 20-28. *Marc.* 10: 35-45. per Hierichuntem tranſiens, extra urbem duobus cœcis, quorum unus nominabatur Bartimæus, viſum reddit, *Matth.* 20: 29, ſeqq. *Marc.* 10: 46-52. *Luc.* 18: 35, ſeqq. apud Zacchæum publicanorum præfectum divertit, *Luc.* 19: 1-10.

39. Mox iter continuans, parabolam de viro nobili in regionem longinquam proficiſcente, deque ſervis probis & improbis, narrat, vſ. 11-27. diſcipulos Hieroſolymas tendens præit, ſextoque ante paſcha die (pridie dominicæ palmarum) venit Bethaniam, ubi cum Lazaro cœnat in domo Simonis quondam leproſi, ſecta Phariſæi; & à Maria Lazari ſorore unguento pretioſo inungitur, Juda invito, *Joh.* 12: 18. *Matth.* 26: 12, 13. *Marc.* 14: 3-9. Bethaniam turba multa ad ſpectandum Lazarum confluente.

40. Hinc

40. Hinc denuo Sacerdotum principes de necando Jeſu conſultant, quia haud pauci propter Lazarum in Eo fiduciam ponebant, *Joh.* 12: 9-11. poſtera die, Dominica palmarum, pullo aſinino inſidens Dominus, inter fauſtas populi acclamationes, Hieroſolymam intrat, & urbi adpropinquans, ob imminens ejus excidium lacrymatur, *Matth.* 21. *Marc.* 11. *Joh.* 12: 12-19. *Luc.* 19: 41-44.

41. In templo menſas numulariorum, & columbas vendentium ſubvertit; cœcos & claudos ſanat, puerosque fauſta Filio Davidis acclamantes defendit, *Matth.* 21: 12-16. *Marc.* 11: 11-18. *Luc.* 19: 45-48. Græcis, Jeſum videre cupientibus, concionatur de grano frumenti morituro; Patris invocati vocem à cœlo audit; auditores in luce ambulare, ſibique ceu Patris legato credere jubet, *Joh.* 12: 20. &c.

42. Sub veſperam cum XII. Apoſtolis urbe egreſſus Bethaniæ pernoctatur; mane quinti diei ante paſcha, Hieroſolymam revertens, eſurit, ficumque fructibus carentem execratur; mane diei quartæ diſcipulos, arefactam ficum mirantes, de virtute fidei inſtituit, *Matth.* 21: 17, ſeqq. *Marc.* 11: 11, ſeqq. Scribas & Senatores de baptiſmo Johannis interrogat, *Matth.* 21: 23-27. *Marc.* 11: 27-33. *Luc.* 20: 1-10.

43. Silentibns applicat parabolam duorum filiorum, quorum unus obedientiam patri promiſit quidem, ſed non præſtitit; alter præſtitit, at non promiſit: item parabolam agricolarum, heredem vineæ occidentium, aliamque de nuptiis filii regii, *Matth.*

21 : 28, ſeqq. & 22 : 1-14. *Marc.* 12 : 1-12. *Luc.* 20 : 9-18. tentatur quæſtione de cenſu Cæſari dando; de mortuorum reſurrectione; de maximo legis mandato, *ibid.*

44. Congregatos Phariſæos de Meſſia Davidis filio Dominoque percontatur; cum Interpretibus legis execratur, *Matth.* 22. & 23. *Marc.* 12 : 38-40. *Luc.* 20: 44-47. contra ærarium ſacrum ſedens, viduæ ſtipem divitum muneribus præfert, *Marc.* 12 : 41, ſeqq. *Luc.* 21: 1, ſeqq.

45. Noctem proximam in monte olivarum tranſigit; excidium templi & urbis, ſigna id præcedentia & fata conſequentia, prædicit; parabolam X. virginum proponit; Judicium ultimum deſcribit, *Matth.* 24. & 25. Hæc tertio ante paſcha die acciderunt.

46. Hac ipſa hebdomade (diem definire non licet) Judas Mariam quæ Jeſum unxerat, defenſam indignatus, & Satanæ plenus prodere Magiſtrum ſtatuit, & cum Pontificibus templique præfectis de pretio flagitii paciſcitur, *Matth.* 26 : 14-16. *Joh.* 13 : 2. *Luc.* 22 : 3-6. *Marc.* 14 : 10, 11.

CAPUT IV.

De Meſſiæ paſſione.

1. QUartum paſcha attulit Domino finem ſervilis vitæ in hac terra per mortem crucis: ubi obſerva א. quid fecerit Jeſus proxime ante paſſionem. ב. quid ſit paſſus ante quam in hoſtium venit poteſtatem. ג. quid mali pertulerit traditus hoſtibus.

2. Nempe

2. Nempe feſto intra biduum imminente, hebdomadis magnæ feria quarta, Jeſus denuo monuit diſcipulos, ſe in crucem iri ſuſpenſum, *Matth.* 26: 2. *Marc.* 14: 1. & feria quinta, vel azymorum die primo, cum XII. Apoſtolis nocte paſcha comedit; pedes eorum lavat; Judam proditorem declarat in cœna paſchali; ſacram cœnam inſtituit; diſcipulos longo ſermone hortatur ſolaturque, ac pro iis & omnibus Dei heredibus preces ad Patrem fundit, *Joh.* 13-17. capp. *Matth.* 26. *Marc.* 14. finitoque epulo hymnum canit.

3. Hieroſolymis egrediens diſcipulorum fugam Petrique abnegationem prædicit, torrentemque Cedron tranſgreſſus per vicum Gethſemane ad montem olivarum venit: in quo cœpit ſummam ſentire triſtitiam & anxietatem, quæ à deſperatione plurimum differunt. Petro, Johanne & Jacobo comitibus aſſumtis, projectus humi ſeorſim, ter orat tanti mali veniam, tamen Patris cœleſtis voluntati ſeſe ſubmittens, *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. Conf. *Hebr.* 5: 7. *Pſ.* 22: 3. & 69: 2. mox ab Angelo firmatus, *Luc.* 22: 43.

4. Interea tres Apoſtoli dormivere; ſed jubentur à Domino vigilare, & tendere in occurſum proditoris, cum armatis militibus & Synedrii miniſtris adpropinquantis, & ſine mora Jeſum lumine laternarum & facum à comitibus diſcretum oſculantis, *Matth.* 26: 47. *Marc.* 14: 43. *Joh.* 18: 3, ſeqq.

5. Ad Domini reſponſum, ſe eſſe quem quærant, humi cadunt; & poſtquam Servator libertati diſcipulorum conſuluiſſet, comprehendi ſe ſinit ligarique: & Malchum Pontificis ſervum, cui Petrus auricu-

auriculam abſciderat, ſanat, *Matth.* 26 : 51. *Marc.* 14 : 47. *Luc.* 22 : 52, ſeqq.

6. Chriſto capto diſcipuli omnes, præter Petrum ac Johannem, fugiunt, *Matth.* 26 : 56. *Marc.* 14 : 50. *Zach.* 13 : 7. uti & juvenis ſindone indutus, *Marc.* 14 : 51, 52. ita vinctus Jeſus ducitur ad Annam Caiphæ ſocerum; mox ad Caipham ipſum, *Joh.* 18 : 13, 24. in cujus ædibus Senatus convenerat; rogatuſque de doctrina & diſcipulis, ubi reſpondiſſet, publice docuiſſe ſe, ideo interrogandos auditores, à ſervo alapa cæditur, *Joh.* 18 : 19-24. quæſiti & falſi teſtes, *Matth.* 26 : 59-61. *Marc.* 14 : 55.

7. Dominus nihil iis regerens, cum adjuratione interrogatur à Caipha : ſit ne Chriſtus Filius ille Dei, nec ne ? id graviter Jeſus affirmat ; quare à ſummo Pontifice dicti Deo convicii poſtulatur, & unanimi ſenatus judicio morte damnatur ; à nebulonibus poſtea conſputus facie velatuſque, alapis & colaphis cæſus, & à quibus vapulet, divinare juſſus, *Matth.* 26 : 64. *Marc.* 14 : 62. ſeqq.

8. Interea Petrus, Jeſum de longinquo ſecutus in Caiphæ aulam, & nunc ſtans, nunc ſedens ad ignem : & duabus ancillis famuloque Malchi cognato dicentibus, ipſum adhæſiſſe Jeſu Galilæo, Præceptorem ter abnegat. tum Gallus altera vice cantavit, & Chriſtus, ex conclavi interiore in atrium ductus, Petrum reſpicit, qui veſtibulo egreſſus amare flet, *Matth.* 26 : 69, ſeqq. *Marc.* 14 : 72. *Luc.* 22 : 61.

9. Hæc nocte contigerunt. Mane congregato Senatu, repetunt inquiſitionem, & Jeſum denuo affirmantem, quod ſit Meſſias ac Dei Filius, Pilato

Digitized by Google

eſſe tradendum judicant, *Luc.* 22: 66-71. itaque ſurgunt, & è Cajaphæ palatio vinctum ducunt in prætorium, quod tamen velut domum hominis gentilis non intrant, ne paſcha comeſuri polluerentur, *Luc.* 23: 1. *Joh.* 18: 28. unde Pilatus ad eos egredi neceſſe habuit; cui ab initio irreverenter reſpondentes, mox Jeſum rebellionis contra Cæſarem, regnique affectati inſimulant.

10. Pilatoque, ipſis poteſtatem facienti Jeſum puniendi, regerunt: *nobis non licet quenquam occidere*; tum redit in prætorium, & quærit è Jeſu, num ſit Rex Judæorum? Is regnum ſuum non ejus eſſe indolis ſignificat, cujus ſint regna hujus mundi; tamen Regem ſe eſſe aſſeverat, *Joh.* 18: 29, ſeqq. *Luc.* 23: 2, ſeqq. à Romano Procuratore propterea excuſandus ab omni culpa, *Matth.* 27: 12. *Marc.* 15: 3.

11. Summi autem Pontifices ac Senatores accuſationi vehementer inſtiterunt, ut Pilatus Jeſum monuerit, nihilne adverſus ea reſponderet? ſed Dominus neque Judæis, neque Romano Judici quicquam regeſſit. tum populum à Galilæa uſque ad Judæam concitaſſe arguitur, mittendus ideo ad Herodem Tetrarcham, tum feſti gratia Hieroſolymis agentem, ſed remittendus cum contemtu.

12. Romanus igitur Præſes Senatui populoque Judaico convocato indicat, Jeſum neque ſuo neque Herodis judicio facinus morte dignum commiſiſſe, eaque de cauſſa ſufficere, ſi virgis cæſus dimittatur: ſed Barrabam latronem petunt abſolvi, & Chriſtum cruci affigi.

13. Pilatus turbæ inſanum clamanti cedendum ratus,

ratus, Jeſum nudatum & columnæ adſtrictum flagellari præcipit; flagellato milites coronam è ſpinis contextam imponunt, pallium purpureum induunt, arundinem pro ſceptro dant, verbera impingunt, faciem conſpuunt, *Ave Rex Judæorum* ſubmiſſis genibus acclamantes: Pilato rurſum innocentem Eum pronunciante.

14. Hoſtes allegant inſuper: Dei ſe Filium dixiſſe. inde vehementer pavefactus Pilatus ſtatuit in Jeſu originem inquirere: atque tacentem Dominum interrogat, an reſponſo non dignetur habentem poteſtatem ſive abſolvendi ipſum, ſive ad crucem condemnandi? illam agnoſcit quidem Servator, at de cœlo datam monet, ut minor ejus ſit culpa delicto Judæorum.

15. Tandem expugnatur metu amittendæ Cæſaris amicitiæ (antea licet ab uxore admonitus, ne quid ſibi cum illo juſto negotii intercedat) & pro tribunali ſedens, manibus aqua coram turba ablutis, Barrabam dimittens, Jeſum cruci affigendum tradit, innoxium ſe temere præſumens.

16. Itaque Liberator è prætorio per urbem, & ex ea ad Calvariæ uſque montem deducitur, ſuam ipſe bajulans crucem, niſi quod poſt Simon Cyrenæus ad eam portandam coactus eſt: multis è populo ſecutis, ac Domini ſortem deplorantibus; in ſupplicii loco vinum myrrhatum cum felle mixtum bibere noluit, plenus mente ſe Patri victimam oblaturus.

17. Statim de cruce nudus ſuſpenditur, & medius inter duos latrones, hora ſexta, vel circa meridiem, cauſſa pœnæ in tabella adſcripta, veſtibus

inter

inter milites diviſis; de cruce pendens orat pro inimicis, matrem commendat Johanni, ſannis excipitur, reſipiſcentem latronem paradiſo ſolatur, per tres horas meram Dei iram ſentit, ſitiens aceto recreatur, omnia conſummata teſtatur, Patri Spiritum commendat, pieque moritur angore oppreſſus, *Pſ.* 22 : 11. & 31 : 11. & 38 : 8.

18. Interim ab hora ſexta ad nonam orbis contegitur ſpiſſis tenebris; poſt obitum Jeſu ſcinditur velum templi, adytum à ſancto ſeparans, terra movetur, petræ diſrumpuntur, monumenta aperiuntur: quibus prodigiis commoti Centurio, & reliqui crucis cuſtodes, Jeſum eſſe hominem juſtum, Deique Filium, crediderunt; alii pectora tundentes domum cum indignatione & ſtupore redierunt.

19. Judæi tantum ob inſtans Sabbatum rogarunt Pilatum, ſuſpenſorum crura frangi, & cadavera ante feſtum de cruce tolli; ſed crura Chriſti, quia jam obierat, milites non confregerunt, unus autem ex iis lancea perfodit latus, unde ſanguis & aqua exiit.

20. Sub veſperam, ante principium Sabbati, Joſephus Senator, vir dives & probus, occultus Jeſu diſcipulus, à Pilato cadaver Domini exorat, & lotum, unctum, mundæque ſindoni involutum, Nicodemo adjuvante, ſepelit, mulieribus piis ſedentibus contra ſepulcrum, quod poſtero die Principes ſacerdotum & Phariſæi, cuſtodibus appoſitis, Pilati permiſſu, obſignarunt, *Matth.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Joh.* 19.

21. In Symbolo, uti nominatur, Apoſtolico, poſt

Digitized by Google

poſt ſepulturam Chriſti memoratur *deſcenſus ad inferos*, per quem tamen Veteres ipſam ſepulturam, & in ſepulcro moram intellexerunt: errore poſtea, forte è margine codicis MS. *deſcenſus ad inferos*, ſepulturæ fuit additus; quod Thomam Aquinatem primo feciſſe putavit *Eraſm.* apud *Voſſ.*

22. Infimæ terræ partes, *Eph.* 4:9. & שאול ἅδης, *Pſ.* 16:10. ſepulcrum notant: nihilominus Romana Eccleſia credit, animam Chriſti revera ad inferos deſcendiſſe, ut Patres ſanctos, antea defunctos, inde liberaret, cui errori veterum plures præluſerunt. *Gregor.* M. *Thomas Aquinas*, alii.

23. Verum anima Chriſti poſt obitum quievit beate in paradiſo, *Luc.* 23:43. & vincti, ſanguine teſtamenti è fovea aquis carente liberati, ſunt patres V. T. gementes ſub onere legis peccata exprobrantis, *Zach.* 9:11. dimiſſi, quando Jeſus fuſo ſanguine fontem ſalutis aperuit, *Zach.* 13:1.

24. In ſepulcro hæſit Jeſus τρισὶ νυχθημέροις, tribus diebus civilibus, quatenus pars diei pro toto ſolet accipi. *Coccej.* inchoat à veſpera cœnæ, ac finit cum hora matutina, qua reſurrexit. Jacob. *Alting.* putat, neque Jonam tria ſolida νυχθήμερα in ventre ceti latuiſſe.

CAPUT V.

De Meſſiæ reſurrectione, & in cœlum adſcenſione.

1. RESurrexit Dominus à mortuis die hebdomadis primo, ſole vix orto, & tenebris nocturnis nondum depulſis, terra vehementer

Digitized by Google

ter commota, ad terrorem cuſtodum, & lapide monumenti per Angelum devoluto, *Matth.* 28: 1. *Marc.* 16: 1. *Luc.* 24: 1. *Joh.* 20: 1, ſeqq. ut temere fingatur, Jeſum clauſo ſepulcro exiiſſe.

2. Pater enim Judex Filium ſervum, noſtrumque ſponſorem, poſtquam juſtitiæ divinæ feciſſet ſatis, è carcere liberavit, & per miſſum de cœlo Angelum ab omni obligatione abſolvit, *Act.* 2: 24. 32. 1 *Tim.* 3: 16. *Rom.* 8: 11. *Epheſ.* 1: 19, 20. *Act.* 5: 30, 31. etiam Filius in ſepulcro detentus Patrem enixiſſime oravit, ut ne ipſum perpetua morte afficeret, ſed in vitam reſtitueret, *Pſ.* 16: 10, 11. & 21: 5. *Pſ.* 69: 15-17. *Pſ.* 22: 21, 22.

3. Sua tamen virtute à mortuis reſurrexit, *Joh.* 2: 19. & 10: 18. *Rom.* 1: 4. quatenus Patris virtus omnipotens, qua eum ſuſcitavit, eſt virtus Filii, Socinianis id male negantibus. *Ego & Pater unum ſumus.*

4. Teſtes reſurrectionis Chriſti ſunt partim *mulieres piæ*, quæ aromata emta ferentes ad ungendum Domini cadaver, ſummo mane exierunt, & ſepulcrum vacuum invenerunt: partim *Angelus Dei*, qui ſuper amotum monumenti lapidem ſedens, ad fœminas Jeſum quærentes dixit: *non eſt hic, nam ſurrexit:* licet improbi milites pecunia corrupti, corpus Jeſu à diſcipulis nocte ſurreptum, falſo rumore vulgarent, *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24.

5. Quin Jeſus vivus Mariæ Magdalenæ, ablatum Domini corpus deflenti, adparuit: mox aliis fœminis, Petro, diſcipulis Emmaunticis, & ſub veſperam diei dominicæ Apoſtolis, Judæorum metu

Digitized by Google

in clauſa domo congregatis; octavo poſt die etiam Thomæ prius abſenti; quingentis item fratribus, præter Jacobum, *Matth.* 28: 8-10. *Joh.* 20: 14, ſeqq. *Luc.* 24: 13-31. *Marc.* 16: 12, ſeqq. 1 *Cor.* 15: 5-7.

6. Hæ apparitiones contigere Hieroſolymis, ubi Apoſtolos timor ſubſiſtere coëgit incluſos conclavi, etſi Dominus, in Galilæam præirent, iis mandaverat: tandem autem profecti in Galilæam ſunt, ad montem à Domino deſignatum; jubenturque in toto mundo Patri, Filio & Spiritui S. facere diſcipulos, immerſione in aquas, *Matth.* 28: 7, ſeqq. ad mare quoque Galilææ Jeſus Apoſtolis adparuit, Petro piſcante, qui inter prandium ter interrogatur, an diligat Dominum, & affirmans ter geminum de paſcendis Ejus ovibus mandatum accipit, *Joh.* 21.

7. Paulo ante abitum ex hac terra, convocatos Apoſtolos Jeſus hortatur, ut Hieroſolymis morentur uſque ad acceptum Spiritum S. & rogatus de tempore reſtituendi Iſraëlis regni, vetat in opportuna tempora inquirere, promiſſionem Spiritus S. & præceptum nomini Jeſu Chriſti in orbe univerſo teſtimonium dandi repetens, *Luc.* 24: 47-49. *Act.* 1: 4. 8.

8. Exactis denique XL. diebus, *Act.* 1: 3. quibus in terra reſtitit, ſuſcitatus à mortuis, adſcendit in cœlum, expleturus & vaticinia V. T. *Pſ.* 47: 6. & 68: 19. & typum Pontificis Maximi, ſemel quotannis in ſacrarium ingredientis, *Exod.* 30: 10. *Levit.* 16: 2. *Hebr.* 9: 7, ſeqq.

9. Tum enim diſcipulos Hieroſolymis eduxit ad Bethphages & Bethaniæ confinium, duorum oli-

veti

Digitized by Google

veti tractuum, Sabbatico itinere, aut 1000. paſſibus ab urbe diſtans, *Luc.* 24 : 50. *Act.* 1: 12. *Marc.* 11: 1. ubi & antea Hieroſolymas ingreſſurus aſinum conſcenderat: quo cum perveniſſet, ſublatis manibus, ſupremum iis dixit vale, atque inter tenera vota à dilectis comitibus ſuis diſceſſit, *Luc.* 24 : 50, 51.

10. Nempe Dominus ſublatus à nube, *Act.* 1 : 19. ceu curru triumphali, medios pertranſiit cœlos, *Hebr.* 4 : 14. & 7 : 26. *Eph.* 4 : 10. intravitque in ſupremum. *Joh.* 16 : 28. beatum illud glorioſumque Patris domicilium, *Joh.* 14 : 2. quod & prius incoluerat, *Joh.* 3 : 13. *Eph.* 4: 10. neque modo diſparuit viſui ſubductus, uti vellent qui rentur, corpus Chriſti adhuc eſſe in terra.

11. Ita recuperavit in cœlo gloriam divinam, quam prius ibi habuit, *Joh.* 17 : 5. & 6 : 62. & *Joh.* 3 : 31. naturamque humanam ſecum in cœlum intulit, ſecundum quam prius ibi nondum fuit, & jam in terra non amplius eſt, *Matth.* 26 : 11. *Act.* 1 : 9. *Joh.* 16 : 5. 7. 28.

12. Abeuntem Dominum ſpectarunt XI. Apoſtoli & adorarunt, *Act.* 1 : 9, 10. 13. *Luc.* 24 : 52. ſed Patres, qui ante ipſius adventum obierint, è limbo liberatos, habuiſſe comites, uti Romana credit Eccleſia, error eſt, licet antiquus.

13. *Captivitas* à Chriſto in cœlum evecto *captiva ducta*, *Pſ.* 68 : 19. *Eph* 4 : 8. non ſunt Patres è limbo extracti, ſed homines omnes è poteſtate Satanæ vindicati, quos uſque huc tenebat captivos, Jeſus autem ceu ſpolia hoſti ademit, *Eſai.* 49: 24, 25. *Matth.* 12: 29. malo enim שבי *αἰχμαλωσίαν* interpretari *multitudinem captivorum*, ut *Num.* 31 :

12. quam ipſos hoſtes, qui nos antea captivos detinebant.

14. Quin tempore promiſſionis Enochus, *Gen.* 5 : 24. *Hebr.* 11 : 5. & tempore V. T. Elias, 2 *Reg.* 2 : 11. vivi ſunt in cœlum ſuſcepti, ut credentibus vitæ melioris ſpes confirmaretur.

15. Sed Mariam, Jeſu matrem, corpore ſimul & anima fuiſſe in cœlum aſſumtam, *Uſuardi* & *Nicephori* ſomnium eſt, Scripturæ & puriori Antiquitati ignotum: etſi feſtum *aſſumptionis* B. Virginis concelebrare Eccleſia Caroli M. ætate cœperit. *Hildephonſus* certe Archi-Epiſcopus Toletanus, ſeculi VII. auctor valde ſuperſtitioſus, nonniſi animam Mariæ in cœlum introductam laudibus celebrat.

16. Debuit autem Chriſtus in cœlum adſcendere, ut confecto præſtandæ Patri obedientiæ curriculo, viciſſim promiſſa gloria potiretur, *Luc.* 24: 26. *Philip.* 2 : 8, 9. *Joh.* 17 : 4, 5. *Pſ.* 47 : 5.

17. Hinc cœlum ingreſſus Patris juſſu ad ipſius dexteram conſedit, *Pſ.* 110 : 1. *Eph.* 1 : 20, 21. *Joh.* 5 : 17. 1 *Petr.* 3 : 22. ſive in regenda Eccleſia factus eſt Patris vicarius: quæ vicaria Chriſti poteſtas & dignitas in fine mundi finienda, ab æterno ejus regno differt, *Apoc.* 3 : 21. 1 *Cor.* 15 : 24.

18. Nam quia Filius ad declarandam Patris gloriam, in terris occultavit ſuam, ideo Pater Filio dedit auctoritatem, ſuas in Eccleſia vices obeundi, quam tamen Filius accipere non potuiſſet, niſi Deus ſummus & Rex æternus eſſet, *Joh.* 5 : 22, 23. *Matth.* 28 : 18. *Eſai* 42 : 8.

19. Uti vero Chriſtus in cœlum evectus, glo-

ria

tia & honore eſt decoratus: ita ad populum hujus Regis multa & magna ex ipſius adſcenſione redundant beneficia, *Joh.* 16:7. Eſt enim profectus, ut nobis in cœlo locum pararet, *Joh.* 14:2, 3. *Eph.* 2:6. petens à Patre admiſſionem peculii redemti ad cœleſtem beatitudinem & gloriam, *Joh.* 17:24.

20. Et in genere, ut Patrem pro nobis oraret omnia, quibus ad ſalutem adipiſcendam opus habemus, *Hebr.* 9:24. *Rom.* 8:34. deinde ut Spiritum S. nobis mitteret à Patre, *Joh.* 14:16. & 16:7. *Pſ.* 68:19. quam promiſſionem in primis fecit Apoſtolis ante abitum ſuum, & præſtitit Hieroſolymis decimo die, à quo in cœlum adſcendit, *Luc.* 24:49. *Act.* 1:4, 5.

CAPUT VI.

De Meſſiæ ſtatu humili & glorioſo.

1. ANtequam Jeſus in gloriam reciperetur apud Patrem, humili primum contemtoque verſabatur in ſtatu, quem Paulus concludit κενώσει *exinanitione*, & ταπεινώσει *depreſſione ſui*, aut ſubmiſſione, ad uſque mortem crucis, *Philip.* 2:7, 8.

2. *Exinanitio* eſt occultatio divinæ majeſtatis & gloriæ ſub velo carnis imbecillæ, *Hebr.* 10:20. 2 *Cor.* 8:9. non ipſa humanæ naturæ aſſumtio: nam & in glorioſo ſtatu Jeſus manet homo, ultimoque die apparebit in carne tanto gloriæ excellentiſſimæ lumine perfuſa, ut vel ipſi homines impii ſint Eum Dei Filium agnituri, *Apoc.* 1:7. & confeſſuri, licet inviti.

3. At moratus in terra ſplendorem divinitatis

Digitized by Google

occultavit, nec niſi pauculos illius radios exeruit, quibus viſis diſcipuli gloriam Filii Patri unici animadverterent, *Joh.* 1: 18. & 2: 11. dum cætera turba merum eſſe hominem crederet, & contemta vilique Jeſu forma offenderetur, *Eſai.* 53: 3.

4. Carnem habuit naturæ defectibus, nullis tamen vitioſis, obnoxiam, carnique peccati ſimillimam, quæ fatigata, fracta & minuta, cibo, potu, ſomno & requie foveri & recreari debebat.

5. Pariter anima Jeſu commovebatur humanis affectibus, quanquam ſine peccato, triſtitia, *Luc.* 19: 41. *Joh.* 11: 35. indignatione, *Matth.* 9: 30. deſiderio, *Luc.* 22: 15. amore, *Joh.* 11: 3. 5. & 13: 23. quales in beata vita ceſſabunt. *Conf. Joh.* 11: 33. & 13: 21.

6. Ταπείνωσις *depresſio*, vel ſubmiſſio Chriſti, conſiſtit in eo, quod cum eſſet verus Deus, & Patri æqualis, *Philip.* 2: 6. tamen voluit fieri Patris ſervus, *Philip.* 2: 7. *Pſ.* 40: 7. *Eſai.* 42: 1. non ſolum Patre, *Joh.* 14: 28. ſed & Angelis minor, *Pſ.* 8: 6. *Hebr.* 2: 7. ac ſervus Dominorum, *Eſai.* 49: 7. Judaici populi præfectorum, utpote qui in cathedra Moſis ſedebant, *Matth.* 23: 2.

7. Nam א. Patri ipſum in carne ad homines miſſuro ſponte annuit, & naturæ divinæ voluit conjungere humanam, qua nec indigebat, nec perfici poterat. ב. promiſit, ſe & legem de amore Dei hominiſque proximi, & cætera præcepta omnia ſervaturum, quod & in tempore accuratiſſime præſtitit.

8. ג. Summum Patris amorem teſtatus eſt [illegible]-ctiſſimo iræ divinæ ob peccata noſtra ſenſu, tole-

rantia

rantia conſtanti plurimorum malorum, & præſertim mortis crudeliſſimæ & ignominioſiſſimæ. 3 atque ampliſſima hac & perfectiſſima obedientia fratribus ſuis, Dei heredibus, condonationem peccatorum & jus vitæ æternæ meruit.

9. Propterea quoque à Patre eſt pronunciatus juſtus, *Eſai.* 50 : 8, 9. 1 *Tim.* 3 : 16. abſolutus ab omni obligatione, *Hebr.* 2 : 10. & 5 : 9. & ornatus jure petendi promiſſam ſibi mercedem, & de humili ſtatu collocatus in excelſum gloriæ faſtigium, *Philip.* 2 : 9. *Eſai.* 52 : 13.

10. Deus Pater Filium renunciavit juſtum, & ab omni onere impoſito abſolvit, quando eum ex carcere ſepulcri eductum, *Rom.* 4 : 25. & 8 : 34. paulo poſt in cœlum introduxit : emiſſo enim debitore ex captivitate, patet, Creditori factum eſſe ſatis.

11. Exaltatus eſt Chriſtus totus, vel ratione utriuſque naturæ ; factus à Deo Dominus & Chriſtus ; talis ſolenniter declaratus, & in orbe univerſo renunciatus, donatus nomine omnibus nominibus præſtantiore, collocatus ad dexteram Dei, *Act.* 2 : 36. *Philip.* 2 : 9-11. *Pſ.* 8 : 7. & 21 : 6. *Eph.* 1 : 20. 22.

12. Divina quidem natura nullum potuit accipere incrementum, vel complementum : tamen antea latuit, jam inter omnes deprædicatur ; antea ſpiritibus malignis, & ægris ſanatis interdicebatur, Jeſum fateri Filium Dei, aut miracula ejus vulgare, *Matth.* 8 : 4. & 12 : 16.

13. Diſcipulis mandabatur, gloriam Domini in monte viſam reticere, *Matth.* 17 : 9. jam occulta reteguntur, dicta in tenebris annunciantur in luce,

Digitized by Google

clam audita memorantur in ædibus & compitis, *Matth.* 10 : 26, 27. ut nomen Jehovæ ſit glorioſum in tota terra, *Pſ.* 8 : 1.

14. Corpus Jeſu Chriſti fuit vitæ reſtitutum, & immortalitate præditum, *Pſ.* 16 : 9-11. & 21 : 5. *Rom.* 6 : 9. ut ſit corpus gloriæ, *Philip.* 3 : 21. liberum à defectibus, mutatis qualitatibus, retenta natura : in cœlo evectum ad gradus gloriæ altiores, cibi, potus & vulnerum cicatricumque expers; ſed quo ſe diſcipulis probaret, in terra epulis eorum interfuit, & vulnera ac cicatrices iis monſtravit, *Luc.* 24. *Joh.* 20.

15. Anima Chriſti fuit liberata ab affectibus, defectum vel imbecillitatem arguentibus, ut ne porro vel ira turbetur, vel triſtitia commoveatur, vel deſiderio diſtineatur, vel amore humano unum hominem præ alio proſequatur.

16. Chriſtus totus non amplius eſt Patris ſervus, ſed vicarius; populi ſui Dominus & caput Eccleſiæ, 1 *Cor.* 8 : 5, 6. *Eph.* 1 : 22. adoratur ab Angelis, *Pſ.* 97 : 7. *Hebr.* 1 : 6. 1 *Petr.* 3 : 22. nec humanæ jam ſubeſt poteſtati, ſed omnia ſunt pedibus ipſius ſubjecta, *Eph.* 1 : 22. *Pſ.* 8 : 7-9. *Hebr.* 2 : 8.

17. Non eſt jam oneratus peccatis noſtris, neque fert eorum pœnas, ſolutus vinculis mortis, *Dan.* 9 : 24. *Coloſſ.* 2 : 14. *Act.* 2 : 24. neque porro meretur obedientia jus vitæ, conſummatus à Patre, taliſque declaratus, cui nihil deeſt ad nos conſummandos, *Hebr.* 2 : 10. & 5 : 9. & 7 : 28.

18. Equidem in humanam naturam ingens eſt collatus honos, quia fuit aſſociata divinæ, & in cœlum illata, tamen minus commode ad illam ſeſſio Chriſti ad dextram reſtringitur; totus enim Chriſtus,

Digitized by Google

ſtus, utriuſque naturæ reſpectu, Patris eſt vicarius, totuſque coli & adorari debet; teſtaturque Dominus Ipſe, ſibi, non tantum carni ſuæ, datam omnem in cœlo & in terra poteſtatem, *Matth*. 28:18. licet alibi dicat: Filium hominis ornatum iri gloria, *Joh*. 14:23.

19. Judæi, Regis licet magnifici ac felicis deſiderio flagrantes, vilique Jeſu Nazareni forma offenſi, tamen & ipſi abjectam Meſſiæ conditionem non omnino ignorant: duos fingentes Chriſtos, unum pauperem & contemtum, Joſephi filium, in prælio contra Gogum & Magogum occubiturum: alterum glorioſum & proſperum, è ſtirpe Judæ oriundum, & hoſtes devicturum, Davidis filium.

20. In veterum Doctorum libris crebro memorantur חבלי המשיח *dolores Meſſiæ*, quos recentiores temere interpretantur de miſeria populum Judaicum preſſura ſub adventum Meſſiæ.

21. Bene *Cabbala* priſca: Deum è ſolio produxiſſe animam Meſſiæ, & interrogaſſe: num filios ſuos velit redimere? & quum annuiſſet, quæſiviſſe porro: an & caſtigationes ſufferre, ad auferenda eorum delicta? tum reſpondiſſe: *volo lubentiſſime*.

22. Fruſtra cauſſantur Judæi, unum hominem haud poſſe ſimul eſſe miſerum ac felicem, pauperem & opulentum, vilem & glorioſum; nam Meſſiam, ad breve tempus factum Angelis minorem, oportuit pati, ac deinde in gloriam ſuam intrare, *Pſ*. 8:6. *Hebr*. 2:7. *Luc*. 24:26.

23. Et prænunciabat Spiritus Chriſti, mala & adverſa eſſe illius gloriam præceſſura, 1 *Petr*. 1:11. & paſſim in oraculis Pſalmorum, Prophetarum &

Digitized by Google

Moſis, eidem Liberatori tribuuntur cum paſſiones, tum gloria, cum mors, tum vita, cum ſervitus in terra, tum ſeſſio ad dextram Dei in cœlo. *Pſ.* 22. *Eſai.* 53. *Gen.* 3: 15.

CAPUT VII.

De Meſsiæ officio Sacerdotali.

1. QUando Filius Dei æterno pacis conſilio conſtitutus fuit Liberator noſter, datus quoque nobis à Patre eſt Sacerdos, Propheta, & Rex: quia liberari niſi à Sacerdote, Propheta & Rege non potuimus, ſeparati per peccatum à Deo, ignari viæ ad eum redeundi, & ſubjecti infauſto Satanæ imperio, neque vero poteſtati Regis juſtitiæ & vitæ.

2. Et ſicut Filius Dei eſt Liberator perpetuus, *idem heri, hodie & in ſecula, Hebr.* 13: 8. ita quoque eſt Sacerdos, Propheta & Rex ſempiternus, munere fungens ſuo, quam primum & quam diu ſemen liberandum exiſtit: electus & conſecratus ad tergeminum hoc officium à Patre: unde משיח Χριςὸς, *unctus, Joh.* 1: 42. vel *unctus Patris* vocatur, 1 *Sam.* 2: 10.

3. Solebant in V. T. ungi Sacerdotes, Prophetæ, & Reges, *Exod.* 30: 30. 1 *Reg.* 19: 15, 16. 1 *Sam.* 10: 1. & 16: 1. 1 *Reg.* 1: 39. uncti propterea appellati, *Pſ.* 105: 15. & ea unctura duo docebat, א. illos, qui ungebantur, eſſe à Deo ad munus electos. ב. inſtrui ab Eodem donis ad officium recte obeundum neceſſariis: Filius ſimiliter ad hæc officia à Patre eſt deſtinatus, aptuſque redditus per Spiritum S.

4. Equi-

4. Equidem Pater Filio ſimul & ſemel commiſit munus ſacerdotale, propheticum & regium, & Filius ea ſimul adminiſtrat: naturali tamen ordine præcedit ſacerdotale, quia neque Propheta, neque Rex noſter fieri potuiſſet, niſi noſter Sacerdos eſſe voluiſſet.

5. Nemo enim potuit luce veritatis illuſtrari, aut in via ſalutis regi, niſi qui ab erroribus miſeriæ reducitur ad Deum per Sacerdotem, victima idonea illius iram placantem: atqui ad Patrem reduci nemo poteſt niſi per Filium, *Joh.* 14: 6.

6. Vocavit Pater Filium ad pontificatum, *Hebr.* 5: 5, 6. *Jerem.* 30: 31. *Pſ.* 110: 4. paſſim ei tributum, *Hebr.* 6: 20. & 7: 24-26. *Hebr.* 3: 1. præſtantiorem omnium reliquorum ſacerdotum munere, *Hebr.* 7: 11, ſeqq. & 8: 5, 6. ſicut & Pontifex eſt cœlis altior, *Hebr.* 7: 26.

7. Partes ejus duæ ſunt, quas & figura obiiſſe ſacerdotes priſcos conſtat: א. *immolatio victimæ* idoneæ, cujus vi patet reditus ad Deum, ב. *collatio fructuum hujus victimæ* in eos pro quibus offertur. non audebat chorus Leviticus ingredi in ſacrarium ad altare ſine ſanguine pecudis mundæ: neque Chriſtus poterat adpropinquare ad Patrem ſine victima pura, *Hebr.* 9: 7. 22.

8. Hæc victima eſt *obedientia* Filii Dei in ſervili ſtatu præſtita Patri uſque ad mortem crucis, *Philip.* 2: 8. plura toleratorum malorum genera ſubſecutam. Scil. ab æterno Pater Filio dedit duo mandata, *unum*, ut fieret homo, *Pſ.* 40: 7. *Hebr.* 10: 5. *alterum*, ut in humana natura ſibi ſerviret, legem ſervando, & mortem tolerando ad redimendum Dei peculium. *Matth.* 20: 28.

9. U-

Digitized by Google

9. Utrumque præceptum implevit in tempore; nam factus eſt homo, nobis per omnia ſimilis, excepto peccato, *Hebr.* 2: 14. *Rom.* 8: 3. atque legem Dei & mandata omnia Iſraëli data ſervavit perfecte, *Matth.* 3: 15. & 5: 17. ut princeps hujus mundi nihil in Ipſum juris habuerit, *Joh.* 14: 30. nemoque eum peccati ullius arguere potuerit, *Joh.* 8: 46.

10. Curriculum obedientiæ perfectiſſimæ finivit morte lubente, *Joh.* 10: 17, 18. hoſtibus ſponte obviam procedens, *Matth.* 26: 46. quum hora à Patre ſtatuta veniſſet, *Joh.* 12: 27. & 13: 1. Conf. *Joh.* 7: 30. & ſine murmure ductus ad mactationem, taciturnæ ovis inſtar, *Eſai.* 53: 8.

11. In ſcholis obedientia Chriſti ſolet dividi, imo à nonnullis ſeparari, in *activam* & *paſſivam*; illam in ſervatione legis de amore Dei, & hominis proximi; hanc in tolerantia malorum, præſertim mortis, conſiſtere ajunt. *Piſcator* priorem nominavit *obedientiam vitæ*, poſteriorem *obedientiam mortis*. in Epiſt. ad Paſt. Gall.

12. Obedientiam vitæ dixiſſe neceſſarium requiſitum ſacerdotis, ſed nobis non imputari, quod eam ceu homo pro ſe debuerit præſtare; nec enim niſi ſuum poſſe nomen expungere, qui 1000. thaleros debeat, neque ultra poſſideat: at mortis obedientiam fecit cauſſam meritoriam remiſſionis peccatorum *in Epiſt. Præſt. Viror.*

13. Profecto omnis homo debet intellectu ſuo Deum noſſe, & voluntate amare: alios prætere a homines diligere, quia & quantum Deus jubet; quare & ipſum Dei Filium, ſi fiat homo, hac obſtringi lege neceſſe eſt, quam primum & quam diu eſt homo.

14.

Digitized by Google

14. Aſt homo primus debuit obſervatione horum præceptorum per certum tempus, jus vitæ mereri ex pacto: Filius autem Dei, quatenus homo eſt, non habuit opus, humanæ ſuæ naturæ, ſervatione mandatorum Dei, per certum temporis articulum, vitam æternam mereri.

15. Nec enim Deus cum eo tale pactum iniit, quia non eſt lege naturæ ex Adamo genitus: imo jus vitæ revera habuit, quam primum homo eſſe cœpit; ſecus vera hæc foret propoſitio: Filius Dei, vitam habens in ſe ipſo, autor & princeps vitæ, deſtituitur jure vitæ.

16. Igitur neceſſarium ei non fuit, certis annis verſari in terra, & vili quidem forma indutum, ibique Deum & homines diligere; ſed aſſumtam carnem transferre illico in cœlum ad beatam Dei fruitionem potuiſſet: hoc tamen non fecit, ſed aliquamdiu moratus in terra, cuſtodivit præcepta, quæ qui facit, ex iis vivit, vel jus vitæ meretur: unde conficitur: non propter ſe, ſed propter nos in terra vixiſſe, & legem ſervaſſe.

17. Atque ita facile definitur quæſtio: nempe Filius Dei quatenus eſt homo, Deum & hominem proximum diligere debet: non debet vero illo Dei & hominis amore, humanæ naturæ ſuæ jus vitæ promereri.

18. Quod amplius conſtabit recordanti, primam obedientiæ Filii Dei partem eſſe carnis aſſumtionem: ſpopondit enim Patri, ſe fore hominem, & in humana natura juſtitiæ divinæ noſtro loco facere ſatis; ergo quia factus eſt homo in noſtri gratiam, ſequitur, & vitam in his terris vixiſſe ſan-

ctam noſtri cauſſa, i. e. ad jus vitæ nobis promerendum.

19. A peccatore enim jus vitæ impetraturo non modo tolerantia pœnæ, ſed & perfecta requiritur legis obſervatio, ſine qua jus illud addici nemini poteſt, fide legem non abolente, ſed ſtabiliente, *Rom.* 3 : 31. ut temere putet *vir doctus*, alterutram obedientiam, aut vitæ, aut mortis, non fuiſſe neceſſariam. Cui pœna condonatur, ei præmium haud dum addicitur.

20. Nec modo peccata noſtra expiantur ſanguine Chriſti, ſed & illius obedientia conſtituimur juſti, *Rom.* 5 : 19. *Rom.* 8 : 3, 4. & 10 : 4. atque Jeſus ſeſe Deo pro nobis offerens victimam, non modo innocuas paſſiones, ſed & ſanctas actiones Patri pro nobis conſecravit, velut amorem erga nos, *Eph.* 5 : 2. *Hebr.* 9 : 14.

21. Relinquitur ergo, victimam qua munitus noſter ſacerdos ad Deum Patrem acceſſit, totum eſſe curriculum obedientiæ Chriſti, qua mandata omnia à Patre accepta ſervavit à primo vitæ momento uſque ad mortem crucis, comprehenſis omnibus Domini cum actionibus, tum paſſionibus.

22. *Alting.* F. diſtinguit paſſiones Domini in *bellicas*, ab hoſtibus injuſte illatas, & *judiciarias*, ab ipſo Deo, Judice juſto impoſitas: *illas* facit Chriſto & electis Dei heredibus communes, *has* proprias, & ſingulari modo ſatisfactorias. nempe mala multa toleravit Dei Filius à ſceleratis hominibus, imo & ipſo à Satana illata: alia ſenſit inflicta à Patre cœleſti, ſine medio hoſtium, puta iram Dei adverſus peccata noſtra exardeſcentem.

23. At

23. At mala hæc bellica, ab inimicis Jeſu immiſſa, ſunt & ipſa in numerum judicialium paſſionum referenda, quia Sponſor ea tulit Patris arbitrio, hoſtium libidini ipſum tradentis, *Joh.* 19: 11. & Domini paſſiones paſcha ultimum antecedentes fuere ſine dubio leviores malis in fine vitæ perlatis, & quaſi præparatio animæ Chriſti ad toleranda mala graviora.

24. *Angor* mœrorque in horto fuit ſenſus iræ divinæ, ſed Angeli ſolatio temperatus; de cruce pendens Dominus guſtavit meram iram Patris, hominum ſceleribus indignantis, ut ſe derelictum queratur, *Pſ.* 22: 2. *Matth.* 27: 46. diſceſſus animæ ex corpore Chriſti erat paſſionis complementum; nam poſt ſuperatam Patris cœleſtis iram, Jeſus exclamavit: *conſummatum eſt*, fato mox defunctus, *Joh.* 19: 30.

25. Omnes vitæ humanæ adverſitates, angor animi, vel ſenſus iræ divinæ, & mors corporea ſunt peccati pœnæ; quanquam una altera gravior: itaque & omnia mala a Servatore perlata, minora, majora, erant delictorum noſtrorum pœnæ, & conſequenter pars pretii redemtionis, licet inæqualis.

26. Senſus iræ meræ, *cruciatus inferorum*, eſt certe malorum omnium maximum, ad quod proxime accedit ſenſus iræ aliquantulo ſolatio fractus: tamen & in morte corporea revelatur ira Dei peccatis accenſa, ut agnovit Cl. *Alting.* licet per conſilium pacis ſit tranſitus in vitam meliorem.

27. Porro licet Filius Dei legem ſervarit, & judicis cœleſtis iram ſenſerit mente humana; & verberatus,

Digitized by Google

beratus, ſpinis coronatus, in crucem actus, & lancea transfixus ſit quoad corpus: victima tamen fuit ſecundum divinam quoque naturam: hac enim voluit ab æterno, Patris fieri ſervus, ſervus uſque ad mortem crucis, i. e. in carne induta ſervare legem, & pati, *Hebr.* 9: 14.

28. Et ſicut quoad naturam humanam vixit ſancte, iramque Dei ſenſit, & mortem diram obiit: ita ſecundum divinam fuit exinanitus, in forma ſervi occultatus, velo contemtæ carnis.

29. Imo natura humana, etſi ſanctiſſima, nequit eſſe victima Deo, judici rigido, grata, & fratribus redimendis par, *Pſ.* 49: 8, 9. nam victimæ dignitas, & pretii pondus juſtum confertur ab excellentia infinita naturæ divinæ, 1 *Joh.* 1: 7. hæc enim altare eſt, conſecrans victimam humanæ naturæ, *Hebr.* 13: 10. *Matth.* 23: 18, 19. non crux lignea ſuper quam corpus Domini fuit immolatum, 1 *Petr.* 2: 24.

30. Scholæ victimam Deo Patri gratam, & nobis cum Eo reconciliandis ſufficientem, appellare ſolent haud male *meritum ex condigno:* nam א. Filius Dei agendum opus peregit propriis viribus, ſuo adjutus brachio, *Eſai.* 63: 5. ceu Deus fortis, *Eſai.* 9: 6. ב. & præſtitit officium indebitum, nam Patri æqualis eſt, *Philip.* 2: 6. natura ſua ad humilem ſtatum ſubeundum haud obſtrictus: *Socini* ſecta falſo ſtatuente, Chriſtum natura fuiſſe legi ſubjectum; & *Arminii* diſcipulis non inſimulantibus, quod omnem meriti Chriſti rationem tollamus, docendo: Eum non potuiſſe non obedire.

31. Imo commendatum à Patre officium luben-

ter

ter ac promte capeſſivit, *Pſ.* 40 : 8, 9. neque id recuſare potuit, quoniam cum Patre eamdem habet voluntatem, non quia Patre fuit minor vel inferior, uti inter homines filius vel civis parenti aut principi debet obedire, quia ſunt iis inferiores, & natura, vel alio jure ſubjecti.

32. Erat Pater Filio in terris verſato *major* ſtatu vel conditione, *Joh.* 14 : 28. non natura, *Joh.* 5 : 18. *Philip.* 2 : 6. utpote *Dominus* Filii, qui rogatus licet, ſponte ad breve tempus Patris ſervus fieri voluit: ſimilis filio regio, legationem paterno nomine obeunti.

33. ג. Tantum Jeſus præſtitit quantum accepit, tantumque accepit quantum præſtitit. Nam א. gloriam Patris patefecit: quare & Pater gloriam Filii debet retegere. *Joh.* 17 : 4-6. ב. factus eſt humilis in humana natura; in eadem proinde exaltandus ad gloriam, *Philip.* 2 : 7-9.

34. ג. Factus eſt Patris ſervus; ergo & jure vicarius. ד. redemit populum; itaque Pater tenetur ad dandum ei populum. ה. ex legis præſcripto paſſus eſt, & præcepta ſervavit pro ſuis; ideo Pater vitam Ei pro ſuis, vel jus donandi ſuis vitam, tribuere debet.

35. Unde ו. ſequitur, & hoſtes Chriſti ſubigendos eſſe, i. e. eo adigendos, ut mentiantur nomini ejus, *Pſ.* 66 : 3. vel inviti fateantur, Jeſum eſſe Filium Dei, Liberatorem & Regem, ſicut Filius quoque effecit, ut iidem agnoſcerent & teſtarentur, Patrem eſſe juſtum & ſanctum.

36. Igitur falſo contendit *Vorſt.* Chriſtum juſtitiæ Dei non ſolviſſe pretium æquale, ac Patrem illius obedientiam acceptilaſſe: eſt autem *accepti-*

latio, quando accepta parte totum expungitur debitum. Ἐχαρίσατο *ex gratia dedit* Pater Filio nomen glorioſum, *Philip.* 2:9. ex gratia erga nos, atque ex juſtitia erga Filium.

37. Nomen *meriti* in ſacris literis non occurrit; tamen memoratur עמל *labor* Meſſiæ, *Eſai.* 53:11. & 43:24. quem præſtitit ceu ſervus legi ſubjectus *Eſai.* 42:1, & 50:5. ei vero, qui operatur, *merces* non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, *Rom.* 4:4. ut facto ipſo mereri judicetur.

38. Sed diſtincte videndum: א. an & quid Jeſus Chriſtus *ſibi?* ב. an & quid *aliis* meruerit hominibus, quorum perſonam ceu ſponſor geſſit coram tribunali Dei? qui negant, Chriſtum ſibi quid meruiſſe, verentur, ne hac ratione ſatisfactioni pro nobis præſtitæ aliquid detrahatur. Vid. *Lombard.* ſent. l. 3. d. 18. l. a. *Eckard.* Faſcicul. c. 7. §. 7.

39. At vanus hic metus eſt, ſiquidem ad gloriam, quam Meſſias ſibi dicitur meruiſſe, pertinet, quod ſit conſummatus Salvator noſter, & quod pleniſſime pro nobis fecerit ſatis.

40. Nam ſi Dominus populum ſibi meruit, ſequitur meruiſſe, ut nos illius populus fieremus, & ex poteſtate diaboli traduceremur in regnum ſuum: ſive, quod idem eſt, ſequitur, Eum ſoluto pretio peculium ſibi nos emiſſe, *Act.* 20:28. 1 *Petr.* 1:18, 19.

41. Hinc *Socinus* effecturus, Chriſtum nobis nihil mereri potuiſſe, vehementer ex *Calvino* diſputat, illum nec ſibi quid meruiſſe, & ſic ratiocinatur: qui neque ſibi ipſe quid meruit, is multo minus aliis quid meruit. Jeſus neque ſibi ipſe quid meruit. Ergo nec aliis.

Digitized by Google

42. Ex oppoſito *Schlichting.* argutatur: ſi Chriſto pro obedientia ipſius collata eſt merces, quomodo noſtra cenſebitur? ſi perpeſſiones ejus fuere labores præmia antecedentes, quî peccatorum noſtrorum pœnæ? Reſp. *propter laborem animæ ſuæ videbit ſemen, Eſai.* 53: 11.

43. Quicquid ſit de voce meriti, quæ ſana utique, Scripturæ congrua, & perſpicua eſt: res ipſa ſequentibus continetur poſitionibus. א. Juſtitia Patris non permiſit, ut humilis ſervitus Filii non compenſaretur gloria: quare & eam pacto æterno promiſit, & in tempore dedit.

44. ב. Promiſit ac dedit eam gloriam propter ſervitutem humilem. מעמל *propter laborem, Eſai.* 53: 11. לכן διὰ τȢτο *propter hoc,* vſ. 12. διὸ καὶ *propterea, Philip.* 2: 9. vidit fructum, accepit partem inter multos, & nomen glorioſum: cum ſit individuus inter laborem & mercedem Chriſti nexus.

45. ג. Ea gloria eſt, quod definiatur Filius Dei, humana licet natura præditus, Liberator perfectus, & Rex triumphans, *Rom.* 1: 4. *Act.* 2: 36. *Philip.* 2: 9, 10. perfectus Liberator non eſt, niſi nos liberet ac ſalvet; neque Rex, niſi habeat populum; neque Rex triumphans, niſi hoſtes vincat.

46. ד. Itaque Pater non poteſt non velle, ut propter humilem Filii ſervitutem ſalvemur, ejus peculium, λαὸς περιȢσιος fiamus, hoſteſque noſtri deſtruantur.

47. Summa diſputationis *Calvini* eſt, Filium Dei nihil ſibi potuiſſe mereri, quod non habuerit; item, nullis meritis hominem aſſequi potuiſſe, ut foret judex mundi, & caput Angelorum. *poſterius*

ſine limitatione verum eſt; *prius* quod attinet, haud quidem potuit ſibi Filius Dei naturam divinam acquirere, utpote quam ab æterno accepit à Patre, *Joh.* 17:5. *Pſ.* 2:7.

48. At potuit tamen, poſtquam factus eſt humilis, & divinitatem ſuam occultavit ſub forma ſervi, patefactionem divinæ naturæ mereri, quæ profecto quamdiu latuit, inter homines non reſplenduit.

49. Id igitur novi Filius Dei ſibi acquiſivit: א. ut divina ipſius natura, uſque huc abſcondita, ſplendidiſſime manifeſtaretur. ב. ut humanitas libera eſſet à miſeriis & defectibus, quibus laborabat, & conjuncta cum divinitate ſederet in ſolio Dei, honore nec Angelis, nec hominibus ſanctis communicando.

50. *Hoornbeck.* l. 3. Socin. confut. controv. I. §. 2. exiſtimat, Chriſtum & ſibi, & nobis aliquid meruiſſe, *ex pacto*, non *ex condigno.* imo utroque modo, ut jam demonſtravimus.

51. Bona, quæ *nobis* obedientia ſua impetravit Chriſtus, ſunt א. remiſſio peccatorum, 1 *Joh.* 1:7. *Coloſſ.* 2:13, 14. ב. jus vitæ, *Rom.* 4:25. & 5:19. *Dan.* 9:24. ג. Spiritus S. 1 *Cor.* 12:3. *Galat.* 4:6. *Act.* 2:33. *Eph.* 5:25-27. & omnis gratia ſpiritualis, *Rom.* 8:32. *Eph.* 1:3.

52. Ea vere nobis virtute obedientiæ Chriſti obtingunt. nam *primo* noſtram in foro cœleſti geſſit perſonam, noſtras ſubiit vices, *Eſai.* 53:4. 6. 1 *Petr.* 2:24. *Joh.* 1:29. 2 *Cor.* 5:21. *Galat.* 3:13. *Rom.* 5:6, 8. & voculæ ὑπὲρ & ἀντὶ ſubſtitutionem notant. unde ſtultitias noſtras reputavit ſuas, *Pſ.* 40:13. & 69:

6. &

6. & nos judicamur eſſe cum Chriſto, in Chriſto, unum cum eo, ut ſi unus ſit mortuus, omnes cenſeantur mortui, *Eph.* 1:3,4. *Joh.* 17:21. *Coloſſ.* 2:13. *Eph.* 2:5,6. 2 *Cor.* 5:14. *Rom.* 6:4. 1 *Cor.* 15:22.

53. *Secundo* Chriſtus pro nobis ſolvit λύτρον, ἀντίλυτρον, vitam ſuam, *Matth.* 20:28. 1 *Tim.* 2:6. 1 *Petr.* 1:18,19. *Act.* 20:28. *Job.* 33:24. 1 *Cor.* 6:20. *tertio* Chriſtus Patrem placavit, nobiſcum reconciliavit, 2 *Cor.* 5:18, 19. *Rom.* 5:1. 10. *Coloſſ.* 1:19, 20. *Hebr.* 1:3. 1 *Joh.* 2:2. ut cum libertate loquendi accedamus ad ſolium gratiæ, *Hebr.* 4:16.

54. Hæc manifeſto evincunt, Chriſtum pro nobis Deo *feciſſe ſatis*, etſi vox in Scriptura non legatur; adeſt enim ſolutio debiti, & quidem alieni, *Pſ.* 69:5. datio pretii digni, obedientia Filii Dei uſque ad mortem, & Judicis in accepta ſolutione acquieſcentia, *Eſai.* 42:1. *Matth.* 3:17. & 17:5.

55. At quia Chriſti ſatisfactio fluit ex illius in locum noſtrum ſubſtitutione, ideo non fecit ſatis niſi pro iis, in quorum eſt locum ſubſtitutus à Patre, ſive quorum perſonam in Illius foro geſſit: atqui non omnium hominum geſſit perſonam apud Judicem cœleſtem, ſed eorum modo pro quibus ſpopondit; ſed *ſponſor teſtamenti*, *Hebr.* 7:22. pro ſolis ſpopondit heredibus, quos Pater ipſi redimendos tradidit, *Joh.* 17:9.

56. Hinc nonniſi populum ſuum liberat à peccatis, *Matth.* 1:21. & moriens pro ovibus, *Joh.* 10:15. Salvator corporis ſui, *Eph.* 5:23. dilexit Eccleſiam, ſeque pro ea obtulit, vſ. 25. pro mundo non orans, ſed pro iis quos à Patre accepit, *Joh.* 17:9. uti Pontifex M. ſacra faciens & orans in ſanctuario ſolum repræſentavit Iſraelem.

Digitized by Google

57. Quæſtio: *num Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus ſit paſſus ac mortuus*, ſæpe & multum fuit agitata in Eccleſia: fereque invaluit ejus adfirmatio, quia non diligenter ſatis attendebatur ad æternum Dei teſtamentum, quo aliqui modo ex humano genere, non autem omnes homines, ſcripti ſunt ſalutis heredes; neque conſiderabatur, Filium Dei in tempore nihil feciſſe, niſi congruenter æterno teſtamento, natum hominem, paſſum, mortuum pro iis, pro quibus Patri ſpopondit.

58. Nam *mori pro aliquo* notat morientis conſilium, ei pro quo moritur impetrandi bonum teſtamento legatum; atqui Chriſtus moriens neque habuit, neque per æternum cum Patre pactum habere potuit conſilium, impetrandi omnibus remiſſionem peccatorum vitamque æternam.

59. Omnes homines *dilexit* amore humano; ſed ſponſio fluit ex amore ejus divino, neque eſt effectus aſſumtionis humanæ naturæ, hujuſque ad omnes diligendos obligationis: ſed contra voluit Dei Filius humanam aſſumere naturam, quia ſpopondit: in ea enim ſponſionem potuit explere.

60. Neque omnium hominum *frater* eſt, ſed eorum modo, qui ſancti fiunt per Spiritum S. *Hebr.* 2: 11. *Pſ.* 22: 23. ſicut ipſe voluntate Spiritus S. ſanctam accepit naturam humanam: qui unum cum eo Deum ac Patrem habent, *Joh.* 20: 17. Qui ſola viri, carnis ac ſanguinis voluntate nati ſunt, *Joh.* 1: 13. huc minime pertinent. Eſtque Jeſus fratrum primogenitus, *Rom.* 8: 29. quia primo factus eſt homo ſanctus per Spiritum S. Deinde nos propter Ipſum regeneramur, & ex corruptis ſanctiſimus.

61. Ad-

61. Adventu primo venit Jeſus ad *mundum* ſervandum, non ad condemnandum, *Joh*. 3 : 17. nam Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, 2 *Cor*. 5 : 19. ſed vox mundi deſignat omnem multitudinem electorum, cum ex Judaica natione, tum è cæteris gentibus. Sic & 1 *Joh*. 2 : 2.

62. Pro omnibus ſe dedit redemtionis pretium, 1 *Tim*. 2 : 6. non pro ſolis Judæis, ſed & pro iis omnibus, qui ex reliquis populis ſunt nominati ſalutis heredes, ſine diſcrimine gentis, ſexus, conditionis & ætatis.

63. Morte ſua Dominus emit duplicis generis ſervos, *voluntarios*, qui ſcientes ac volentes lætique regnum ipſius amplificant, redemti ſimul ex ſervitute peccati & mortis; atque *involuntarios*, qui Chriſto Jeſu mentiuntur, & inſcii invitique amplificandæ illius gloriæ inſerviunt: relicti tamen in nativa corruptione, licet à Patre obtinuerit, ut ipſa hæc malorum ſervorum ſervitus ad exornandam regni ſui gloriam faceret, 2 *Petr*. 2 : 1. Et Judas proditor regnum cœlorum prædicavit.

64. Profecto enim ad reprobos nulla ex morte Chriſti redundant beneficia, non jus vitæ, non remiſſio peccatorum, non fides ſalutaris aut ſanctitas: bona ſolis electis propria. Nec reproborum perſonam geſſit Jeſus ad tribunal Patris, utpote qui in eo non ſunt.

65. Ajunt, meruiſſe iis, ut ne à Patre ob violatum fœdus operum condemnari poſſint, *Camero*, imo qui Evangelium non audiverunt, judicabuntur ſecundum legem, *Rom*. 2 : 12. & qui Chriſtum fiducia non recipiunt, lege condemnati jam ſunt, *Joh*. 3 : 18. 36.

Digitized by Google

66. Addunt, Chriſtum reprobæ turbæ meruiſſe, ut vocarentur ad gratiæ communionem, & alia gratiæ externæ communiſque bona acciperent: quin ſibi, non ipſis meruit Dominus, ut *externa*, ſicut loquuntur, *gratia* participes fierent. Scil. propter obedientiam Pater Filio promiſit deditque regnum inter ipſos hoſtesglorioſum: ergo facit, ut & hoſtes regnum Filii propagent: ergo dat iis dona hunc ad finem conſequendum neceſſaria.

67. Id Pater facit in gratiam Filii, non in gratiam hoſtium; Filiuſque hoc ad ſuam gloriam, non hoſtium bono impetravit: quæ accipiunt, non accipiunt ex amore Patris, in Filio moriente, neque ut ipſis ſint ſalutaria; ſed ex Patris voluntate honorandi Filium, atque eo fine, ut Filio ſint glorioſa, cujus pedibus omnia ſubjecit, *Pſ.* 8: 7, 8.

68. Nemo debet credere, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe: i. e. ſolari ſe fructu mortis Domini, niſi qui in Eo ceu unico & perfectiſſimo Liberatore fiduciam ponit, ejus auxilium cupidiſſime deſiderat, Patrem ac Filium ſuper omnia diligit: nemo enim niſi eſuriens & ſitiens juſtitiam Chriſti ſaturatur, *Matth.* 5: 6. *Cant.* 5: 1. *Eſai.* 55: 1, 2.

69. Diſtinguunt inter *impetrationem* & *applicationem* gratiæ: eſſe gratiam morte Chriſti omnibus ac ſingulis impetratam; tamen ob defectum fidei haud omnibus applicari. Verum impetratio natura ſua complectitur applicationem: applicare enim gratiam, & eam impetrare, nihil deſignat, niſi facere, ut quis gratiam percipiat: miſerum ejus ſtatum mutare in beatum.

70.

Digitized by Google

70. Deinde ajunt: Jeſum pro omnibus obiiſſe *conditionate*, vel *ſub conditione fidei*; atqui Chriſtus omnem præſtitit conditionem: igitur ii, quos cum Patre reconciliavit, ſine conditione ſunt reconciliati: & ſane vox reconciliationis eventum notat, quando partes diſſidentes amicæ fiunt, nec modo poſſibilitatem eventus ſub conditione fidei. Eadem vis nominis ἱλασμȣ͂.

71. Qui ſolvit pro altero, debitorem liberat debito, & is cui ſolvitur, debitum expungit: quod non eſt numerare pretium ſub conditione. Et nonne beneficium gratiæ, quale eſt reconciliatio & redemtio noſtra, eſt ſine conditione? hactenus diverſum à bono fœderis operum poſtulantis conditionem.

72. Nam licet nos oporteat credere, ut cum Deo reconciliemur, tamen & ipſa fides eſt teſtamenti bonum. v. g. teſtator jubet ultima voluntate ſcriptum heredem legata quædam præſtare aliis teſtamento deſignatis: at ſolvit ea legata ex ipſa hereditate, ut dici nequeat, ſcriptum eſſe heredem ſub conditione.

73. Tertio definiunt: *ſufficienter Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus & ſingulis*, *efficienter pro Eccleſia*. ſed dictio eſt Scripturæ ignota, & ambigua; notat enim cum *valorem* meriti Chriſti, tum *valoris deſtinationem*. de illo non quæritur, ſed pernegamus, Patrem aut Filium æterno conſilio cogitaſſe de valore illo aliis impendendo præter ſolos vitæ æternæ heredes.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De ſententiis adverſariorum doctrinæ huic oppoſitis.

1. PRimo *Sociniani* negant, Jeſum divinæ juſtitiæ feciſſe ſatis loco noſtro, & tuliſſe pœnas delictorum noſtrorum; hæc enim remitti gratis per Dei miſericordiam, ſacerdotium Domini collocant in voluntate nos juvandi, demum in cœlo inceptum; fatentes, Jeſum peccata auferre condonando, haud tuliſſe patiendo; & Paulum ſcribentem, Chriſtum pro nobis execrationem eſſe factum, argutiæ poſtulantes.

2. Mortis Chriſti cauſſas allegant alias: א. ut eſſet conſtantiæ exemplum. ב. ut juvare diſceret ſimilia patientes. ג. ut confirmaret promiſſionem amoris Dei erga nos, futuræque reſurrectionis. *Crell.* memorat confirmationem doctrinæ, & promiſſionum Evangelicarum, adductionem hominum ad fidem iis habendam, & acquiſitionem poteſtatis ſervandi nos.

3. Chriſtum diſputant, morte expiaſſe peccata, quatenus poſt mortem accepit à Patre poteſtatem, delicta omnia per Dei clementiam remiſſa condonandi, uti Sacerdos V. T. peracto ſacrificio expiavit, vel condonavit, peccata leviora: & hactenus mortem Chriſti fuiſſe figuratam ſacrificio anniverſario, publice pro tota gente facto, non reliquis legalibus ſacrificiis, hoſtiis ex arbitrio oblatis pro ſingulis, quæ adumbrarint ſacrificia ſpiritualia:

cæterum

Digitized by Google

cæterum nullis victimis infuiſſe vim Deo pro peccatis faciendi ſatis.

4. Omnia vero ſacrificia in peccatis expiandis ſuperari à morte Chriſti; illa enim liberaſſe modo à pœnis temporalibus nonnullorum delictorum, non à delictis ipſis, nec à ſupplicio æterno: ſed in N. T. nos morte Chriſti, & à peccato ipſo, & à peccatorum omnium pœnis eximi.

5. Atque licet D. Jeſus obierit in terra, tamen ſacrificium mortis demum fieri in cœlo, ubi ſe Patri præſentet: nec enim ipſam ſanguinis fuſionem, ſed fuſi ſanguinis præſentationem eſſe ſacrificium.

6. Sunt profecto hi errores peſtilentiſſimi, qui integram doctrinæ ſalutaris compagem ſolvunt evertuntque, & ſub ſpecie ſanctitatis impietatem gignunt, amorem noſtrum erga Deum Patrem, & Jeſum Liberatorem minuendo & extinguendo.

7. Deum eſſe judicem juſtum, ſanctitate naturæ obligatum, ad peccatum improbandum, i. e. puniendum, & conſequenter peccatorem non abſolvere, niſi factum ſit ipſi ſatis, probavi *l.* 1. *c.* 13. §. 39. ſeqq.

8. Pontificem habemus miſericordem, doctum ſentire noſtras infirmitates: ſed eo maxime juvare nos voluit, & juvit, quod ſe victimam pro nobis in cruce obtulit, ad Patris iram placandam.

9. Atque *unam* ſacerdotii partem in terra peregit, in cruce vitam ſuam Patri offerens pretium noſtræ liberationis: & altera fungitur in cœlo, Patri ſacrificium mortis ſuæ repræſentans, & preces pro nobis fundens: *redime hos, ne deſcendant in foveam!*

10. Qua

10. Qua parte niſi in cœlo fungeretur, Sacerdos non eſſet perfectus, *Hebr.* 8 : 4. nam V. T. pontifices non modo hoſtias Deo pro populo offerebant, ſed & in ſanctuario ſuffientes precabantur.

11. Debita noſtra aufert Dominus condonando, quia prius illa portavit in corpore ſuper lignum, 1 *Petr.* 2:24. *Eſai.* 53 : 5, 6. nec modo aliquam ſubiit legis execrationem, ſed à patre deſertus, percepit angorem, iram Dei meram, peccati ſupplicium verum: in æternum tamen ſentire nec potuit, nec debuit, declarandus à Patre juſtus, & mortis victor, & Princeps vitæ, poſtquam fideliter facienda omnia perfeciſſet, *Act.* 2: 24. 1 *Tim.* 3 : 16. *Eſai.* 50 : 8. neque filius Regis civium rebellionem ſemper lueret.

12. Æquale nihilominus ſolvit pretium, quia tantum pendit, quantum debuit, raptumque reſtituit: ſanguis enim Filii Dei eſt valoris infiniti, 1 *Petr.* 1 : 19. & angor illius temporalis æquat æternam peccatoris mortem.

13. Equidem ab homine creato, quum is peccat, ac negat, Deum eſſe bonum æternum, lex requirit, ut fateatur in æternum, Deum eſſe bonum ſempiternum, i. e. ut ſentiat perpetuum angorem: ſed à Filio Dei ſponſore nequit lex exigere, niſi angorem ad tempus perceptum: inde enim ſatis innoteſcit, Deum eſſe bonum æternum, ac Dominum cui obedire oporteat, & qui peccatum non ferat inultum.

14. Hæc juſti Dei gloria ex temporali peccatoris angore non ſimiliter innoteſcit, uti ex angore Filii Dei ſponſoris: is enim ſenſit angorem conjunctus

Digitized by Google

cum Patre per ſanctitatem; ſed damnatus quum angitur, manet à Deo per crimina ſeparatus, cruciatum ejus ſine fine pariter continuantia.

15. Objicit *Vorſt.* Chriſtum nec deſperaſſe, nec fuiſſe excœcatum, quæ ſint propriæ damnatorum pœnæ. Igitur nec tuliſſe pœnas damnandorum. *Reſp.* א. Cœcitas eſt ſequela peccati, non pœna vera, qua Deo fit ſatis: nam cœcitate debitum augetur. ב. damnatorum vera pœna eſt angor & inquies animi: ubi deſperatio accedit ex conſcientia liberationis nunquam impetrandæ, eo quod cum Deo, bono ſummo, per ſanctitatem conjuncti non ſunt. Chriſtus angorem ſenſit, at non deſperavit, futuræ liberationis certus.

16. Moriendo Dominus & doctrinam ſuam confirmavit, & exemplum patientiæ ac conſtantiæ nobis præbuit: ſed is nec unicus nec præcipuus fuit mortis Chriſti finis; obiit enim, ut ſanguine ſuo fieremus juſti, & cum Deo reconciliaremur, *Rom.* 5: 9, 10. *Apoc.* 1: 5.

17. Expiatio peccatorum haud eſt nuda ab iis liberatio, ſed purgatio noxæ per tolerationem pœnæ debitæ ac juſtæ, ad placandam læſi iram; præſtaturque à reo vel rei ſponſore, uti liberatio fit à Domino. *Facta per ſe ipſum noſtrorum peccatorum purgatione, Hebr.* 1: 3.

18. Mors Chriſti in terris perlata eſt ſacrificium, & quidem cruentum, vere dictum. nam adeſt hoſtia mactata, corpus; altare conſperſum ſanguine, divinitas; ſacerdos, Jeſus ipſe; Deus cui offerebatur, Pater noſtris delictis iratus; finis ſacrificii, expiatio noxæ, vel placatio Dei offenſi; hi, pro

Digitized by Google

quibus oblatum fuit, filii Dei, fratres Jeſu Chriſti.

19. Figurabatur omnibus victimis cruentis, ubi ſanguis fundebatur, & pecus vita privabatur: Paulus enim ſanguinem Chriſti confert cum ſanguine taurorum & hircorum, *Hebr.* 9: 12, 13. Johannes B. Dominum vocavit agnum, *Joh.* 1: 29. Eſaias אשם, *c.* 53 :10. victimam pro peccato quotidie oblatam. *Agnus mactatus eſt dignus qui accipiat potentiam, Apoc.* 5 : 12.

20. Legalia ſacrificia offerebantur non pro levioribus tantum, ſed & pro gravioribus peccatis, *Levit.* 5 : 1. ſeqq. & *c.* 6 : 1. ſeqq. *Num.* 5 : 6, 7. tamen nulla poterant expiare, *Hebr.* 9 : 9. imo exprobrabant, delicta nondum eſſe deleta, *Hebr.* 10 : 3, 4. & ſanguis mactatæ pecudis clamabat, ipſum Iſraëlitæ ſacrificium offerentis ſanguinem effuſione dignum.

21. Sola mortis Chriſti annunciatio & meditatio, Spiritus S. virtute omnipotente deſtituta, nequit nos efficere ſanctos, & liberare à peccati ſervitute: conſtat enim pluriinis innoteſcere mortem Domini, quorum malus animus haud mutatur. neque additis miraculis mollitum Judæorum cor.

22. Chriſtus in terra jam eſt functus ſacerdotio, nam primo victimam pro peccatis unicam obtulit, vitam ſuam; deinde ad dextram Patris conſedit. *Hebr.* 10 : 12. & ſine dubio aliud eſt, hoſtiam Deo offerre, & aliud, oblatam hoſtiam Deo repræſentare, gratiam propter ejus meritum rogare fratribus, quorum loco erat oblata. notum exemplum V. T. ſacerdotum.

23. Secundo *Arminiani* temere nos criminan-

tur, quod meritum Chriſti evertamus, dum ipſimet multis id modis imminuunt, etſi ſtatuant, Jeſum obitu meruiſſe, ut Deus nobiſcum voluerit in gratiam redire, ac voluntatem hanc *completam* appellent.

24. Ut diſputationis noſtræ veritas lectorum animis clarius illuceſcat, diſtincte intuebimur א. *objectum*, ad quodvis meriti Salvatoris pertinet. ב. *naturam meriti*, conſiſtentem partim in *impetratione juris vitæ*, partim in *immiſſione in jus* illud, quæ immiſſio in ſcholis obſcurius *applicatio juris* vocari ſolet.

25. Nos merito Chriſti neutro modo detrahimus. nam quod ad objectum attinet, docemus, illud ſua dignitate ſufficere ad redimendum totum mundum; Patrem vero & Filium id ſolis præcognitis deſtinaſſe.

26. Deinde quod naturam meriti ſpectat, ſic ei omnia tribuimus, ut plane nihil nobis vendiceemus: quippe qui ſtatuimus, Chriſtum nobis obedientia ſua & jus vitæ impetraſſe, & immiſſionem in jus, i. e. gratiam Spiritus S. qui nos regenerat, fide donat, eoque ad vitam perducit.

27. Equidem ſolent Remonſtrantes meritum Chriſti ad univerſum genus humanum extendere; docent enim, propter illud Evangelium ſemper & ubique prædicari poſſe, & reapſe annunciari cum credentibus, tum non credentibus.

28. Sed minime exiſtimant, Jeſum nobis vel jus vitæ, vel immiſſionem in iſtud jus morte ſua meruiſſe. nam א. ſecundum eos tantum meruit, ut fides eſſet conditio juris vitæ impetrandi, ſive, ut omnes

Digitized by Google

omnes ſalvarentur, ſi omnes crederent. Scil. fœdere operum poſtulatam fuiſſe obedientiam perfectam; ſed fœdere Evangelico, ob Chriſti mortem pacto, Deum acquieſcere fide, nec amplius exigere perfectam totius legis ſervationem.

29. 3. Tenent fideles accipere jus vitæ ex merito pacti impleti, & juſtos in ſe ipſis eſſe, quia fœderis conditionem ipſi præſtent: unde *Arminius* aſſeruit, fidem noſtram nobis pro juſtitia imputari.

30. 3. Secundum Remonſtrantes Chriſtus ſolum meruit, ut Deus poſſet reconciliari, & peccata remittere, nempe ſi novum fœdus obſervaremus. Ergo non meruit ipſam reconciliationem, ſeu remiſſionem. Certe ſalvo Chriſti merito accidere poſſet, ut novi fœderis conditiones nemo impleret, & conſequenter nemo cum Deo reconciliaretur, veniamque delictorum adipiſceretur; fidem enim & ſanctitatem nobis Jeſus non meruit, uti aſſerunt, eoque nec immiſſionem in jus vitæ, quæ fit fide; neque vitam in Deo ipſam, cujus principium eſt ſanctitas, vel generatio nova ad imaginem Dei, *Joh.* 3:5. *Coloſſ.* 3:10. *Eph.* 2:10.

31. Hinc & Chriſtus nullum ſibi peculium morte ſua acquiſivit, multi enim pro quibus eſt mortuus, non fiunt ejus populus; & qui fiunt, non fiunt virtute meriti Chriſti, ſed propriæ mentis arbitrio, quo novum fœdus amplectuntur & ſervant. Imo *non nobis Jehova, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam! Pſ.* 115:1.

32. Tandem & *Pontificii* de merito Chriſti prave ſentiunt, licet interdum ſaniſſimas locutiones in illo deprædicando adhibeant, & anathema di-

dicantiis, à quibus imminuti pretii mortis Chriſti accuſantur.

33. Objectum meriti Chriſti faciunt totum genus humanum, ſtatuentes, Jeſum pro omnibus & ſingulis obiiſſe; ſed jus vitæ æternæ, & immiſſionem in hoc jus, aliunde quam ex ſolo Servatoris merito arceſſunt.

34. Jure vitæ comprehendimus cum abſolutionem ab omni pœna, tum adjudicationem præmii. At Romana Eccleſia docet א. Chriſtum nos liberaſſe ſolum à pœna æterna, temporale autem ſupplicium remanere ferendum culpa deleta. ב. peccata deleri ſacramentis; baptiſmo quidem ea, quæ commiſerimus antea, atque pœnitentia & unctione extrema illa, quæ patramus aqua ſacra jam conſperſi.

35. ג. Temporalem pœnam compenſari & alienis, & propriis ſatisfactionibus, quibus ſimiles Chriſto evadamus: præſertim & ſacrificio Miſſæ, quo viventium & mortuorum crimina expientur: ד. jus vitæ æternæ credunt impetrari, cum noſtris operibus, tum meritis aliorum abundantibus; atque in jus vitæ immitti unumquemque propria diſpoſitione & cooperatione, ſecundum quam à Spiritu S. juſtitia donemur.

36. ה. Pro ſingulis heredibus, non modo Chriſtum facere preces ad Patrem, ſed & Angelos ſanctos, hominesque mortuos in Domino, ſuum uniuscujuſque patronum, orando nos juvare.

37. At quia Viri Eruditi exiſtimant, Romanam Eccleſiam multa ex parte de merito Chriſti nobiſcum ſentire, & ſola fere vocabulorum diverſitate

pugnare, lubet noſtram & Pontificiorum ſententiam de argumento iſto diligentius conferre.

38. א. Secundum nos fidelis ab omni pœna peccati liber eſt, eo quod Jeſus hanc pœnam illius loco tulit: at ſecundum Pontificios liber non eſt à pœna temporali, quam & in hac & in altera vita pendere Deo debet. ב. Secundum nos unica morte Chriſtus nos liberavit à peccati ſupplicio perfectiſſime, cæteramque ad ſalutem gratiam neceſſariam meruit unica obedientia ſufficientiſſime: ſecundum Catholicos Chriſtus quotidie adhuc incruento ſacrificio offerri neceſſe habet, ad peccata noſtra expianda.

39. ג. Secundum nos petere à Deo vitam æternam poſſumus ideo, quia Chriſtus noſtro loco ſervavit præcepta, quæ qui facit, ex iis vivit: ex opinione Pontificiorum vitam æternam petere à Deo poſſumus, quoniam ipſi præſtamus bona opera, operaque noſtra vim merendi vitam æternam habent ideo, quia Chriſtus eſt mortuus; & quia fructus bonorum operum, quibus alii ſancti abundant, ad nos derivatur.

40. ד. Secundum nos abſolvimur à peccatis, potimur jure vitæ, & ſancti quoque à Spiritu S. reddimur ideo, quia Chriſtus noſtro loco obedivit Patri uſque ad mortem: ſecundum adverſarios, quia baptizamur aqua, & potentiæ baptiſmi obicem non ponimus: quia pœnitentiam agimus, quia mortis hora ſacerdotali oleo ungimur: quæ omnia mutuatitiam à ſanguine Chriſti virtutem habent.

41. ה. Secundum nos Spiritus fidei & ſanctitatis à Deo nobis propter Chriſtum datus, renovat animum

muni noſtrum, & in eo excitat fidem, à qua alias, ut à cetero bono omni, alieniſſimus eſt: at ſecundum Romano-Catholicos liberum arbitrium, quod quidem eſt viribus attenuatum, & inclinatum, non tamen extinctum, Deo excitanti & vocanti aſſentitur, atque ita ſe diſponit ac præparat ad obtinendam juſtificationis gratiam. *Synod. Trident.* Seſſ. VI. cap. 1. 5. & can. 4, 5.

CAPUT IX.

De fructuum victimæ Jeſu Chriſti in nos collatione.

1. EST hæc altera pars ſacerdotii Chriſti, dicta ἐμφανισμὸς, *apparitio* ejus in conſpectu Dei pro nobis, *Hebr.* 9:24. ἔντευξις ὑπὲρ ἡμῶν, *precatio pro nobis*, vel actus quo Patri occurrit orandi cauſſa, *Rom.* 8:34. δέησις, *petitio*, deprecatio, *Luc.* 22:32. ἐρώτησις, *rogatio*, *Joh.* 17:9. 20.

2. Ut enim ſacerdotes V. T. poſtquam ſacrificia pro Iſraëlitis immolata eſſent, ſanctuarium ingreſſi cum ſanguine orabant Jehovam, ut velit reſpicere hoſtiam Meſſiæ, & propitius eſſe Iſraëli, per ſacrificium fœdus cum Deo pangenti: ita poſtquam Dei Filius ſe immolavit pro iis, quos à Patre accepit redimendos, cum proprio ſanguine intravit in cœlum, & orat Patrem, ut nobis faciat gratiam propter victimam à ſe in cruce oblatam.

3. Pater Filium ſemper exaudit, & ſervat promiſſum, nos fore peculium Filii, ſi morte illius redimamur: hinc reapſe Deo fruimur pacato ob hoſtiam noſtri Pontificis, & conſequimur peccato-

Digitized by Google

rum veniam cum jure vitæ æternæ. eſt enim Chriſtus apud Patrem noſter *παράκλητος advocatus*, 1 *Joh.* 2: 2. cauſſam agens fratrum in foro cœleſti, eoſque defendens contra accuſatores, Satanam, legem, peccatum.

4. Sicut autem victimam non obtulit pro omnibus ac ſingulis hominibus: ita & fructus victimæ confert in eos ſolos, pro quibus ſpopondit, *Joh.* 17: 8, 9. velut *ſponſor teſtamenti melioris*, *Hebr.* 7: 22.

5. Non pugnat precatio Chriſti ſacerdotalis cum ſtatu ipſius glorioſo; nec enim eſt niſi petitio præmii pro toleratis laboribus, repræſentatio obedientiæ præſtitæ, clamor ſanguinis fuſi, meliora loquentis quam ſanguis Abelis, *Hebr.* 12: 24. victimam poſtulans locutus eſt, *Gen.* 4: 10.

6. Eſtque *voluntas* qua Filius Dei, & natura divina, & mente humana, vult, vel petit à Patre, ut vi pacti ſalutem iis det, quos morte ſua redemerit: differtque ab adminiſtratione regni; nam precatio ſacerdotalis fit apud Deum, hæc in Eccleſia; illa Chriſtus Patrem orat ſalutem redemtorum propter obedientiam ſuam; hac redemtis actu ſalutem confert.

7. Secundum Socinianos oratione, quam Jeſus dicitur pro nobis facere apud Patrem, nihil innuitur, niſi quod poteſtatem juvandi nos à Deo habeat, non ex ſeſe, ad prærogativam Patris indicandam:

8. Verum nactus eſt à Patre poteſtatem nos juvandi & perducendi ad ſalutem, quia meruit ipſam obedientia: hujuſque meriti repræſentatio eſt vera ſacerdotalis precatio, clamor ſanguinis.

9. Et hæ quidem ſunt partes ſacerdotii Chriſti, quo

quo fungitur ſine fine, factus Pontifex in æternum, ſecundum Melchiſedeci ordinem, *Pſ.* 110: 5. *Hebr.* 6: 20. nempe א. ab æterno ſpopondit Patri, quod velit eſſe redimendorum Pontifex, & ſe pro iis victimam offerre. ב. poſt hominem lapſum mactatus eſt in typis & umbris, quæ ſacrificium ipſius figurarunt.

10. ג. Populum ſibi datum tempore primo & ſecundo ſalvavit virtute ſacrificii olim offerendi; licet enim nondum ſolviſſet, potuit tamen dicere: *inveni redemtionis pretium, Job.* 33: 24. ד. in fine ſecundi temporis ſe Patri obtulit hoſtiam puram: & principio temporis tertii intravit in cœlum, ad repræſentandum Patri ſacrificium ſuum, rogandamque ſalutem heredum regni Dei, ad parandum nobis locum, *Joh.* 14: 2.

11. Hinc Paulus ad l. *Jobi* alludens ait, Chriſtum inveniſſe *ἀιωνίαν λύτρωσιν, Hebr.* 9: 12. quia א. quotquot redimuntur, vi ſacrificii Meſſiæ redimuntur, etiam illi qui vixerunt ante adventum & mortem illius. ב. ſemel impetrata redemtio ſufficit ad nos in æternum beandos, neque iterari debet, *Hebr.* 9: 25, ſeqq. & 10: 11, ſeqq. ג. facta eſt ex æterno pacis conſilio, ἐν *ἄιματι διαθήκης ἀιωνίȣ, Hebr.* 13: 20.

12. Ad probandam ſacrificii Chriſti vim ſempiternam, vulgo ſolet allegari, *Apoc.* 13: 8. ſed vocabula ultima, *ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ*, ſunt conſtruenda non cum participio *ἐσφαγμένȣ mactati*, verum cum paulo antecedentibus: *γέγραπται ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς*, ut ſenſus ſit, eos beſtiam

Digitized by Google

adorare, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ à jactis mundi fundamentis. *Knachtb.* Sic *Apoc.* 17 : 8.

13. Cæterum quia Chriſtus eſt ſacerdos æternus, ideo neque collegas, neque ſucceſſores, neque vicarios, in iſto munere habere poteſt; quem ad modum nec alius præter Melchiſedecum ipſum fuit ordinis Melchiſedeciani ſacerdos, *Hebr.* 7 : 15-17.

14. Quare injuriam ſupremo Pontifici noſtro faciunt Romani ſacrifici, jactantes ab ipſis continuari & ſacerdotium & ſacrificium Chriſti, ad expianda viventium & mortuorum delicta.

15. Chriſtiani ſunt ſacerdotes, quatenus Deo & Liberatori cor humile & contritum, vitam, opes, laudes, offerunt, *Apoc.* 1 : 6. *Pſ.* 51 : 19. indigis autem & pauperibus ſtipem, *Hebr.* 13 : 16. *Philip.* 4 : 18. non ad expiationem peccatorum, ſed ad grati animi teſtificationem.

16. Adhiberi in hac materia communiter ſolet vox *interceſſionis* pro deprecatione, oratione: Latine Ciceroni *impedimentum* ſignificat; nam *intercedere* eſt impedire. unde ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν *Beza* reddit: *poſtulat pro nobis*; Vulgat. *interpellat pro nobis, Rom.* 8 : 34. *Eraſm.* tamen: *intercedit pro nobis.* puto *Seneca* fretus, ſcribente: *nolo per interceſſorem mutueris* æs alienum, *Epiſt.* 119. per mediam perſonam contrahentes partes jungentem; per pararium, conciliatorem.

CA-

CAPUT X.

De Meſſia officio prophetico.

1. ID Scriptura paſſim tribuit Jeſu Chriſto, vocans Eum *prophetam*, *Deut.* 18 : 15. *loquentem illum*, *Eſai.* 52 : 6. Λόγον *Sermonem*, *Joh.* 1: 1. 1 *Joh.* 5 : 7. Chaldæo interpreti מוּמְרָא, *Doctorem ad juſtitiam*, *Joel.* 2 : 23. *præceptorem & teſtem nationum*, *Eſai.* 55 : 4. *fidum illum teſtem*, *Apoc.* 1 : 5. *præconem*, *Habak.* 2 : 3.

2. Uti enim Patris eſt Sapientia, *Prov.* 8 : 1. ita nobis quoque factus eſt ſapientia, 1 *Cor.* 1 : 30. habens verba vitæ æternæ, *Joh.* 6 : 68. & juſſus audiri, *Deut.* 18 : 15. *Matth.* 17 : 5. ceu Patris legatus, *Eſai.* 48 : 16. *Joh.* 12 : 49. & Apoſtolus noſtræ adſtipulationis, *Hebr.* 3 : 1.

3. Nomen *Prophetæ* frequenter notat quemcunque legis interpretem, vel doctorem, 1 *Sam.* 10 : 10, 11. 1 *Cor.* 14 : 29. 32. ſed per excellentiam dictus Propheta erat Vir Deo familiariſſime utens, & miſſus ab eo præter ordinem, ad corrigenda vitia cultus publici, & reprehendenda ſcelera late graſſantia, atque ad annunciandum Verbum Dei, quo ſæpe futuri eventus continebantur.

4. Dicta ſua proferebat impulſu Spiritus S. 2 *Sam.* 23 : 2. 2 *Petr.* 1 : 21. qui & linguam & manum ejus ita regebat voluntate omnipotenti, ut neque rem, neque vocem adhiberet, niſi quam Spiritus ipſe vellet.

5. Nonnulli prophetæ conciones ſuas confirma-

 bant

Digitized by Google

bant miraculis, quibus vel boni juvabantur, vel mali puniebantur, vel populus univerſus de potentia & præſentia Dei per vatem loquentis convincebatur, 1 *Sam.* 12:16-18. 1 *Reg.* 18:36. 2 *Reg.* 5: 8. *Act.* 3:10, 11. & *c.* 4:16.

6. Quæ omnia modo excellentiſſimo Jeſu Chriſto conveniunt, nam *in principio*, ſive ab æterno, *erat apud Deum*, *Joh.* 1:1. *in ſinu Patris*, vſ. 18. & audiebat videbatque ab Eo, quæ hominibus annunciaret, *Joh.* 3:32. & 8:26. ut nihil ex ſe loqueretur, ſed id quod Pater mandaverat, ut loqueretur & diceret, *Joh.* 12:49. & 14:10.

7. E cœlo miſſus in terram tempore I. afferebat promiſſionem Seminis liberantis; tempore II. in monte Sinai eloquebatur X. verba fœderis: & in fine illius mittebatur à Deo carne indutus, *Hebr.* 1: 1. ad annunciandum Evangelium, *Eſai.* 61:1, 2. & purgandos filios Levi, aurique inſtar & argenti conflandos, *Malach.* 3:3. i. e. ad corrigendam religionem à ſacerdotibus & legis interpretibus corruptam.

8. Hinc nunciabat, agendam eſſe pœnitentiam, fidemque habendam Evangelio, *Matth.* 4:17. fata regni cœlorum per parabolas indicabat, *Matth.* 13. 20, 21. 25. capp. *Luc.* 15. legem Moſis vindicabat à corruptelis Phariſaicis, docens: illa præſertim animi puritatem, neque vero ſolam actionum externarum innocentiam poſtulari, *Matth.* 5:17, ſeqq.

9. Pietatem larvatam, propriæ juſtitiæ opinionem, injuſtitiam, avaritiam, juramenta temeraria, ambitionem, crudelitatem, & alia flagitia, ſine reſpectu perſonarum, ſeveriſſime condemnabat,

Matth.

Digitized by Google

Matth. 6. & 23. cap. *Luc.* 18. formulam orandi præſcribebat, Exordio, ſex petitionibus & Epilogo comprehenſam, *Luc.* 11. *Matth.* 6.

10. Oracula prophetarum explicabat, contra adverſarios è ſacris Scripturis pugnabat, rudes erudiebat, imbecilles confirmabat, triſtes ſolabatur, ſuperbos taxabat, docens in templo, in ſynagogis, montibus, navibus, viis & ubique locorum, libere, potenter & cum autoritate, *Matth.* 7:29. *Joh.* 7:46.

11. Nemo hominum novit ea quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis qui in eo eſt, 1 *Cor.* 2:11. ita etiam quæ Dei ſunt, nemo novit, niſi ſpiritus Dei: Chriſtus quatenus eſt Dei Filius, habet Spiritum Dei, naturam divinam, omnia intelligentem & ſcientem; humana vero illius natura eſt perfuſa donorum Spiritus S. pleniſſima menſura, *Eſai.* 11:2. *Joh.* 3:34.

12. Ideo novit Patrem ejuſque conſilia, *Matth.* 11:27. *Coloſſ.* 2:3. ac potuit lingua erudita, למורים, *Eſai.* 50:4. retegere myſteria ſalutis, quæ nullus oculus vidit, nulla auris audivit, nec mens hominis cogitavit, 1 *Cor.* 2:9.

13. Et tali quidem propheta indigebamus, qui viam ſalutis monſtraret cœcis, & incedentibus in tramite ad exitium ducente; humano ingenio à Spiritu Dei haud illuſtrato, pro religione ſuperſtitionem, pro pietate faſtum, pro veritate errores gignente.

14. Sed Filius Dei eſt via, veritas & vita, *Joh.* 14:6. nomen Patris in terra hominibus fecit manifeſtum, *Joh.* 17:6. & fratribus annunciavit laudes Dei, *Pſ.* 22:23. ut populus in tenebris ambulans videret

Digitized by Google

deret lucem magnam, & ſuper habitantes in terra umbræ mortis ſplenderet lumen, *Eſai.* 9 : 2.

15. Doctrinam ſuam Chriſtus confirmabat miraculis, digito Dei, *Matth.* 12 : 28. virtute Patris, non uſu nominis *Jehova*, patratis, *Joh.* 10 : 37, 38. editurusque potentiæ ſignum implorabat Patrem, *Joh.* 11 : 41. quia factus Patris ſervus divinitatem occultavit, & ſolius Patris gloriam quæſivit, *Joh.* 7 : 18. & 8 : 50. qua de cauſſa & miracula facta vulgari prohibuit, *Matth.* 8 : 4.

16. *Sociniani* fingunt, Jeſum prophetam didiciſſe Patris voluntatem in cœlo, in quod paulo poſt baptiſmum fuerit raptus; hanc voluntatem contineri novo fœdere; fœdus novum comprehendere & præcepta & promiſſa Dei perfecta.

17. *Præcepta* perfecta concludi cum lege Moſis, tum additamentis Chriſti & Apoſtolorum. nam ſummæ de amore Dei additum mandatum de amore Chriſti & Dei in Chriſto; præcepto I. adjectum id de precatione, ac fiducia in Chriſto ponenda. II. interdictum carnis ſacratæ idolis. III. interdictum juramenti temerarii, atque licentiam jurandi per Dominum Jeſum. IV. ceu carnale omnino eſſe abrogatum.

18. Alteri legis parti de amore proximi additum mandatum diligendi homines omnes, idque ſupra nos, & moriendi pro fratre. ad præceptum V. pertinere officia Magiſtratuum ac civium, conjugum, parentum ac liberorum, dominorum ſervorumque. VI. additum ajunt interdictum iræ, verborum aſperorum, ultioniſque per Magiſtratum. VII. polygamiæ, libidinis, divortii, ſermoniſque ob-

obſcœni. VIII. avaritiæ. IX. obtrectationum leviumque mendaciorum. X. cupiditatis iniquæ ſine conatu operis.

19. *Promiſſa* perfecta eſſe vitam æternam, & Spiritum S. bona legi Moſis ignota, & primum à Chriſto perfectiorem legem ſuam ſervantibus promiſſa. *Catech. Racov.*

20. At literæ ſacræ ignorant hunc Chriſti in cœlos raptum; neque Filius Dei, in cujus humana mente quievit Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, *Eſai.* 11 : 2. habuit opus rapi ad Patrem, ut ejus voluntatem audiret, velut qui jam XII. ætatis anno ſtupendum cognitionis rerum divinarum ſpecimen edidit, *Luc.* 2 : 46, 47.

21. Legi Moſis, quam ſervans ex ea vivit, nihil addi potuit; exigit enim ſummum Dei amorem, *Matth.* 22 : 37. & ſanctitatem perfectiſſimam; vetuitque Jehova diſerte, legi integræ quidquam adjici, vel detrahi: *Deut.* 4: 2. *Pſ.* 19 : 8. neque decet ſanctitatem Dei, ab ullo homine imperfectam modo obedientiam poſtulare, dimidiaque ſaltem officiorum parte acquieſcere.

22. Chriſtus legem implevit, *Matth.* 5 : 17. perfecte eam noſtro loco præſtans, *Rom.* 8: 4. & 10: 4. non adjiciens præcepta nova. *novumque mandatum* de amore mutuo, *Joh.* 13 : 34. eſt modo aliud, diverſum ab iis quæ Dominus antea dedit, vſ. 14, 15. neque poteſt hæc lis de additione novorum præceptorum componi, diſtinguendo inter ſenſum legis *literalem* & *myſticum*, uti putat *Philipp. à Limborch.* tota enim lex ſpiritualis eſt, *Rom.* 7 : 14. poſtulans amorem Dei è toto corde, tota anima & mente, *Matth.* 22 : 37.

23.

23. In V. T. jam Iſraëlitæ jubebantur, Meſſiam, Deumque Patrem in Meſſia, amare, invocare, *Exod.* 20: 3. & 23: 21. *Pſ.* 18: 2. *Dan.* 9: 17. *Pſ.* 50: 15. omnem idolorum communionem, *Deut.* 12: 2, 3. 2. *Reg.* 18: 4. ac juramenta levia & temeraria fugere, *Deut.* 5: 11. quoſcunque homines peregrinos, imo & inimicos diligere, *Exod.* 22: 21. & 23: 4, 5. Magiſtratus, *Exod.* 22: 28. heroſque familiarum honorare, *Exod.* 21: 2-4.

24. Iræ & vindictæ *Deut.* 21: 12, ſeqq. ſtudium, libido obſcœna, *Eſ.* 5: 11. 22. comeſſationes, avaritia, *Exod.* 18: 21. obtrectationes, mendacia, cupiditates &c. ſimiliter ubique prohibentur à ſanctiſſimo Legislatore, malum nunquam probante.

25. In præcepto IV. oportet diſcernere id quod perpetuum eſt à temporario; otium diei ſeptimæ pertinebat ad ritus legis placitorum, quorum terminus incidit in finem Reip. Hebrææ: at tempore juſto & frequenti, ſepoſitis laboribus aliis, laudare Deum publice, & meditari illius arcana, perpetui & immutabilis juris eſt. Cauſſa alias religione magis ac diſceptatione definienda.

26. Ritus legis placitorum exacti non debuerunt ſervari ultra tempus correctionis, *Hebr.* 9: 10. ideoque à Chriſto & Apoſtolis abolebantur; verum in præſenti diſputatione ſermo eſt de lege perfectum Dei & hominis proximi amorem poſtulante, quam eſſe immutabilem, nullique correctioni obnoxiam contendimus; effigiem Dei immutabiliter ſancti.

27. Lege Moſis divortia non probabantur, *Malach.* 2: 14, 15. ſed tolerabantur ob durum populi

puli Judaici cor, *Matth.* 19: 8. ad evitandum majus malum. polygamiam pariter nulla lex firmabat, ſed conſuetudo & prolis ſuſcipiendæ cupiditas excuſabat: quin Reges Iſraelitarum diſerto mandato uxorum multitudine interdicebantur, *Deut.* 17: 17.

28. Evangelio nec defenſio cauſſæ propriæ in foro civili, nec punitio criminum per Magiſtratus improbatur; jubet enim, ut paterfamilias rem ſuam curet, ac domeſticos nutriat, *Eph.* 5: 29. 1 *Tim.* 5: 8. item, ut pareamus Magiſtratui, gladium non fruſtra gerenti, *Rom.* 13: 3, 4.

29. Tamen Chriſtianos dedecebat, judices paganos ſollicitare de quibuſcunque levibus cauſſis, 1 *Cor.* 6: 1-7. præſtatque ſemper, lites fratrum amice componere, adhibitis arbitris, quam tribunalia acerbis clamoribus implere. Cæterum Moſis ſoceri conſilium, de ſeligendis judicibus conſuetudine gentium, non jure Hebræo nitebatur, *Exod.* 18: 17, ſeqq.

30. Concedimus, Dominum attuliſſe præſtantiora promiſſa iis, quæ obtingebant heredibus ante Meſſiæ adventum ac mortem; ſed, ut loquitur ſchola, *gradibus*, non tota *eſſentia* præſtantiora. nam I. quoque & II. tempore filios Dei accepiſſe ſalutem & gratiam cœleſtem in Chriſto, idque convenienter pollicitationi divinæ, ſuo loco oſtendimus.

31. *Pontificii* credunt, Liberatorem perfeciſſe legem Moſis tribus *conſiliis Evangelicis*, continentiæ, paupertatis, & obedientiæ: quæ à præceptis differant materia, ſubjecto, forma & fine:

32. Materiam enim præcepti eſſe faciliorem, conſilii difficiliorem; præceptum eſſe commune

omni-

omnium, conſilium non item; præceptum obligare vi ſua, conſilium in arbitrio hominis poſitum eſſe; præceptum obſervatum habere præmium, ſi negligatur, ſequi pœnam; conſilium ſi non ſervetur, pœnam habere nullam, ſi ſervetur, præmium majus, *Bellarm.* l. 2. de *Monach. c.* 7, 8.

33. Sed in Scriptura S. conſilium pro præcepto ſumitur, *Apoc.* 3: 18. idem nempe opus, quatenus eſt pars officii, ad quod præſtandum ſumus obligati, dicitur mandari, præcipi; quatenus autem homini id præſtanti eſt utile, & præmium confert, ſuaderi dicitur, vel conſuli.

34. Continentia à matrimonio, aut cœlibatus, ſua natura eſt ſtatus indifferens, nec illi, qui dono continentiæ pollet, majorem conciliat ſanctitatem, ſed commodior eſt, præſertim tempore calamitoſo, & liberior à vitæ hujus negotiis curiſque moleſtis, 1 *Cor.* 7: 8. 26-29. aptiorque cultui Dei, vſ. 32-34.

35. Paupertas haud eſt perfectio ſanctitatis, ſed ſtatus miſerabilis peccato introductus, in quo verſantes inepti ſunt ad liberalitatem exercendam; & quando membra Chriſti viva ſervari nequeunt ſine impendio omnium opum noſtrarum, profecto ad eas pauperibus elargiendas obligati ſumus, niſi immiſericorde judicio damnari velimus.

36. Hominibus obedire non oportet, niſi quum Dei præcepta commendant; nam redemti pretio, & in libertatem vindicati, ſervi hominum fieri non debemus, 1 *Cor.* 7: 23. *Jacob.* 4: 12.

CA-

CAPUT XI.

De Meſſiæ munere regio.

1. DEus ter O. M. ſicut totius mundi, ita & humani generis Rex eſt, *Malach.* 1 : 14. 1 *Tim.* 1 : 17. *Dan.* 4 : 3. 34. id enim condidit, *Act.* 17 : 26. regitque, ut in Ipſo vivamus, moveamur, & ſimus, vſ. 28. propterea dignus, qui accipiat gloriam, & honorem & potentiam, *Apoc.* 4 : 11.

2. At primus jam homo detrectavit ſupremo huic Regi obedire, maluitque dicta ſerpentis deceptoris audire: unde peccatum intravit in mundum, *Rom.* 5 : 12. violatio legis regiæ, *Jacob.* 2 : 8. 1 *Joh.* 3 : 4. à Deo, Rege ſummo, latæ: peccati & mortis lege ſuccedente, *Rom.* 8 : 2.

3. Hinc genus humanum, juſto Dei judicio, poteſtati Satanæ eſt ſubjectum, tanquam Dei & principis hujus mundi, 2 *Cor.* 4 : 4. *Joh.* 12 : 31. & 14 : 30. ſubditos ſibi homines laqueo detinentis, 2 *Tim.* 2 : 26. 2 *Petr.* 2 : 19. atque hic omnium hominum ſtatus eſt naturalis.

4. Sed gratias agimus Patri, *qui idoneos nos fecit ad participandum ſortem ſanctorum in luce, & liberatos è poteſtate tenebrarum tranſtulit in regnum Filii ſui chariſſimi, Coloſſ.* 1 : 12, 13. illud gratiæ regnum, corruptos inter homines erectum, è quibus populum Liberatori gubernandum dedit.

5. Is qui munus hoc gerit, eſt Jeſus Chriſtus, Dei Filius, verus Deus ac Jehova, *Pſ.* 2 : 7. & 5 : 3. & 84 : 4. *Jerem.* 23 : 6. ſecus non poſſet eſſe Rex noſter,

noſter, in quo ponenda fiducia, *Pſ.* 2:12. & 146:3. qui oſculandus, ſive adorandus, *Pſ.* 97:7. & 99:5. ut male credant *Sociniani*, Jeſum vocari Deum & Dei Filium, quia ſit Rex & Dominus noſter. imo Rex fieri potuit, quia Deus eſt, *Coloſſ.* 1:15. *Hebr.* 1:2.

6. Regnum accepit à Patre, *Luc.* 1:32. *Act.* 2:36. *Pſ.* 110:1. *Luc.* 22:29. mundi Creatore, cujus voluntatem præſtitit factus ſervus, nomenque declaravit, *Joh.* 17:6-26. unde Rex Iſraëlis venit in nomine Domini, *Joh.* 12:13. *Matth.* 21:9. Davide precante: *nomen Dei Jacobi extollat Te*, *Pſ.* 20:2.

7. *Populus* hujus Regis ſunt illi, quos Pater è dominio Diaboli liberare ſtatuit, Filioque peculium & hereditatem dedit, *Pſ.* 2:6, 8. *Joh.* 17:6. λαὸν περιούσιον, *Tit.* 2:14. ut ſit Dominus ad gloriam Dei Patris, *Philip.* 2:11. vocantur & Εκκλησία, *Eph.* 1:22. cœtus è mundo evocatus, *Joh.* 17:6.

8. Etiam ſancti *Angeli* ad regnum Chriſti pertinent, *Eph.* 1:20, 21. 1 *Petr.* 3:22. nam omnia ſub ejus pedes poſita ſunt, *Pſ.* 8:7. *Hebr.* 2:8. adorent eum omnes Angeli Dei, *Pſ.* 97:7. *Hebr.* 1:6, 7. σύνδουλοι noſtri, *Apoc.* 19:10. ſubjecti Filio Dei, quod prius minor iis fieri voluit, *Pſ.* 8:6. *Hebr.* 2:7-9. non quod ſanguine ſuo eos redemerit.

9. *Hoſtes* hujus regni, Satanas, pravus mundus, corrupta hominis natura, & mors, utique non pertinent ad Domini noſtri regnum, Ei tamen ſunt ſubditi, ſcabellum pedum poſiti, *Pſ.* 110:1. 1 *Cor.* 15:25. *Hebr.* 1:13.

10. Et Satanæ quidem caput contrivit, *Gen.* 3:15.

15. morte abolens mortis imperio potitum, *Hebr.* 2 : 14. mundum pravum, regno ipſius obnitentem, virga conquaſſat ferrea, *Pſ.* 2 : 9. deprimens caput ejus, *Pſ.* 68 : 22.

11. Peccatum quod regnavit in mortali corpore, *Rom.* 6 : 12. condemnavit in carne, *Rom.* 8 : 3. olim morte deſtruendum, vſ. 10. omnium hoſtium ultimus aboletur mors, 1 *Cor.* 15 : 26.

12. Regia dignitas Jeſu Chriſti complectitur *jus in cives* ſui regni, partim *autoritatem*, qua inter eos pollet. *jus* in eos habet ampliſſimum, velut in populum ſuum ſibi acquiſitum, in hereditatem & peculium, *Matth.* 1 : 21. *Pſ.* 110 : 3. & 2 : 8. & 16 : 6. *Tit.* 2 : 14.

13. Hac ratione eos à Patre petere poteſt tanquam ſuos, ut ne ab ejus juſtitia tradantur morti: ſed ad vitam & ſalutem perducantur, *Job.* 33 : 24. *Joh.* 17 : 24. *Pſ.* 20 : 5. & 21 : 3. & Pater quoque implet poſtulata Filii, ſemper eum exaudiens, *Joh.* 11 : 42.

14. Antea populus Chriſti erat Patris, qui modo peculiari ceu Creator, Legiſlator & judex noſter conſiderari vult: verum dedit nos Filio, *Joh.* 17 : 6. 9. ea lege, ut nos è dominio Satanæ & peccati vindicaret morte ſua, qua pœnam noſtrorum criminum perferret.

15. Inde & Chriſtus pleniſſimam à populo ſuo exigere poteſt obedientiam. nam quia Chriſti ſumus, oves paſcui ipſius, 1 *Cor.* 3 : 23. *Pſ.* 100 : 3. juſtum eſt, ut ei ſerviamus cum lætitia, corpore & ſpiritu, 1. *Cor.* 6 : 20. *Luc.* 1 : 74. diſſimiles civibus improbis, Regem odio habentibus, *Luc.* 19 : 14.

Digitized by Google

16. In Angelos, licet ſanguine ſuo non redemptos, Chriſtus Rex jus habet, quia eos à Patre in ſuam accepit poteſtatem, Rex magnus ſuper omnes Deos, *Pſ.* 95 : 3. & 97 : 9. ſpiritus miniſterio noſtro deſtinatos, *Hebr.* 1 : 14.

17. *Autoritate* Chriſtus inter ſuos pollet regia. eſt enim reapſe noſter Rex, *Joh.* 18 : 37. Dominus, 1 *Cor.* 8 : 6. & 12 : 3. Dominus dominantium, *Apoc.* 17 : 14. & 19 : 16. caput Eccleſiæ, *Eph.* 1 : 22. & 5 : 23. *Coloſſ.* 1 ; 18.

18. Regium Chriſti *munus* conſiſtit in gubernatione populi ſui. hunc autem gubernare intelligitur, quando facit, ut ſinguli cives ſecundum leges regni vitam inſtituant, & ſic in regno bene & tranquille vivant. quare manifeſtum eſt, gubernationem variare pro vario populi gubernandi ſtatu.

19. *Lex* regni eſt ſanctiſſima Regis voluntas, ab abſente tradita verbo, ſancita promiſſionibus & minis, præmiis & pœnis. *defenſio* valida adverſus hoſtes, felicem & tranquillam civium vitam turbaturos, dum præſens regni ſtatus durat, *Joh.* 10: 29. *Matth.* 16 : 18. quatiendus undique, ſed immobilis cuſtodia.

20. Quando autem populus vivit cum Rege ſuo, voluntatem ex præſente novit ; & conſtitutus extra peccandi periculum, nullo indiget freno, quo intra limites obedientiæ coërceatur, aut extra eos vagatus reducatur. extinctis autem hoſtibus, in ſtatu ſanctitatis & beatitudinis, ſola Regis gratia ſervatur.

21. Cæterum *gubernatio* regni Chriſti ſemper eſt juſta, ſapiens, & potens. *juſta*, nam ſceptrum

no-

Digitized by Google

noſtri Regis eſt ſceptrum æquitatis, *Pſ.* 45:7, 8. *Eſai.* 11:3, 4 *ſapiens*, *Prov.* 8:14. *Eſai.* 11:2. *potens*, nam penes Ipſum eſt fortitudo, omnipotentem, validum. *Apoc.* 1:8. *Pſ.* 24:8. qui emittit virgam robuſtam, *Pſ.* 110:2. *Eſai.* 52:10.

22. Ei populus debet cultum, amorem, laudes, obſequia, fiduciam, conſtantem fidelitatem; *Pſ.* 45:12. & 22:24. ſuperior mundi blanditiis, fraudibus; corde mundo, manibus puris: à ſolo Rege ſuo auxilium & ſalutem ſperans. *Pſ.* 24:4, 5.

23. Ex iſtis omnibus apparet, regnum Chriſti à natura modoque regnorum terreſtrium omni ratione differre, *Joh.* 18:36. ſive Regem ipſum, ſive ejus populum cum hoſtibus ſpectemus; ſive ad jus Regis in populum, ſive ad regni adminiſtrationem, ſive ad officium populi attendamus.

24. *Rex* eſt Dominus è cœlo, Dominus gloriæ, 1 *Cor.* 15:47. *Pſ.* 24:7, 8. cujus ſolium in cœlo eſt, omnique terrenorum ſede glorioſius, *Pſ.* 11:4. & 103:19. *Populus* Regis eſt peculium & hereditas ejus, nota ſoli Domino, 2 *Tim.* 2:19. ut ipſum regnum haud obſervetur, *Luc.* 17:20. ſicuti terreſtria ſpectantur. *hoſtes* ſunt diabolus, mundus, peccatum, mors, nullis ſubigendi armis terreſtribus. *Gen.* 3:15. *Pſ.* 97:10. *Hoſ.* 13:14.

25. *Jus* Chriſti Regis in populum ſuum nititur donatione Patris, & liberatione populi ipſius è poteſtate Satanæ: quæ nihil habent commune cum jure, quo Reges hujus mundi regna ſua poſſident.

26. *Adminiſtratio* regni talis eſt, ut Rex dominetur civium animis, illorumque cogitationes, affe-

fectus, & actiones ad divinam legem efformet: juſtitiam, pacem & vitam in Deo largiens: quale nihil in terreſtrium principatuum gubernatione cernere eſt. Terrena bona præcipuá, vel propria non ſunt, neque perpetua ſi aliquando Eccleſiæ tribuantur: magis arridentia inimicis.

27. Etiam *officia* hujus populi multum differunt ab eo, quod cives Regibus debent. hi accipiunt tributam pecuniam, quo vitam agant regiam regnumque publicis opibus tueantur; coluntur honore eminentiam regiam demonſtrante, & obſequiis, ſed ad Dei mandatum. Chriſtus mente colendus.

28. *Judæi* ſi hæc & alia conſiderarent, vanam terreni Regis ſpem deponerent, qua diu ſeſe lactantes ſpreverunt Jeſum Nazarenum; aliquando tamen amplexuri Regem Davidem, *Hoſ.* 3 : 5.

29. Et male *Sociniani* regium Chriſti munus cum ſacerdotali confundunt, aut ſaltem non ſatis diſtinguunt: nam Jeſus in ſolio Jehovæ & dominatur, & ſacerdos eſt. *Zach* 6 : 13. *Apoc.* 1 : 5.

30. Eſt Jeſus noſter ſacerdos *victima* in terris, *Eſai.* 53 : 10. *Joh.* 17 : 19. *precatione* in cœlo: *Hebr.* 7 : 25. & 9 : 24. at regium in nos jus habet, quia moriendo in ſuam nos poteſtatem vindicare voluit: regnumque adminiſtrat, faciens, ut cives legibus regni obediant, & beate vivant: quæ a functionibus ſacerdotalibus plurimum diſtant.

31. Quatenus *ſacerdos* eſt Servator, non modo vult, ſed quoque poteſt nos juvare: nam ſervare omnino poteſt eos, qui per Ipſum ad Deum accedunt, ſemper vivens, ut oret pro iis, *Hebr.* 7 : 25. quatenus *Rex* eſt, non modo poteſt, ſed quoque vult

vult nos juvare, & juvat reapſe: revera enim nos regit ex præſcripto legum regni, vitaque donat tranquilla & beata.

32. Equidem Chriſtus à Deo Patre noſter eſt conſtitutus Rex, quia noſter fieri ſacerdos non detrectavit; at hinc non ſequitur, Eum ex Dei gratia Regem eſſe: regnum enim obtinuit ex æterno cum Patre pacto, cujus leges pleniſſime præſtando, jus poſtulandi regni acquiſivit. Igitur voluntas Patris Filio regnum tribuens, reſpectu noſtri gratia, *Philip.* 2: 9. reſpectu Filii juſtitia eſt: uti occaſione alia jam monui.

33. Differt præterea regium Chriſti munus à *Prophetico.* etenim qua propheta eſt fidus ille teſtis, *Apoc.* 1:5. qui Patris voluntatem de medio liberationis hominum, viſam auditamque in ſinu Patris, expoſuit. *Joh.* 1: 18. & 3: 11, 12. Spirituque S. veritatem ſermonis ſui ita conſcientiis noſtris perſuadet, ut ſimus docti à Deo, *Eſai.* 54: 13. *Joh.* 6: 45.

34. At qua Rex eſt, illos qui teſtimonium ipſius credunt, gubernat & beat. Equidem populum ſuum Verbo & Spiritu partim docet, partim regit, atque nos dum Ei velut ſupremo veritatis Doctori fidem habemus, aut tanquam Regi obſequia præſtamus, Verbo & Spiritui illius obedimus. unde verbum ſceptro comparatum, *Pſ.* 110: 1.

35. Verum temporis heic oportet momenta diſcernere, ut rei diverſitas appareat. ſcil. quando primum virtuti Spiritus S. cedimus, & verbum Chriſti credimus eſſe verbum Dei, verum & ſalutare, tum Chriſto tanquam Prophetæ obtemperamus, & in regnum ejus transferimur.

Digitized by Google

36. Poſt, quum vitam inſtituimus, uti cives regni decet, ſecundum legem, quam modo ut veram, ſanctam & bonam recepimus, viventes, & ductum Spiritus S. porro ſequentes, obedimus Chriſto tanquam Regi: ſive Chriſtum amplectentes Prophetam, nos ei ſimul ut Regi ſubjicimus.

37. Videndum nunc, quando regnum Chriſti, & regium ejus officium, cœperit: quod ut recte fiat, deſtinatio ad regnum, jus in populum, populus ipſe, perſona & ſtatus Regis, & regni adminiſtratio probe diſtinguenda ſunt.

38. Deſtinatus eſt Chriſtus ad regium munus ab æterno: nam ante jacta mundi fundamenta Pater ei dedit gloriam, quia dilexit eum, *Joh.* 17: 5. 24. & Sapientia eſt uncta à ſeculo, *Prov.* 8: 23. i. e. conſecrata, vel deſtinata ad munus inter Deum & homines peragendum, præordinatus ante conditum mundum, 1 *Petr.* 1: 20. ab æterno quoque populus Ipſi eſt attributus, *Eph.* 1: 4. 2 *Tim.* 1: 9.

39. Jus regium in ſuos habuit Filius Dei, quam primum illi cœperunt exiſtere; ſive potuit eos à Patre poſtulare velut ſuos, etiam quum nondum morte ſua eos redemiſſet, quia Pater pro tempore acquievit illius ſponſione: à civibus regni vero velut à ſuis potuit cultum & obedientiam exigere, quoniam pro iis ſpopondit.

40. Quare & jam ante toleratam mortem regia inter eos eminuit autoritate, *Pſ.* 5: 3. & 20: 10. *Zach.* 9: 9. utpote natus Judæorum Rex, *Matth.* 2: 2. tum quoque jam adminiſtravit regnum, regens populum ſuum voce & ſpiritu, obſequio promtos defendit, in terram quietis introduxit, &

con-

contumaces punivit, *Exod.* 23: 20, ſeqq. *Eſai.* 63: 9-11.

41. Ubi homo factus eſt, natura humana in regiæ poteſtatis conſortium venit, ideo & Magi Jeſum θεάνθρωπον adorarunt in cunis vagientem, *Matth.* 2: 11. & humilem adhuc Judæi Regem ſalutarunt, *Joh.* 1: 50. & 12: 13. nam ſuos tum jam in regnum beatum perduxit, *Luc.* 23: 42, 43. ſuſcitatus à mortuis regnat in gloria.

42. Ad hæc uſque tempora ſoli Judæi fuere filii regni, *Matth.* 8: 12. ſed poſt adſcenſionem Chriſti Regis in cœlum, gentes quoque cæteræ ad regnum ipſius è dominio Satanæ tranſduci cœperunt.

43. Rex erit in æternum, *Luc.* 1: 33. *Dan.* 2: 44. & 7: 14. 2 *Sam.* 7: 13. falſo ſcribente *Oſtorrod.* civibus hujus regni ſalutem, gloriam & lætitiam tum iri datum, quum regni hujus ſpiritualis veniet finis. *Agnus qui in medio ſolio eſt, paſcet eos, deducetque ad vivos aquarum fontes, Apoc.* 7: 17.

44. At ſuos non amplius reget verbo, nec minis vel promiſſionibus, pœnis aut præmiis, intra obſequii limites continebit, nec ab hoſtibus defendet. regnabit autem partim quia Deus eſt, cum Patre & Spiritu S. partim quia Liberator noſter eſt: traditurus regnum Deo & Patri, ut Deus ſit omnia in omnibus, 1 *Cor.* 15: 24.

45. Nempe volet Filius Dei una cum Patre & Spiritu S. ut electi homines Angelique ipſum tota mente invocent, omni ſtudio colant, & ob accepta beneficia laudent: item, ut omnis mali ſint expertes, atque omni felicitate in æternum abundent.

Digitized by Google

tum Filius ſubjicietur Patri, ut perſona ſecunda primæ. 1 *Cor.* 15:28.

46. Ut vero Chriſti regnum durabit poſt mundi finem: ita quoque duravit, quamdiu mundus exiſtit, pro diverſitate temporum varie adminiſtratum. tempore I. aſſumebatur ejus populus, non valde numeroſus, è variis gentibus ac familiis, gubernabatur promiſſione Seminis liberantis; terrebatur diluvio, incendio Sodomitico; Babyloniæ turris diſſipatione abſterrebatur ab humani nominis veneratione. ab ætate Abrahami notabatur ſigno circumciſi præputii.

47. Tempore II. gens Hebræa adoptabatur in peculium Meſſiæ, beneficiis & pœnis multis afficienda, lege erudienda & typis Chriſtum præfigurantibus, ſubjecta pædagogis & curatoribus, officiis ſervilibus oneranda; ſimul Regem in tabernaculo & templo audiens.

48. Sub extremam V. T. periodum Bethlehemo exivit Dominator Iſraëlis, *Mich.* 5:2. *Matth.* 2:2. *Zach.* 9:9. miſſo prænuncio viæque paratore, Johanne B. *Eſai.* 40:3. *Malach.* 3:1. *Matth.* 3:3. tum factus quidem ſervus dominorum, *Eſai.* 49:7. conſtitutus ſub lege, *Galat.* 4:4. pro Rege tamen à multis habitus, *Joh.* 6:15. *Matth.* 20:21. ſperantibus, Eum Iſraëlis regnum reſtituturum, *Act.* 1:6.

49. At vero adpropinquaverat regnum Dei, *Marc.* 1:15. *Matth.* 3:2. & 4:17. & quicquid in Eccleſiæ regno humani aut terreni cernebatur, mox abolendum erat morte Regis Chriſti, *Matth.* 26:29. *Luc.* 22:18. *Marc.* 14:25. qui vitæ reſti-

Digitized by Google

tutus accepit omnem poteſtatem in cœlo & in terra, *Matth.* 28 : 18. abrogatis ſeculi illius principatibus, *Hebr.* 2 : 5. 1 *Cor.* 2 : 6.

50. Quadrageſimo à recuperata vita die adſcendit in cœlum ad occupandum regnum, *Luc.* 19 : 12. ſeditque ad dexteram Patris, *Marc.* 16 : 19. *Coloſſ.* 3 : 1. *Hebr.* 1 : 3. & 8 : 1. & 12 : 2. decimo poſt effudit Spiritum S. *Act.* 2 : 33. *Joh.* 14 : 16. & 15 : 26. & 16 : 7. tanquam *legatus*, vicarius *Patris*, uti loquitur *Calvinus*.

51. Judæos ſceptro ſuo reſiſtentes, dicenteſque: *nolumus hunc regnare ſuper nos*, *Luc.* 19 : 14. ejecit in tenebras extimas *Matth.* 8 : 12. regnumque iis ablatum gentibus dedit, *Matth.* 21 : 23. factus Rex ſuper gentes, *Pſ.* 47 : 9. & 96 : 10. *Matth.* 8 : 11. & 16 : 28.

52. Ultimo die veniet Rex, ut honoretur in Sanctis ſuis, & mirabilis ſit in fidelibus ſuis, 2 *Theſſ.* 1 : 10. judicaturus nomine Patris vivos & mortuos, *Joh.* 5 : 22. *Act.* 17 : 31. ſeſſuruſque in ſolio gloriæ pios compellabit: *venite Benedicti Patris mei, poſſidete regnum à mundi conſtitutione vobis paratum*, *Matth.* 25 : 31. & impios contra ablegabit in ignem æternum, Diabolo & ejus Angelis paratum, vſ. 41. hircis ſcientia falli neſcia ſeparatis ab ovibus.

Digitized by Google

LIBER SEXTUS
De Conſilii Gratiæ Executione per Novum Teſtamentum tempore tertio.

CAPUT I.

De Novo Teſtamento & Evangelio.

1. MEmoratur illud *Matth.* 26 : 28. *Luc.* 22 : 20. 2 *Cor.* 3 : 6. *Hebr.* 9 : 15. & 12 : 24. ac definitur voluntas Dei, omnibus ſuis heredibus, è toto orbe porro convocandis, dandi bona meliora propter Meſſiæ in carne miſſi obedientiam uſque ad mortem crucis. Reſignatum eſt à Chriſto ſuſcitato, *Matth.* 26 : 29. *Marc.* 14 : 25. 2 *Tim.* 1 : 10. promiſſum *Jerem.* 31 : 31. *Hebr.* 8 : 8. præmonſtratum Sara pariente liberos, *Galat.* 4 : 22, ſeqq.

2. Executio conſilii gratiæ tempore III. vocatur *teſtamentum.* eſt enim reapſe voluntas ultima, Teſtatoris morte confirmata, dandi heredibus deſtinata bona. fatenturque vulgo omnes : Deum velle tertio tempore ſalutem hominibus impertiri ; ſed eſſe eam voluntatem ultimam, ſive teſtamentum, neque credunt adverſarii plures ; neque noſtrorum aliqui vel ſatis clare obſervant, vel ſatis diligenter monent.

3. *Socini* & *Arminii* ſectatores docent : velle Deum homines tempore ultimo ſalvare ſub conditione fidei in arbitrio noſtro relicta ; abſolutam vo-

voluntatem dandi ſalutem juxta & fidem, clamitant religioni è diametro opponi. è noſtris ſunt qui διαθήκην pro συνθήκη accipientes, conſtanter *fœdus* interpretantur, & fœdus novum, fœdus Evangelicum, legali aut veteri oppoſitum, crebro memorant, omiſſa fere N. T. mentione.

4. Atqui voluntas Dei, hominibus tempore III. dandi hereditatem, vocatur διαθήκη, quæ vox & alibi *teſtamentum*, voluntatem ultimam, ſignificat, *Galat.* 3 : 15. *Hebr.* 9 : 16, 17. diſpoſitionem de bonis relinquendis.

5. Appellatur *Novum*, quia ſucceſſit in locum Veteris, abrogati, *Hebr.* 8 : 13. & heredibus nova attulit bona, *Hebr.* 8 : 6. cœlumque fecit novum, immutato Eccleſiæ ſtatu, & terram novam, Evangelio ad Chriſtum converſam, 2 *Petr.* 3 : 13. *Eſai.* 65 : 17. 2 *Cor.* 5 : 17. ab *æterno* differt, ſcripto de heredibus omnibus, *Hebr.* 13 : 20.

6. Teſtator eſt cum Deus Pater ſanguine Filii placatus, *Jerem.* 31 : 31-34. *Hebr.* 8 : 8, ſeqq. tum Deus Filius, qui regnum nobis legat, uti Pater id ipſi legavit, *Luc.* 22 : 29. & à Patre accepit dona inter homines diſtribuenda, *Pſ.* 68 : 19. Spiritus S. arrha eſt in cordibus noſtris, 2 *Cor.* 1 : 22. *Eph.* 4 : 30.

7. *Confirmatum* eſt Teſtamentum novum ſanguine Filii Dei teſtatoris, *Matth.* 26 : 28. *Luc.* 22 : 20. *Zach.* 9 : 11. Et *heredes* ſunt deſignati ex omnibus populis ac nationibus, *Matth.* 8 : 11. *Apoc.* 5 : 9. *Joh.* 12 : 32. *hereditas* eſt ſalus, gratia, tempori ultimo reſervata, *Joh.* 1 : 14. 2 *Cor.* 6 : 2. *Rom.* 6 : 14. ac diverſa à bonis cœleſtibus, quibus heredes II. temporis mactabantur.

8. Spi-

8. Spiritus S. menſura major, &, quæ hinc fluunt, arctior cum Deo communio, adoptio ſine ſervitute, juſtitia ſine exprobratione peccati nondum deleti, ſanctitas major; conſtantia & conſcientia horum bonorum clarior firmiorque; & tandem gratiæ hujus ad gentes omnes propagatio per Evangelium.

9. Tempus quo opima hæc hereditas cernitur & poſſidetur, eſt III. & ultimum, *Hebr.* 1 : 1. 1 *Petr.* 1 : 5. à morte Chriſti ad vitam æternam deſinens.

10. *Immittimur* in iſtam hereditatem per *Evangelium*, nuncium lætum, ubique vulgandum, de Meſſiæ adventu, morte ac beneficiis, hortans ad reſipiſcentiam fidemque, & promittens vitam æternam. ſunt enim partes Evangelii duæ, *hortatio* ad reſipiſcendum ac credendum, & *promiſſio* gratiæ Dei in Meſſia præſtito.

11. Evangelium *primo* hortatur ad agendam reſipiſcentiam, *μετανοεῖτε, mutate animum*, cogitationes, *Matth.* 3 : 2. *Act.* 2 : 38. & 17 : 30. mentis enim mutatio, & à malo ad bonum converſio de[illegible]cedere mutationem externarum actionum, [illegible] hæ non ſunt niſi larva ſanctitatis.

12. Atque iſta animi immutatio cum Judæis, tum cæteris gentibus, quibus Evangelium annunciabatur, erat valde neceſſaria: illi enim tumebant opinione propriæ juſtitiæ, *Rom.* 10 : 3. carnis maxime operibus & prærogativa conſequendæ, *Matth.* 3 : 9. *Job.* 8 : 33. *Luc.* 18 : 9. &c. hæ autem erant traditæ in mentem reprobam ob innumera ſcelera, *Rom.* 1 : 24, ſeqq.

13. *Secundo* admonemur Evangelio ad *fidem*, *Marc.*

Marc. 1:15. habendam Meſſiæ præſtito, fiduciamque in eo collocandam: ſive, jubemur credere א. Meſſiam veniſſe, nec amplius expectari. ב. Jeſum Nazarenum Mariæ filium eſſe promiſſum hunc Liberatorem, *Joh.* 1:46. & 4: 29. 41, 42.

14. ג. Conciones ipſius eſſe veras, & conſequenter fiduciam in Eo ſolo ceu unico & perfectiſſimo Salvatore ponendam, opemque ejus implorandam. ד. Meſſiam obiiſſe loco noſtro, & excitatum à mortuis in cœlum adſcendiſſe, *Rom.* 10: 9, 10. *Act.* 13: 27, ſeqq. & 2: 30, ſeqq. quæ ſumma omnium Apoſtolicarum concionum.

15. Hæc fides Meſſiæ habenda requiritur à Judæis & à cæteris populis: nam *in alio ſalus non eſt*, *Act.* 4: 12. ac ſolus Dei Filius eſt *ſervus Patris ad ſuſcitandas tribus Juda, ac data lux gentium, ut ſit ſalus Jehovæ uſque ad extremas terras*, *Eſai.* 49: 6. & *nomen Domini glorioſum in tota terra*, *Pſ.* 8: 1.

16. Reſipiſcenti & credenti promittitur gratia Dei in Meſſia præſtito; ablutio à peccatis, pax cum Deo, quies animæ, & vita æterna, *Rom.* 1: 16. *Luc.* 2: 10. 14. *Rom.* 14: 17. *Matth.* 11: 28, 29. nam Evangelium eſt verbum bonum, *Pſ.* 45: 2. ἐυαγγέλιον τῆς σωτηρίας, *Eph.* 1: 13. ſermo veritatis, 2 *Cor.* 6: 7. veritas, *Galat.* 3: 1. quia narrat impletas Dei promiſſiones, 2 *Cor.* 1: 20, 21.

17. Materia Evangelii eſt Chriſti adventus, mors, reſurrectio adſcenſioque in cœlum, cum bonis inde ad nos dimanantibus; continetque myſteria, *Rom.* 16: 25. 1 *Cor.* 2: 7-9. res hominum ingenio & conſilio inacceſſas, & inſperatas, quas præter

Deum

Deum retegere & præſtare nemo potuit, *Rom.* 1: 17: 1 *Cor.* 2: 10.

18. Tacebatur χρόνοις αἰωνίοις, I. & II. Eccleſiæ ætate, fiebatque manifeſtum tempore III. ex imperio æterni Dei declaratum omnibus gentibus ad obedientiam fidei, *Coloſſ.* 1: 26. *Eph.* 3: 9. tamen à prophetis promiſſum, *Rom.* 1: 2. & 16: 26. *Eſai.* 52: 7. *Rom.* 10: 15. *Pſ.* 68: 12. *Nahum.* 1: 15. *Zeph.* 3: 9.

19. Annunciabatur primo à Johanne B. *Matth.* 3: 2. *Eſai.* 40: 3 deinde à Chriſto ipſo, *Matth.* 4: 17. *Eſai.* 61: 1. *Pſ.* 45: 3. mox ab Apoſtolis & LXX. diſcipulis, dimiſſis in orbem univerſum ad prædicandum Evangelium omni creatæ rei, *Matth.* 10: 7. *Luc.* 10: 9. *Marc.* 16: 15.

20. Audiebatur primum à Judæis, velut regni filiis, ad quos pertinebant promiſſiones, *Matth.* 10: 5, 6. & 15: 24. *Act.* 13: 32. *Rom.* 1: 16. ſed ab iis contemtum repudiatumque afferebatur ad nationes alias, *Rom.* 9: 4. *Matth.* 8: 12. *Act.* 13: 46. nam Jehova *exercituum* innumeras habet credentium turmas.

21. Qui Evangelio obtemperant, fiunt fœderati Dei: nam illius præcones invitant nos ad amplectendum *fœdus gratiæ*, & credendo Evangelium, id fœdus reapſe amplectimur. Eo enim Deus א. poſtulat reſipiſcentiam & fidem. ב. pollicetur juſtitiam, pacem & vitam in Chriſto; ſed quia poſtulata & promiſſa ſimul dat ipſe, fœdus hoc novum inſervit exequendo teſtamento novo: obſequentes enim voci Evangelii א. reſipiſcunt & credunt. ב. nanciſcuntur jus petendi à Deo gratiam & vitam in Chriſto Jeſu.

22.

Digitized by Google

22. *Sociniani* & *Remonſtrantes* pertendunt: reſipiſcentiam ac fidem eſſe *conditionem* proprie dictam, viribus noſtris præſtandam. hanc enim fœderis rationem eſſe, ut fœderatorum unus ſtipuletur officium, promittatque bonum; alter officium reſtipuletur ad obtinendam promiſſionem.

23. Atqui reſipiſcentia & fides eſt pars hereditatis nobis deſtinatæ: igitur nequit eſſe conditio proprie dicta, de bono noſtro præſtanda. atque mandatum credendi & reſipiſcendi eſt medium, quo Deus fidem & pœnitentiam in heredibus efficit, *Jerem*. 31: 33. *Hebr*. 8: 13. *Deut*. 30: 6. *Ezech*. 11: 19. & 36: 26.

24. Et hactenus Evangelium differt à lege, quod ea polliceatur vitam ſub conditione obedientiæ, ut diligens legis ſervator ſit in ſe juſtus: Evangelium vero ſalutem nobis addicat in Jeſu Chriſto, ſponſore noſtro; ideoque eſt nuncius lætus rei bonæ & amabilis, uti contra lex, quam præſtare non valemus, eſt miniſterium mortis, 2 *Cor*. 3: 6. *Rom*. 8: 2. *Deut*. 27: 26. *Galat*. 3: 10, 11.

25. *Adverſarii* credunt eo diſtingui, quod lex requirat obedientiam perfectam, & Evangelium pro ea nonniſi fidem vitæque emendationem exigat: diſcrimen agnoſcimus, ſed negamus poſtulari ceu conditionem noſtris viribus præſtandam, ceu cauſſam qua jus vitæ ex pacto mereamur.

26. Sic enim Deus legem mutaſſet, vitamque æternam imperfectæ, non perfectæ obedientiæ mercedem poſuiſſet: fides enim & reſipiſcentia tantum eſt pars officii, non officium integrum, æterna vita compenſandum; & vetat Dei juſtitia, partem pro toto acceptare.

27.

Digitized by Google

27. Evangelium eſt *lex fidei*, *Rom.* 3 : 27. quatenus lex notat præceptum Dei, obligans hominem ad obtemperandum, *Rom.* 8: 2. *Galat.* 6 : 2. ſed non eſt lex, quando ea deſignat verbum Dei poſtulans obedientiam, & obedienti promittens vitam. Sic enim ſumta lex poſtulat juſtitiam operum, & operantibus pollicetur mercedem, *Rom.* 4 : 4, 5. & *c.* 10 : 5. *Ezech.* 20 : 21.

28. At fidem Evangelio habentibus promittitur juſtitia & gratia in Chriſto; & fides ac reſipiſcentia exigitur ut vinculum quo conjungamur cum Chriſto Salvatore, non ut opus quo vitam ex pacto mereamur.

29. Differt quoque multis modis à lege, quatenus ea ſignificat omne verbum Dei Iſraëlitis annunciatum, & promiſſioni ſeminis liberantis additum, *Joh.* 1 : 17. *Rom.* 6 : 14. nam א. lex à Moſe lata juſſit credere, Meſſiam venturum ac moriturum; *Hebr.* 10 : 1. Evangelium exigit fidem habendam Meſſiæ præſtito ac mortuo. ב. præter fidem poſtulabat quoque obedientiam perfectam, & execrabatur omnes violantes unicum præceptum: dum Evangelium juſtitiam & gratiam annunciat.

30. ג. Lege Moſis multa imperabantur opera per ſe non bona, cultorem non conſummantia, vel ſanctum reddentia; tantum ut populo forent oneri, quem Dominus dure ac ſerviliter tractare ſtuduit: Evangelio prædicatur captivis libertas, & oneratis quies, *Eſai.* 61 : 1. *Matth.* 11 : 28.

31. Cum promiſſione Seminis liberantis convenit Evangelium, quatenus utrumque verbum ſalutis caret onere ſervili, quale lex Moſis heredibus

Dei

Dei impoſuit; ſed differt eo, quod promiſſione repræſentabatur Meſſias venturus, Evangelio nunciatur in carne miſſus.

CAPUT II.

De ſalute ſeminis liberati tempore tertio.

1. FElicitatem noſtram in N. T. præ heredibus T. V. paſſim inculcant ſacræ literæ, *Hebr.* 8: 6. & *c.* 11: 39, 40. ut minimus in regno cœlorum ſit major Johanne B. *Matth.* 11: 11. particeps majorum bonorum, ac fuit Johannes B. ante mortem Chriſti & initium regni cœlorum necatus.

2. Lex enim nihil perfecit, ſed introductio melioris ſpei, *Hebr.* 7: 19. Chriſto unica victima conſummante omnes qui ſancti fiunt, *Hebr.* 10: 14. ut ſimus perfecti, juſtique conſummati, 1 *Cor.* 2: 6. *Hebr.* 12: 23. quo dicat Eccleſia: *coronas annum bono tuo. Pſ.* 65: 12. ceu annum beneplaciti Jehovæ, *Eſai.* 49: 8. & 61: 2. 2 *Cor.* 6: 2. ut iram Dei nequeamus effugere, ſi tantam ſalutem negligamus, *Hebr.* 2: 2.

3. Inter bona N. T. primum eſt *Spiritus S.* ſuper Apoſtolos, cum aliis diſcipulis, & Maria matre Jeſu, ac fratribus ejus, ad numerum CXX. in templo congregatos, effuſus die pentecoſtes, illuſtriſſimo pariter & efficaciſſimo modo: dum vehemens ventus, de cœlo repente ortus, totum perflabat templi conclave ubi convenerant, & flamma apparebat capitibus Apoſtolorum incubans, ac diviſarum linguarum ſpeciem præbens, *Luc.* 24: 53. *Act.* 1: 13, ſeqq. *Act.* 2: 1, ſeqq.

4. Quo cum ſigno ſimul acceperunt omnes pleniſſimam, obeundoque muneri parem donorum Spiritus S. menſuram; ampliſſimam ſcil. ac falli neſciam univerſæ doctrinæ Chriſtianæ per orbem terrarum propagandæ cognitionem; plurium linguarum ſcientiam, quibus populos eam doctrinam docerent; virtutemque patrandi miracula firmando Evangelio inſervientia. *Joh.* 14:26. & 16:13. 1 *Cor.* 12:8, ſeqq. *Marc.* 16:17. *Act.* 2:3, ſeqq.

5. Donorum ſpecimen edidere ſtatim linguis, antea ignotis, de magnificis Dei operibus, ad Judæos ac proſelytos, celebrandi feſti gratia ex univerſo orbe Hieroſolymis coactos, magno cum fructu diſſerentes: *Eraſmo* temere opinato, Apoſtolos ſua tantum lingua locutos; miraculo autem in audientibus facto, ut nemo non intelligeret.

6. Sed præter Apoſtolos, reliqui etiam diſcipuli tum præſentes accepere Spiritum S., ad doctrinam Jeſu Chriſti credendam propagandamque neceſſarium, *Act.* 2:4. 17, 18. 1 *Cor.* 12:3, 4. & accipiunt omnes ad uſque mundi finem, quotquot vel Evangelium credunt ipſi, vel aliis, ut credant, perſuadent: magno tamen diſcrimine: electi enim inſtruuntur donis, quæ & aliis utilia, & ipſiſmet ſalutaria ſunt, *Zachar.* 12:10. *Joh.* 3:5. & 7:39. & 14:7. dum reprobis nonniſi ea conferuntur, quæ ad Eccleſiæ, non item ad ipſorummet ſalutem faciunt, 1 *Cor.* 12:7. *Matth.* 7:22. 1 *Cor.* 13:1, 2.

7. Deinde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ Spiritus S. ſuper nonnullos cum viſibili illuſtrique ſigno deſcendit, *Act.* 8:17, 18. & 10:44, 45. & 19:5. quod miraculum poſtea ceſſavit.

8. Quin

Digitized by Google

8. Quia & tribuebantur tum dona extraordinaria, ſecutis ſeculis negata, ut ſcientia linguarum, nullo ſtudio acquiſita, vis patrandi miracula, 1 *Cor.* 12: 10. 28. 31: *Joh.* 14: 12. *Marc.* 16: 17. nam & proximi Apoſtolorum ſucceſſores, Evangelii præcones primi, ſigna prodigioſa ediderunt, *Euſeb.* H. E. l. 3. c. 37.

9. Mittitur autem Spiritus S. à Jeſu Chriſto, poſt adſcenſionem in cœlum Patris vicario, *Pſ.* 68: 19. *Act.* 2: 33. *Joh.* 14: 16. 26. & 15: 26. & 16: 7. à quo accepit poteſtatem mittendi Spiritum cui velit.

10. Eaque propter tempore N. T. dona Spiritus S. & plura & majora ſunt, & pluribus dantur, quam ante adſcenſionem Servatoris, *Joh.* 7: 39. *Pſ.* 65: 10, 11. *Eſai.* 44: 3. *Joel.* 2: 28, 29. *Zach.* 12: 10. ubi & pauculis tribuebatur Spiritus S. & miniſterio legis minora ac pauciora gratiæ opera producebat: decalogo tabulis lapideis inſcripto.

11. Opus miſſi Spiritus S. eſt teſtari, Jeſum eſſe Chriſtum, in quo jus petendi vitam æternam à Patre conſequamur, mundumque improbum hujus veritatis convincere, & heredes Dei certiores reddere ad ſalutem, 1 *Joh.* 5: 7. *Joh.* 15: 16. & 16: 8-15.

12. Ex abundantiore Spiritus S. menſura, quam in N. T. accipimus, fluit bonum *ſecundum*, arctior cum Deo & Liberatore communio, per ampliorem ejus *notitiam* & vehementiorem *amorem*.

13. Nam Spiritus S. eſt Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, & cognitionis, *Eſai.* 11: 2. & Filius Dei præconio & obedientia ſua clare patefecit Patris *nomen*, noſcendas virtutes, miſericordiam, juſtitiam, poteſtatem, ſapientiam &c. *Joh.* 17: 6. 26.

Digitized by Google

conſiliumque plene enarravit, *Joh.* 1: 18. velut amicis, *Joh.* 15: 15.

14. Conciones tempore promiſſionis ac V. T. editæ comprehendebant vaticinia, ſua natura hiſtoriis obſcuriora; figuris umbriſque multis plenæ; partemque doctrinæ unam poſt alteram ſignificabant, *Hebr.* 1: 1. ſed in N. T. myſteria ſalutis clare & perfecte traduntur, *Joh.* 14: 26. & 16: 25. *Matth.* 13: 10. &c. *Act.* 20: 20-27.

15. A principio quidem diſcipuli haud valebant omnia portare; ſed Spiritus veritatis poſt docuit, *Joh.* 16: 12-15. & quæ de ſermonibus, beneficiis, operibus, gloria & eſſentia Jeſu Chriſti audiv[illegible] per Apoſtolos quoque ſcriptis ab omni errore immunibus conſignavit, traductis & in linguas vulgares, ut ab omnibus attentis lectoribus intelligerentur.

16. Quare non amplius habemus opus, labia ſacerdotum de lege interrogare, *Malach.* 2: 7. uncti à Sancto illo, 1 *Joh.* 2: 20. θεοδίδακτοι, *Eſai.* 54: 13. *Joh.* 6: 45. ut omnes cognoſcamus Jehovam à minimo uſque ad maximum, *Jerem.* 31: 34. 1 *Joh.* 2: 27. *Coloſſ.* 2: 2, 3.

17. Interim heredibus Dei ante mortem Salvatoris defunctis non negatur omnis notitia arcanorum ſalutis, ſed perfectio notitiæ qualis eſt in N. T. *Eph.* 3: 10. ſimiles enim fuere infantibus quibus parvula doctrinæ forma præſcribitur, *Galat.* 4: 1. *Hebr.* 5: 12, 13. inde ſervis neſcientibus quid faciat Dominus, *Joh.* 15: 15. dum nos evadimus viri perfecti, *Eph.* 4: 13. *Coloſſ.* 1: 28.

18. Ante ortum juſtitiæ ſolem erat nox,

13: 12. *Joh.* 1: 5. ubi non quidem mera graſſabatur caligo, ſed lumen minus lucebat in obſcuro loco, 2 *Petr.* 1: 19. poſtquam vero lumen mundi illuxit, clariſſima omnes, velut medio die, perfundimur luce; *Joh.* 8: 12. *Joh.* 12: 35, 36. 46.

19. Quare N. T. heredes nequaquam ſunt obligati ad aſſentiendum doctrinæ non exploratæ, uti ab iis Romani doctores exigunt: ſed *poſſunt* annunciata ipſis dogmata probare, quia ſunt docti à Deo, *Joh.* 6: 45. habentque Chriſti mentem, 1 *Cor.* 2: 15, 16. Spiritum; & *debent* id facere ob periculum à ſeductoribus imminens, *Matth.* 24: 24. 1 *Joh.* 4: 1. 1 *Theſſ.* 5: 21. 1 *Tim.* 4: 1. 2 *Petr.* 2: 1.

20. Incrementum notitiæ comitatur *amoris vehementia.* nam bonum eo diligitur vehementius, quo cognoſcitur accuratius: eſtque vehemens hic amor erga Liberatorem, Deumque Patrem in Liberatore, vis illa quæ regno cœlorum infertur, *Matth.* 11: 12. demonſtravit enim Deus charitatem cognitione ſuperiorem, *Eph.* 3: 19. tradendo Filium morti, ut per eum vivamus, 1 *Joh.* 4: 9. *Rom.* 5: 8. Vid. *Matth.* 10: 37, 38. *Joh.* 21: 15.

21. *Tertium* N. T. bonum eſt *adoptio ſine ſervitute*, *Joh.* 1: 12. *Galat.* 4: 6, 7. *Rom.* 8: 15. 2 *Tim.* 1: 7. nam Filius Dei liberos reddidit, quotquot metu mortis per omnem vitam ſervituti erant obnoxii, *Hebr.* 2: 15. quæ ſervitus ſerviebatur ſub lege Moſis, non ſub diabolo; mortis enim metu actus nemo ſervit diabolo, ſed prava libidine abreptus. Conf. *Luc.* 1: 72-75.

22. Fugata ſervitute viget *libertas*, quæ nec in immunitate à dominio civili, *Rom.* 131. 1 *Petr.* 2:

13: 17. nec in licentia violandi præceptum amoris erga Deum & hominem conſiſtit, *Rom.* 6: 15. & 7: 6.

23. Sed eſt libertas 1. ab *execratione legis*, ortoque inde *mortis metu*, *Galat.* 3: 13. *Eſai.* 61: 1. *Zach.* 9: 11. *Deut.* 29: 19. 2. ab *operibus legis placitorum*, *Act.* 15: 10. *Galat.* 3: 25. *Rom.* 6: 14. & 7: 1-6. *Coloſſ.* 2: 14. 16. ut propter cibum, potum, diem feſtum, ſabbata &c. damnari nequeamus: ſecus ac facit Romana Eccleſia, quæ & jejuniorum leges ſanxit, multaque feſta celebrari imperavit:

24. Quæ hominum præcepta libertati Chriſtianæ adverſantur, *Coloſſ* 2: 22. *Rom.* 14: 17. *Galat.* 4: 9, 10. 1 *Tim.* 4: 1-5. *Rom.* 14: 5, 6. neque charitas permittit eſcam fratri infirmo ponere offendiculum, vſ. 15. *Act.* 15: 20.

25. 3. Eſt libertas à vindicibus legis Iſraëli præfectis, cum Angelis, tum hominibus, *Hebr.* 2: 2. *Apoc.* 19: 10. 1 *Cor.* 2: 6. ſunt enim aboliti *reſpondens*, *vigil*, & *offerens munus*, Doctor, judex & ſacerdos, *Zach.* 11: 8. *Malach.* 2: 12. & Eccleſia N. T. eſt regnum Dei, regnum cœlorum, quia ſolus Deus in ea regnat, *Eſai.* 33: 22.

26. Singulique heredes ipſi ſunt doctores, ſacerdotes & Reges, *Jerem.* 31: 34. *Apoc.* 1: 6. nec ſervire hominibus, 1 *Cor.* 7: 23. veruſque eſt tyrannus, qui ſe Doctorem falli neſcium, & legislatorem Eccleſiæ gerit, ut Romani Epiſcopi faciunt, ſedentes in ſede iniquitatum, *Pſ.* 94: 20.

27. Unus enim eſt Legislator noſter, *Jacob.* 4: 12. unus Doctor, *Matth.* 23: 8. 10. unus Dominus noſter, 1 *Cor.* 8: 6. vicarii non indigus, univerſæ

Ec-

Eccleſiæ ſemper præſens, *Matth.* 18:20. ſemperque vivus, & in medio ſeptem candelabrorum ambulans, *Apoc.* 1:13. 18.

28. *Quartum* N. T. bonum eſt *juſtitia ſine exprobratione peccati nondum deleti*, peccatorum remiſſio & condonatio plena, ut nullæ amplius culpæ memorentur, *Dan.* 9:24. *Hebr.* 9:10. 14. & *c.* 10:14. extinctæ Chriſti ſanguine, & in profundum mare demerſæ, *Mich.* 7:18, 19.

29. Unde habemus in Chriſto libertatem loquendi, *Eph.* 3:12. pacem cum Deo, *Rom.* 5:1. ſine ira quam lex operabatur, *Rom.* 4:15. non enim ſub lege, ſed ſub gratia ſumus, *Rom.* 6:14. & lege non extante peccatum non exprobratur, *Rom.* 5:13. acceſſuris ad gratiæ ſolium cum libertate, *Hebr.* 4:16.

30. Abſit, negemus heredes I. & II. temporis juſtos eſſe declaratos; ſed tribuendæ juſtitiæ *modus* differebat. nam heredibus tempore promiſſionis Deus addixit quidem jus vitæ æternæ ſine exprobratione peccati nondum deleti: at non poterant gloriari, delicta ſua jam eſſe expiata, & cauſſam juris vitæ extare, *Dan.* 9:24.

31. Heredibus tempore legis, & jus vitæ fuit attributum, & ſimul exprobratum ſevere peccatum adhuc extans: heredes autem N. T. & accipiunt jus vitæ, & nullas peccati audiunt commemorationes; nec enim amplius id extat, & gloriari poſſunt de Meſſiæ obedientia, cauſſa juris vitæ.

32. *Quintum* N. T. bonum eſt *major ſanctitas*, fluens ex abundantiore Spiritus S. menſura, quam nunc accipimus, plenius Deum noſcentes, & va-

lidius diligentes ceu Patrem placatum: ubi olim lex peccatum auxit, *Rom.* 5: 20. & *c.* 7: 6, ſeqq. & multa carnis opera præſcripſit, nunc autem cultus eſt rationalis, *Rom.* 12: 1. Deuſque adoratur in Spiritu & veritate, *Joh.* 4: 24.

33. Faſtuoſum Romanæ Eccleſiæ errorem, quod homo regenitus legem queat integram explere, & ſervando conſilia Evangelica majorem perfectionis gradum & opera ſupererogationis præſtare, alibi redarguimus: quæ & ſuperbia incautos Veterum animos invaſit.

34. *Sextum* N. T. bonum eſt *conſtantia* impetratæ in Chriſto ſalutis. nam quos diligit, ad finem diligit, *Joh.* 13: 1. & gratiæ donorum non pœnitet Deus, neque vocationis, *Rom.* 11: 29. ut qui vocantur, & juſti fiunt, *gloria* quoque potiantur, *Rom.* 8: 30. interpoſito Dei juramento ad oſtendendam conſilii ſui firmitatem, *Hebr.* 6: 17, 18. efficientis in nobis ut velimus, & perficiamus, *Philipp.* 2: 13.

35. *Septimum* eſt gratiæ divinæ *firmior clariorque conſcientia*, *Rom.* 5: 5. *Eph.* 4: 30. 2 *Cor.* 1: 22. Spiritu S. teſtante una cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei, *Rom.* 8: 16, 17. eſt enim Evangelium lege blandius, majoremque in nobis lætitiam & conſolationem operatur ſpiritus adoptionis, quam potuit in animis Iſraëlitarum operari Spiritus ſervitutis & formidinis.

36. Iſtum in finem Jeſus duo inſtituit N. T. ſigna & pignora, per quæ & infantes & adulti, fœdere gratiæ cum Deo conjuncti, certiores fierent hereditatis cœleſtis, *baptiſmum* & *ſacram cœnam*: typis & umbris V. T. ſimpliciora, faciliora, & per additam Evangelii vocem clariora.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Baptiſmo.

1. BAptiſmum inſtituit Liberator à mortuis excitatus, *Matth.* 28 : 19. *Marc.* 16:16. Græcis ſine dubio βαπτίζειν eſt *immergere, intingere,* & βαπτισμὸς, βάπτισμα, *immerſio, intinctus.* unde βαπτισμοὶ ξεςῶν καὶ ποτηρίων, *lotiones ſextariorum & poculorum, Marc.* 7 : 4. 8.

2. Βαπτισμὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ eſt immerſio in aquas mundas Spiritus S. *Matth.* 3 : 11. lavacrum regenerationis, *Tit.* 3 : 5. *Joh.* 3 : 5. βαπτισμὸς ἐν πυρὶ notat injectionem in flammam, manantis aquæ inſtar longe lateque diffluentem, qualis flamma Hieroſolymas conſumſit.

3. *Autor* baptiſmi eſt Jeſus Chriſtus, qui uti hereditatem meruit legavitque; ita & ſolus habet poteſtatem, ſigna & ſigilla hereditatis conſtituendi, & per miniſtros ſuos conferendi: ſicut jam ante mortem per Apoſtolos baptizavit, *Joh.* 4 : 1, 2.

4. Et Johannis baptiſmus erat ex cœlo, vel divinæ originis, *Matth.* 21 : 25. *Luc.* 7 : 30. nam verbo Domini excitatus venit in finitimam Jordanis regionem, prædicans baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum impetrandam, *Luc.* 3 : 2, 3. tantoque lubentius Judæi ab eo fuere aquis immerſi, quanto diutius variis ablutionibus carnis aſſueverunt, *Hebr.* 9 : 10.

5. Res à Domino præcepta eſt βαπτισμὸς, *immerſio in aquam,* ubi & elementum ipſum, & actionem in elemento animadvertere oportet. *Elemen-*

Digitized by Google

mentum eſt aqua, aqua mera, qualis eſt fluminum, *Matth.* 3:6. 13. 16. *Act.* 8: 36. 38. & 10: 49. ſecuti temporis ſuperſtitio, lac, mel, ſalivam addere juſſit.

6. *Actio* in hoc elemento eſt immerſio, in Eccleſia diutiſſime uſitata, donec ſera admodum ætate commutaretur in *adſperſionem*, cujus in priſca hiſtoria vix datur exemplum niſi *Clinicorum*, qui ob morbum in lecto decumbentes ſigno fœderis gratiæ initiabantur, & prius *Hebræorum* ſub nube, 1 *Cor.* 10: 1.

7. Profecto baptizati in aquam deſcendebant, ut Chriſtus, *Matth.* 3: 16. & Eunuchus, *Act.* 8: 38. cum Chriſto una ſepulti in mortem, *Rom.* 6: 4. immerſi enim in aquam ea conteguntur, & in ea quaſi ſepeliuntur, donec prodeant. atque baptiſteria in templis poſita juſtæ erant magnitudinis, ac replebantur aqua calida, ne tenellis infantibus frigida incommodaret: quanquam & frigida æſtivo tempore adhibebatur.

8. Ob eandem cauſſam puto in calidis regionibus baptiſmum tempore paſchatis & pentecoſtes plerumque fuiſſe adminiſtratum, non hyberno: quod tenera corpora in fluvios immiſſa aquæ frigidæ vim tum facilius ferrent. atque capiti ſolet unda ſacra adſpergi, ut aliquatenus repræſentetur immerſio, ubi aquæ ad uſque caput baptizati ſuper omnia corporis membra adſcendebant.

9. A nonnullis adhibebatur immerſio *una*, conſecrans baptizatum uni Deo; ab aliis *trina*, dedicans eundem ſervitio Patris, Filii & Spiritus S. Saltem juſſit Dominus, ſectatores ſuos immergi in nomine Patris, Filii & Spiritus S. *id eſt*, ritu immerſionis

Digitized by Google

nis conſecrati ad obediendum Deo Patri, Filio, ac Spiritui S. quod vel unica, vel tergemina immerſione fieri poteſt: à quo tamen ea fiat, aut facta ſit, probe conſiderandum.

10. Quando Apoſtoli baptizabant in nomen Jeſu, *Act.* 2:38. & 10:48. & 19:5. non excludebant nomen Patris & Spiritus S. nam hi tres unum ſunt, 1 *Joh.* 5:7. & qui honorat Filium, is honorat Patrem, *Joh.* 5:23. tamen expreſſius oportebat Judæos & reliquas gentes monere, Jeſum Nazarenum eſſe promiſſum Meſſiam.

11. Baptizandi ſunt *omnes diſcipuli* Jeſu Chriſti: μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη· א. *adulti*, nomen ipſius profitentes, & Evangelio audito aſſentientes. ב. *infantes*, à parentibus Chriſtianis nati. tamen *Socini* ſecta contendit, baptiſmum Chriſtianis adultis hoc tempore uſum adferre nullum, cum ſua origine ſit ritus diſcretionis. at mox probabimus, eo & bona Chriſti nobis merita obſignari.

12. Infantes oportet baptizare, quia א. & ipſi ſunt diſcipuli Chriſti, à natalibus ſervitio Dei ac Liberatoris deſtinati, 1 *Sam.* 1:28. fiunt enim homines diſcipuli Jeſu, aut ſententia & optione propria, credendo annunciatum Evangelium; aut voluntate & cura aliena, parentum, vel eorum qui vicibus parentum funguntur.

13. Nempe ſubſunt infantes patriæ poteſtati, eoque obligantur ad confirmandum inſtitutum parentum per ſe bonum ac rectum, quo fuere deſtinati ad ſerviendum Deo & Chriſto univerſa vita: ac licet per ætatem imbecillem divini Præceptoris mandata tum neque ſciant, neque intelligant, tamen

men creſcentibus annis de voluntate Dei erudiri ſolent ac debent.

14. ב. Infantes Chriſtiani ſunt fœderati Dei, *Act.* 2 : 39. 1 *Cor.* 7 : 14. participes bonorum fœdere promiſſorum: cives regni cœlorum, defenſi ab Angelis, *Matth.* 18 : 10. & 19 : 14. ergo fœderis ſigno haud privandi. & electi infantes reguntur Spiritu S. bonas in eorum mente cogitationes excitante, *Luc.* 1 : 44.

15. ג. Tempore promiſſionis & legis accepere ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei, circumciſionem; quare baptiſmum illi ſubſtitutum negare iis haud decet. ד. Apoſtoli puerulos Chriſto oblatos repellentes, à Domino reprehenduntur, infantibus liberum ad ſe aditum concedente, & manuum impoſitione gratiam impertiente, *Matth.* 19 : 13, ſeqq. ut pædobaptiſmus male Pelagianis, Socinianis & Anabaptiſtis improbetur.

16. At cum inſtitutione Chriſti utique pugnat mos Pontificiorum, qui rudes Indorum infantes aqua ſacra abluunt, etſi eorum parentes diſciplinam Chriſti non tenuerint, vel non ſciverint, *Xaverio* fatente.

17. Porro *Apoſtolis* præcepit Jeſus, diſcipulos ſuos ritu immerſionis, ſive adſperſionis, initiare: iiſdem quibus munus publice docendi, & gentes omnes adeundi, commiſit; neque legitur, alios unquam baptizaſſe niſi Evangelii præcones, qualis erat Philippus, *Act.* 8 : 35. 38.

18. Sigilla regni non tractantur à quovis cive, nec licet omnibus, peregrinorum nomina inſcribere catalogo civium. Igitur & nefas eſt, ſigillum regni

regni cœlorum promiſcue tractari, & catalogum civium augeri ab iis, quibus Deus negotii iſtius curam non concredidit.

19. Equidem olim patresfamil. interdum & mater filiorum circumcidit præputium, *Gen.* 17: 23. *Exod.* 4: 25. ſed baptiſmi à parentibus, vel aliis perſonis privatis, adminiſtrati exemplum non recenſetur in S. Scriptura, etſi veteres caſu neceſſitatis id fieri permiſerint: nullus autem dari poteſt qui nos obliget ad violandam Chriſti inſtitutionem; neque ob ſolam baptiſmi omiſſionem infantes ſalute privantur.

20. Paulus 1 *Cor.* 1: 17. indicat, præcipuam muneris Apoſtolici partem verſari in docendo, non in baptizando: nam & quoslibet doctores alios habere poteſtatem, immerſione diſcipulos Chriſto conſecrandi.

21. Qui novit ſalutis viam, tenetur lege charitatis ad eam fratri monſtrandam: ſed eo nondum fit publicus Eccleſiæ Doctor, cui ſoli fas eſt, ſectatores Jeſu in aquas immergere, vel adſperſione civibus regni cœlorum inſerere: ſicut nec Johannes B. nec Apoſtoli privato id inſtinctu fecerunt.

22. Baptizando olim adjungebantur *ſponſores*, vel *ſuſceptores*, ὑποδόχοι, ſive ut ejus ſeriam piamque intentionem comprobarent, ſive ut vexata ab hoſtibus & diſſipata Eccleſia de accepto baptiſmo teſtarentur, ſive ut baptizatum in profeſſione fidei confirmarent.

23. Retineri hodie mos ex ſe indifferens facile poteſt: modo ſponſores diligenter animo ſecum reputent, quod ſeſe obſtringant ad curandam baptizati,

zati, pro quo Deo & Eccleſiæ ſpondent, ſalutem; quale onus aut non temere ſuſcipi, aut gnaviter portari debet.

24. Quod ad *uſum finemque* baptiſmi attinet, eo baptizatus Deo ac Liberatori ſpondet *officium*, atque Deus figurat confirmatque præſtandum *beneficium*.

25. Dum enim aqua adſpergimur, vel in eam immergimur, profitemur ſolenniter ac publice, nos Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto per univerſam vitam eſſe ſervituros, eum ſolum pro noſtro Deo, & Liberatore ac Domino habituros, ab eo ſolo ceu à Patre & Domino noſtro nominari velle: quæ vera vis eſt dictionis: *baptizari in Dei nomen*, vel *nomine*.

26. Hinc Corinthii à Petro & Paulo ſe cognominantes reprehenduntur, 1 *Cor.* 1:12-15. quia nec ſint in eorum nomen baptizati, neque Paulus doctorve alius pro iis ſit actus in crucem.

27. Iſraëlitæ dicuntur nube ac mari *in Moſen* baptizati, 1 *Cor.* 10:2. quatenus ille Dei legatus ac ſervus erat; in Moſis *doctrinam* & *officium*, non in *perſonam*. Nam Deus Hebræis tutum per mare tranſitum dando, roremque nubium adſpergendo, confirmabat, Moſen à ſe miſſum; atque hi ſub nube & per mare rubrum ambulantes profitebantur, id ſe credere, proptereaque Moſis præceptis obedire velle. *Exod.* 14:31.

28. Viciſſim Deus baptizatis & figurat & obſignat gratiam Chriſti, ut ex comparatione ſigni & rei ſignatæ adparet. *aqua* enim in ſacris literis ſignificat partim obedientiam, partim Spiritum Chriſti,

Pſ.

Digitized by Google

Pſ. 51: 9. *Zach.* 13: 1. *Ezech* 36: 25. *Pſ.* 65: 10, 11. *Eſai.* 44: 3. *Zach.* 12: 10. *Joh.* 3: 5, 6. *Joel.* 3: 1. immerſio in aquam, & affuſio vel adſperſio aquæ habet vim purgandi corpus à ſordibus.

29. Igitur baptiſmi hæc eſt ſignificatio: uti aqua corporis abluit ſordes; ita ſanguis & Spiritus Chriſti purificant animam à peccati inquinamento. ſed & baptizato hoc beneficium confirmatur: quam certo aqua corpori meo affuſa ſordes illius abluit; tam certo ſanguis & Spiritus Chriſti affuſus animæ meæ purgat me ab inquinamentis peccati, 1 *Cor.* 6: 11. *Tit.* 3: 5. *Eph.* 5: 26.

30. Et baptizati vehementer quoque cupiunt, ut ſanguis ac Spiritus Chriſti ipſis affundatur, ſicut aquam corpori affudit Paſtor: & quod optant, etiam Deum facere credunt. hinc dicuntur Chriſtum induiſſe, *Galat.* 3: 27. cum Chriſto ſepulti, *Rom.* 6: 4. *Coloſſ.* 2: 12. baptizari in remiſſionem peccatorum, *Act.* 2: 38. ablui baptizando à peccatis, *Act.* 22: 16. ſervari per *βάπτισμα ἀντίτυπον*, 1 *Petr.* 3: 21.

31. Vocatur baptiſmus *oppoſitæ rei typus*, diluvii ſcil. mundum primum delentis: at conſperſi aqua ſacra ſimus certiores ſalutis, per ſanguinem & Spiritum Chriſti impetrandæ. unde & eſt *interrogatio bonæ conſcientiæ*: nonne, benigne Deus, abluiſti me à peccatis meis? *lavabis me, & præ nive dealbabor*, *Pſ.* 51: 9.

32. Baptiſmus *internus*, ſanguinis & Spiritus Chriſti, ne ſeparetur ab *externo*, aquæ: nam res ſignata ſignum longe antecellit. ſunt enim baptiſmi ſalutaris tres actus, *unus* Miniſtri, adſperſio aquæ;

Digitized by Google

alter hominis baptizandi, votum ſerviendi Deo, ac deſiderium ſanguinis & Spiritus Chriſti; *tertius* Dei, confirmatio gratiæ Chriſti. medius ſi deficit, primus nil prodeſt, & tertius à Deo intermittitur.

33. Atque hæc eſt cauſſa, cur multi aqua adſperſi, infantes adultique, ſalutem non conſequantur, quia non recipiunt baptiſmum integrum, ſed primam modo & communiſſimam ejus partem. licet enim Miniſter ſuis rite vicibus fungatur, tamen homo ipſe aqua conſperſus non agit, quod agere debet, quiſquis vult ſacris hiſce undis lavari. nam Deo ſe non conſecrat, ſanguinem Chriſti conculcat, & Spiritum contemnit. *Act.* 8: 13, ſeqq.

34. Scil. actus Miniſtri per ſe ſolus nos non ſervat; actus hominis baptizandi, amor erga Deum & fiducia in Liberatore, per ſe ſalutaris eſt; non tamen producitur actu Miniſtri, adſperſione aquæ, ſed virtute omnipotenti Spiritus S. quæ & ipſa non alligatur ad uſum elementi terreſtris, qui ſæpe ab arbitrio Paſtoris, vel à ratione loci, vel à baptizandi hominis ſtatu pendet.

35. Spiritus S. fidem Deique amorem producit per Evangelium; ac per ſigna ſacra confirmat augetque heredibus Dei, in quibus haſce virtutes jam effecit. actus enim divinus, actum miniſtri & hominis baptizati conſequens, non eſt ipſa creatio nova, qua recuperamus imaginem Dei, ſed novæ creationis ſigillum ac pignus, quo Deus confirmat, ſe nobis fidem ac jus vitæ donaſſe.

36. Hi tres actus ſinguli ſunt neceſſarii, diverſo autem modo: *Miniſtri*, neceſſitate præcepti; ſin intermittatur affuſio aquæ, ſive ob defectum mi-

niſtri,

niſtri, ſive ob præmaturum diſcipuli Chriſti obitum, ſive aliam ob cauſſam, nullam in baptizando culpam arguentem, omiſſio baptiſmi ei non nocet.

37. In *baptizando* votum ſerviendi Deo & Liberatori, ac deſiderium gratiæ Chriſti eſt neceſſarium neceſſitate medii, quo ſolo ſalutem adipiſcamur: profeſſio hujus voti per baptiſmum eſt neceſſaria, quia Deus publice à nobis honorari laudarique vult in cœtu ſanctorum.

38. Tandem *Dei* actus, obſignatio gratiæ Chriſti, neceſſarius eſt, non quidem ad impetrandam ſalutem æternam, ſed ad conſolationem, lætitiam & tranquillitatem baptizati in hac vita; eſurientes & ſitientes juſtitiam ſaturabuntur, licet aliquando ob peccata angantur.

39. Repeti baptiſmus haud debet, ſi eo ſumus Deo Patri, Filio ac Spiritui S. conſecrati; unica enim adfuſio aquæ nos obligat ad ſerviendum Deo per totam vitam. Adhibitio quorundam rituum, à Chriſto non additorum, veram baptiſmi eſſentiam non immutat.

40. Sin vero inſcii, vel conſcii, ſimus aqua conſperſi à Doctore negante Deum eſſe Patrem, Filium & Spiritum S., genuino habemus baptiſmo opus, qualis non eſt affuſio aquæ per hæreticum facta.

41. Quando Magiſtratus diverſæ religionis lege jubet, heredes Dei ſuis à ſacerdotibus baptizari: ipſe quidem peccat conſcientiæ vim faciens, & invitis ſacra ſigna obtrudens: tamen quia oportet, etiam licet baptizari ab iis, quos hoc officium non petimus. nec enim baptizantis actio & intentio, ſed baptiſmi natura ſpectanda.

CAPUT IV.

De Cœna ſacra.

1. ALterum gratiæ N. T. ſignum ac ſigillum eſt *Cœna Dominica*, ex origine ſua lætitiæ & quietis in Deo argumentum, & arctiſſimæ heredum Dei concordiæ vinculum; ſed fato infelici per imprudentem ingeniorum præcipitantiam, & acerbas animorum commotiones, litium & altercationum cauſſa mœſtiſſima.

2. Inſtituit eam Jeſus poſt ultimam paſchalem cœnam, cum XII. diſcipulis ſumtam paulo ante quam Judæ proditione in hoſtium veniret poteſtatem, *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. 1 *Cor.* 11: 24.

3. Conſiderabimus א. diſpenſatorem ſacri convivii. ב. hoſpites. ג. dapes. ד. dapum fruitionem. ה. tempus. ו. locum. *Diſpenſator* prima vice erat ipſe Jeſus, ſed quia nunc in cœlo agit, Apoſtolis ceu N. T. doctoribus mandavit, ut ii in poſterum ſectatoribus Chriſti ſanctum hunc animæ victum impertirentur, 1 *Cor.* 4: 1. *Act.* 2: 46. Socinianis temere hanc poteſtatem cuilibet privato homini facientibus.

4. Nec Iſraëlitæ de carne victimali edebant niſi portionem à Sacerdotibus acceptam; & Chriſtianis veteribus S. Cœnam dedere Epiſcopi & Presbyteri, quanquam Diaconorum miniſterio auxiliante.

5. *Hoſpites* primæ cœnæ Dominicæ erant Apoſtoli, ſectatores Chriſti fideles, pii, myſteria regni cœlorum haud quidem probe intelligentes, ſed

vehementi

vehementi Præceptoris amore flagrantes, vitæ integri, ſceleriſque puri. *Judas* enim proditor in vulgari cœna, poſt epulum paſchale detectus, abiit ad Pontifices ante S. Cœnæ inſtitutionem, *Joh.* 13 : 30. uti *Muſcul.* & *Gomar.* oſtendit.

6. Quare legitimi convivæ ſunt aſſeclæ Chriſti, Dei & Magiſtri neceſſaria cognitione inſtructi, & amore ardentes, vitæ inculpatæ ſtudioſi, recordationem Domini pio corde colentes, fidemque & reſipiſcentiam ſuam explorantes, quod *infantes* per ætatem imbecillem facere nequeunt.

7. Abluuntur unda ſacra, à parentibus aut parentum vicariis, conſecrati ſervitio Dei, quod à prima jam ætate fieri debet; at participatione epuli ſacri teſtamur, nos credere, Jeſum Chriſtum pro remiſſione peccatorum noſtrorum eſſe in crucem actum; quale teſtimonium infantes nec intelligunt, nec perhibent.

8. Egent nutrimento vitæ in Deo, elementis Chriſtianæ religionis, quibus creſcentibus annis diligenter ſunt imbuendi, donec periti ſalutarium myſteriorum, ad ſancti epuli communionem admittantur.

9. Ita carnem victimalem ſoli manducarunt adulti Iſraëlitæ, ſacrificiorum uſum ſcientes; neque patresfamilias liberis dabant edendam agni paſchalis portionem prius quam liberationem ex Ægypto ſcirent. tamen priſcorum aliqui *infantibus* hunc cibum potumque myſticum indulſerunt.

10. Ægris & moribundis, fidem & reſipiſcentiam probantibus, nutrimentum animæ nequit negari; ſed abſit opinio ſuperſtitioſa, haud poſſe nos

Digitized by Google

beate mori, niſi paulo ante obitum S. Cœnæ participes facti ſimus.

11. *Dapes* ſanctæ ſunt א. panis & vinum. ב. caro & ſanguis Chriſti; illa ſigna, hæc bona ſignata; illa ſigilla & pignora cœleſtis hereditatis, hæc hereditas ipſa. *Signum* unum *panis* eſt: non fermentatum Dominus adhibuit, quali durante feſto paſchali ex præſcripto Dei utebantur Judæi: vulgarem ſumturus, fermento ſubactum, ſi alio tempore S. Cœnam inſtituiſſet.

12. Nec enim ad hoc convivium cœleſte alius requiritur panis, niſi qui aptus eſt corpori nutriendo, & pani vitæ ſignificando; panemque communem diu adhibuit Eccleſia latina.

13. *Signum* alterum eſt *vinum*, γέννημα τῆς ἀμπέλȣ, *Matth.* 26: 29. aqua dilutum credidit antiquitas: in epulo paſchali Iſraëlitas vino generoſo affudiſſe lympham, monet *Lightfoot.* ſeculo ad ſuperſtitionem prolapſo, aquæ meræ, uvarum, lactis & mellis pro vino, aut cum vino, uſus invaluit.

14. *Actiones* Chriſti de *pane* ſunt ſumtio, conſecratio, fractio & diſtributio illius. *Sumſit*, inſtar Patrisfamilias, qui integrum panem ſumit, ut in fruſta diviſum inter convivas diſtribuat. *conſecravit* εὐλογήσας, *Matth.* 26: 26. εὐχαριςήσας, *Luc.* 22: 19. agendo gratias Deo Patri rerum omnium Conditori, & conſilii pacis de mittendo in carne Filio, pro nobis morte ejus redimendis, autori.

15. *Fregit* ἔκλασε, more in Judaicis epulis recepto. ſicut Apoſtoli panem fregerunt, *Act.* 2: 42. 1 *Cor.* 10:16. uti corpus Chriſti fuit fractum; ſpinis laceratum, clavis confoſſum, lancea transfixum, & in

& in crucem actum : ut omnia ejus oſſa numerari potuerint, integra licet ſervata uti agni paſchalis. *Pſ.* 22 : 18. *Joh.* 19 : 33-36.

16. Denique fractum panem Dominus inter diſcipulos *diſtribuit*. nefas enim erat in Judaicis familiis cibum à patre non datum præcipere : idemque mos recte in Eccleſiis ſervatur, quo à Miniſtris ſacra ſalutis ſigna & pignora convivis dividuntur ; modo tamen variante pro locorum varietate.

17. Similiter Jeſus *vinum* ſumſit, Deum laudans conſecravit, calici infuſum Apoſtolis dedit : uti factus eſt particeps ſanguinis, Deo cum gratiarum actione oblati, effuſique ad remiſſionem peccatorum pro multis.

18. Hoſce, non alios, ritus valde ſimplices, faciles ac parum curioſos, adhibuit ad elementa : quibus ſi Apoſtolorum exemplo ingenia ſuperſtitioſa acquieviſſent, theatralis pompa ſacrum convivium nunquam temeraſſet.

19. *Bona ſignata* indicat Servator, de pane dicens : *hoc eſt corpus meum* ; & de vino : *hoc eſt ſanguis N. T. fuſus pro multis* &c. ut panis ſignificet *corpus*, vinumque *ſanguinem* Ipſius, 1 *Cor.* 10:16. & 11 : 24, 25.

20. Retinuit ſcil. Jeſus dictionem Judæorum paſcha comedentium : *hoc eſt paſcha quod comedimus, quia Deus tranſiit per domus patrum noſtrorum in Ægypto.* Et agnum aſſum vocabant גופו של פסח *corpus paſchatis*, uti Moſes ſanguinem victimalem *fœderis ſanguinem*, *Exod.* 24 : 8.

21. Propterea errant *Sociniani*, qui ſicut negant Chriſtum morte ſua quicquam nobis meruiſ-

ſe: ita & infitiantur, in S. Cœna promeritam ſalutem nobis obſignari, vel bona ulla exhiberi.

22. *Similitudo* inter ſigna & bona ſignata eſt perſpicua & obvia; ut enim panis nutrit corpus, vinumque ſitim extinguit, & cor hominis lætificat: ita caro Chriſti eſt cibus, & ſanguis potus, animæ eſurientis ac ſitientis juſtitiam ad vitam æternam, *Joh* 6: 55. Idem de ſimilitudine actionum Salvatoris de ſignis, & actionum de bonis ſignatis tenendum. Corpus è beata virgine aſſumtum pro nobis conſecravit, ſanguinem fudit &c.

23. Porro non ſufficit attenta licet ac pia dapum cœleſtium contemplatio, ſed *acceptio* & *fruitio* accedat oportet: & quoniam illæ ſunt partim panis & vinum, partim caro & ſanguis Chriſti cum beneficiis inde velut ex vivo fonte manantibus: ideo & panem & vinum, & carnem ac ſanguinem Domini accipiamus, comedamus & bibamus neceſſe eſt.

24. Panis & vinum accipitur manu corporis, quo ſitu, an à ſtantibus, an ab inclinatis, an à ſedentibus, nihil intereſt: diſcipulos Chriſti accepiſſe recumbentes conſtat. panis eſt *comedendus*, φάγετε, nec ſuperſtitioſe ad alios uſus aſſervandus. vinum *bibendum*, πίετε ἐξ ἀυτῦ πάντες. abſtemios calici proxime os admovere jubet diſciplina Reformatæ Eccleſiæ Gallicanæ; potum alium vino deficienti non male *Beza* ſubſtituit, *Epiſt*. 2. olim panem vino intinctum moribundis præbuere.

25. Ut vero panis eſt corpus Chriſti, & vinum ſanguis: ita non ſolum panem & vinum ore corporis, ſed & carnem ac ſanguinem Domini anima man-

manducare & bibere oportet: quod gemina fit ratione, quarum una locum habet omni tempore quo fide ſalutari ſumus prædití; altera tantum quando ſacrum epulum ſumimus. illa intelligitur, *Joh.* 6: 35, ſeqq. hæc 1 *Cor.* 10: 16. & 11: 26, ſeqq.

26. Scil. anima noſtra infelici origine tota eſt famelica, ſitique enecta, & vita in Deo deſtituta: vivimus autem in Deo, quando ipſum recte cognoſcimus, & ſuper omnia amamus; ac per hanc cognitionem & dilectionem Dei cum ſummo bono arctiſſime conjuncti, quieſcimus, lætamur, deliciamur & gloriamur in Deo, *Rom.* 5: 1-5. *Pſ.* 36: 9, 10.

27. Natura corrupti Deum ignoramus, odio habemus & metuimus, inquieti, triſtes, anxii: quare abalienati à vita Dei, *Eph.* 4: 18. indigemus victu animabus vitam in Deo reſtituente, qui alius nequit eſſe niſi Princeps vitæ, Filius Dei: per quem uti homo vitam in Deo primum accepit, ita & amiſſam recuperat.

28. Vita corporis perit niſi fulciatur cibo ac potu, *Marc.* 8: 3. quem idcirco appetimus fame ac ſiti, expetitumque manducamus & bibimus, i. e. cum membris noſtris intime jungimus: pariter debemus eſurire ac ſitire, manducare & bibere carnem & ſanguinem Chriſti, cum anima noſtra arctiſſime jungere.

29. Fitque hæc conjunctio per ipſam famem ac ſitim, ſive expetitionem corporis & ſanguinis Domini; mens enim nulla cum re, ſive cœleſtis, ſive terreſtris ſit, ſive divina, ſive humana, conjungi poteſt niſi per voluntatem, vel adfixionem cogitationum ſuarum ad eam rem.

Digitized by Google

30. Igitur rogat, deſiderat fidelis, propter Liberatoris carnem in crucem actam, propterque fuſum ejus ſanguinem conſequi juſtitiam, peccatorum veniam, vitam in Deo, *Matth.* 5: 6. *Joh.* 6: 35. 1 *Sam.* 2: 5. *Eſai.* 55: 1, 2. inde & certo carnem ac ſanguinem Chriſti accipit, vitamque in Deo per divinum hunc victum recuperat. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & Ego in eo, Joh.* 6: 55, 56.

31. Hoc deſiderium juſtitiæ Chriſti, hæc manducatio carnis, & bibitio ſanguinis ejus, fieri ſolet ac debet etiam extra uſum S. Cœnæ: ſemper enim indigemus communione meriti Chriſti; ſed in ſacro epulo non ſolum deſideramus eam, ſed teſtificamur quoque, habere nos cum corpore & ſanguine Domini communionem, victuroſque per meritum Chriſti in æternum.

32. Equidem heredes Dei ſinceriſſima in Liberatore fiducia, & charitate erga Deum ferventiſſima præditi, lætis non ſemper & conſolatoriis, ſive inter S. Cœnam, ſive poſt illam, cogitationibus indulgent: imo anguntur interdum, gemunt, queruntur: ſe panem vinumque accipere indigne, accipere ſigna ſine bonis ſignatis, gratiam Dei in Chriſto nihil ad ipſos pertinere &c.

33. Verum metus, & dubitatio mœſtuſque angor, ortus ex imbecillitate credentis, haud abolet promiſſionem Servatoris, cujus & ſeria eſt intentio, & immutabilis inſtitutio, ut quiſquis cupit particeps fieri corporis & ſanguinis ſui, ſine hæſitatione ſperet, quam certo comedat panem bibatque vinum,

Digitized by Google

vinum, ad ſtabiliendam corporis vitam, tam certo ſe habiturum æternam vitam per Chriſti carnem de cruce ſuſpenſam, & ſanguinem effuſum.

34. Nemo ergo calumnietur, Reformatos vacua habere ſigna, neque accipere niſi vulgarem panem vinumque merum: imo anima noſtra ipſo corpore & ſanguine Jeſu nutritur recreaturque ad vitam æternam. *Verba, quæ Ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, Joh. 6:63.*

35. Qui putant, corpus & ſanguinem Domini cum corpore noſtro jungi corporeo modo: tamen agnoſcunt, eam manducationem corporis Chriſti, & bibitionem ſanguinis, quæ anima fit, ſumme neceſſariam eſſe, & corporea longe potiorem, hancque poſteriorem ad conſequendam in Deo vitam non ſufficere.

36. Secundum nos caro & ſanguis Domini jungitur cum noſtro corpore, quatenus in illud vita Dei derivatur à mente, ut habeat motus Deo placentes, & membra fiant inſtrumenta juſtitiæ, lege peccati in illis abolita, ob Chriſti meritum, propter quod etiam olim reviviſcet, *Rom.* 8:11.

37. Licet ergo corpus Chriſti jam agat in cœlo, neque in ſacra cœna ſuperficie ſua tangat ſuperficiem corporis noſtri, neque pervadat interiores panis particulas: tamen præſens eſt א. *per* modo laudatum *Filii Dei meritum*, ob quod & anima & caro noſtra vivit vitam in Deo. ב. *per ſigna & pignora*, panem & vinum. ג. *per cogitationes mentis*, mortem Chriſti perpetuo recordantis, & fructum illius ardenter expetentis.

38. Cæterum corporea fruitio carnis ac ſangui-

Digitized by Google

nis Domini nequit heredibus Dei ſolatio eſſe: reprobis enim ſtatuitur communis, ſive impiis in quibus non eſt cauſſa vitæ Dei, ſed argumentum condemnationis & mortis æternæ; contra quid deſiderant communionem fructuum mortis Chriſti, vacui non dimittuntur.

39. Atque hæc eſt fruitio dapum cœleſtium, quatenus ea fit à ſingulis Dei heredibus: at quia unum modo conſtituunt corpus, ideo & unum eundemque habent cibum ac potum ſalutarem, corpus & ſanguinem Chriſti. *unus panis, unum corpus multi ſumus: nam omnes unius panis participes ſimus*, 1 *Cor.* 10: 17.

40. Superſunt *tempus* & *locus* celebrandi convivii ſancti. Et *tempus* quod attinet, qua die & hora inſtituatur, nihil intereſt, ſed plurimum, ut celebretur frequenter. nam א. Domini mors frequenter eſt commemoranda, *Luc.* 22: 19. 1 *Cor.* 11: 25, 26. ב. quo crebrius ſigna & pignora ſalutis accipimus, eo fides noſtra & charitas erga Deum ac Liberatorem fulcitur firmius, & incenditur vehementius.

41. Ideo primi Chriſtiani perdurabant quotidie in doctrina Apoſtolorum, in communione & fractione panis, & precibus, *Act.* 2: 42. 46. more per aliquot ſecula retento, donec in deſuetudinem abiiſſet: ut Ludovicus Pius laicos ter in anno Euchariſtiam participare juſſerit; in feſto Paſchæ *Synod.* Lateran. III.

42. *Locus* in quo Jeſus ſacram cœnam inſtituit, erat cœnaculum privati hominis, honoratum præſentia Chriſti & diſcipulornm paſcha comeſurorũm. recte celebratur in templis, velut in locis conventuum

Digitized by Google

ventu um publicorum: quod ſi autem heredes Dei, ſive per morbum aut corporis imbecillitatem, ſive alia de cauſſa legitima templum adire nequeunt, non detrectabit paſtor privatis in ædibus cœleſte iis epulum dare.

43. Nullo enim jure ſacra ſigna & pignora negantur ei, cui Dominus corpus & ſanguinem ſuum communicat. & quando duo vel tres in ejus nomine convenerunt, eſt in eorum medio, *Matth.* 18: 20. ita conſueverat priſca Eccleſia ægris panem & vinum in templo conſecratum, per ſacerdotem vel diaconum mittere domum; quæ & ſine diſcrimine locorum, ubicunque cogebatur, S. Cœna fruebatur.

CAPUT V.

De Romanæ Eccleſiæ erroribus in doctrina de Sacramentis.

1. PRimo ſub anathemate jubet credere, ſeptem eſſe N. T. ſigna, tamen uſu & dignitate inæqualia; *Sacramenta* amat nominare; veteres Latini uſurparunt pro μυςήριον, res ſancta, ſed vulgo ignota, & quemlibet ritum ſacrum intellexerunt: velut ſignaculum crucis, ſuſceptionem cineris &c.

2. Scriptura habet σημεῖον, σφραγῖδα, δεῖγμα, ὑπόδειγμα: quod ſi autem vocem humanam lubet retinere, nefas eſt in hac materia per ſacramentum aliud intelligere præter *ſignum viſibile gratiæ inviſibilis*; & ſignum quidem tale, ubi & elementum

adeſt

adeſt corporeum, & ritus vel actio fit de elemento, utrumque in oculos incurrens, divinoque mandato adhibitum ad figurandum cœleſte bonum.

3. Nec enim licet ex arbitrio, vel elementa adſciſcere, vel ritus præcipere & obſervare, vel elementorum ac rituum myſteria fingere, ſed Dei oportet ordinationem reſpicere.

4. Atqui Dominus ſaltem juſſit, aqua diſcipulos ſuos Deo conſecrare, & pane ac vino ſacro, gratiæ pignoribus, confirmare: cæteris autem quinque ſacramentis vel elementum, vel ritus in oculos incurrens, vel divinum præceptum deeſt.

5. *Deinde* ſacramenta N. T. immenſo intervallo ſuper priſca ſigna extollit: continere enim gratiam & efficere virtute inſita, *ex opere operato*; vetera autem elementa, infirma & egena, modo effectum noſtrorum myſteriorum adumbraſſe. at verbis & ritibus mirandam tribuere virtutem incantatio eſt, nullaque actio externa ſine fide prodeſt.

6. *Tertio*, licet credat, ſacramenta à malo ſacerdote confici & accipi poſſe, tamen miniſtri ſacramentum conficientis rectam intentionem (faciendi id quod facit Eccleſia) neceſſariam facit: quo placito Clericorum dignitas & autoritas immenſum amplificatur.

7. Debet utique miniſter Dei animum intendere ad id, quod agit pro gloria Jehovæ illuſtranda, & ſalute hominum curanda: ſin autem ejus mens vel incuria & negligentia diſtrahatur, vel malitia abripiatur, cur heredes Dei luant alienam culpam? quod certo fit, ſi efficacia ſacrorum ſignorum à ſacerdotis pendet arbitrio, vel intentione. Et Ju-

dam

Digitized by Google

dam proditorem baptizaſſe probabile, *Joh.* 4 : 2. *Matth.* 10 : 4.

8. Aut qua ratione certi erunt, ſacra ſe pignora rite accepiſſe, cum ſacerdotis inſpicere animum & noſſe intentionem nequeant? & num decet Dei bonitatem ac ſapientiam, populi ſui ſalutem humano, & plerumque maligno, ſubjicere arbitrio? an ceſſat verbi divini fecunditas, ubi malus præco mala agit mente? 1 *Cor.* 2 : 11. *Philip.* 1 : 15-18. imo ſeminis virtus non arctatur ſeminantis animo.

9. *Quarto* Romanenſes docent, baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium, præditum vi & renovandi ad ſanctitatem animi, & noxam ingenitam cum ſceleribus cunctis ante ſacræ undæ adſperſionem patratis tollendi; proptereaque in caſu neceſſitatis ipſis à laicis, etiam mulieribus, adminiſtrandum; infantes autem ritu ſancto haud initiatos ad limbum relegari, carituros læta Dei viſione.

10. Baptiſmum Johannis Chriſtiano faciunt dignitate inferiorem, quod virtute conferendi Spiritum S. & regignendi hominem, ac tollendi peccata caruerit; nec Trinitatis invocationem conjunctam habuerit.

11. Opinio de baptiſmi neceſſitate, & vi inſita hominem reformandi, ſumſit originem è *Joh.* 3 : 5. ſed ubi Jeſus Nicodemum monet, neminem pertinere inter numerum heredum N. T. qui non ſit regenitus per Spiritum S. propter obedientiam Meſſiæ, cujus ſanguis peccata noſtra abluit, aquæ ea de cauſſa paſſim comparatus. nati enim omnes ſumus è carne impura, vſ. 6.

12. Immerſione, vel adſperſione, cives regni cœ-

Digitized by Google

cœlorum recipiuntur in congregationem ſectatorum Chriſti viſibilem: at viva ejus membra non ſunt, ſi fide ac ſanctitate careant, ſicut nec proditor, vel hoſtis, in urbe latitans civitatis membrum eſt.

13. Et poteſt quis eſſe è numero heredum Dei, etſi vel ob locorum diſtantiam, vel aliam ob cauſſam legitimam, nulli conſpicuo cœtui aggregetur: ideo nec adfuſio aquæ, qua in illam recipimur, ad ſalutem abſolute neceſſaria eſt; qui non credit, damnabitur, *Marc.* 16: 16.

14. Neque remiſſionem peccatorum efficit, ſed Chriſti ſanguine promeritam obſignat, velut bonæ conſcientiæ interrogatio; & quia ſanguis Liberatoris purgat nos ab omni peccato, ideo fons ſanctus eum figurans confirmat quoque omnium delictorum, & ante actæ, & conſecutæ vitæ, condonationem. Etiam ſine limitatione ait Scriptura: baptiſmum fieri ad remiſſionem peccatorum.

15. Non eſſe huic ritui inditam vim renovandi hominem ad pietatem, teſtantur exempla baptizatorum, qui criminibus conſtricti, totique corrupti manent, *Act.* 8: 13. 21. ſane nec circumciſio tempore promiſſionis & V. T. homines effecit ſanctos, *Rom.* 2: 28, 29. *Act.* 7: 51.

16. Temere cauſſantur, iſtos homines in malitia hærentes ponere obicem, ne ſacræ undæ adſperſio ſuam exerat virtutem: hæc enim virtus divina & omnipotens eſt, eoque obicem pravitatis removet, & ingenitam corruptionem tollit.

17. Adfuſio aquæ per laicos & mulieres facta non verus eſt baptiſmus, ſed temeraria & culpanda

ſan-

Digitized by Google

ſancti ritus imitatio: atque ſi innocua circumciſionis omiſſio Iſraelitarum liberos non excluſit cœlo, profecto nec infantes heredum N. T. ob defectum baptiſmi condemnabuntur.

18. Baptiſmus Johannis à baptiſmo Chriſti hactenus differt, quod *eo* homines fuerint conſecrati Meſſiæ brevi in publicum prodituro, ac morituro; *hoc* dedicentur eidem mortuo, ſuſcitato, & in cœlum evecto.

19. Neque Paulus iterum in fontem ſacrum immerſit diſcipulos Johannis, illius baptiſmate Deo & Meſſiæ dedicatos, ſed auditores reliquos, Evangelium credentes, *Act.* 19: 3-5. etiam noſter baptiſmus eſt pœnitentiæ baptiſmus; eo namque ritu obſtringimus nos ad ſtudium pietatis vitæque emendationem, & Dei cultum.

20. Heredes N. T. immerguntur quidem à Chriſto in flamen Spiritus S. ſed iſte flaminis baptiſmus aliquando fit ſine affuſione aquæ, uti centurio Cornelius habuit Spiritum fidei, precum ac timoris Domini, antequam fonte ſacro lavaretur à Petro, *Act.* 10: 1, ſeqq. neque latro converſus in cruce baptizatus.

21. Johannem diſcipulos ſuos baptiſmo non dedicaſſe Deo Patri, Filio ac Spiritui S. falſum eſt: ita enim illos ad cultum idoli, numinis fictitii, non ad venerationem veri ac vivi Dei obligaſſet.

22. *Quinto* ſtatuunt, baptiſmo, confirmatione & ordine imprimi animæ *characterem indelebilem*; confirmatione conciliari robur novum, ceu ſacramento differente à baptiſmo: pœnitentia & unctione extrema deleri peccata poſt ſanctam ablutionem

Digitized by Google

patrata: matrimonio arctiſſimam Chriſti & Eccleſiæ neceſſitudinem figurari.

23. *Sexto* S. Cœnam mutarunt in ſacrificium, licet incruentum: nam demurmuratis à Sacerdote verbis: *hoc enim eſt corpus meum*, panem converti in corpus Domini, quod modo corporeo præſens, & ſub accidentibus panis latitans, immoletur ad Deum placandum, & delicta viventium & mortuorum abolenda.

24. Inſtitutionem ſacri convivii voce clara, & ſermone vulgari, vetant recitari; plebem calicis uſu interdicunt, prætexentes, ſanguinem in corpore contineri; miſſas in honorem ſanctorum celebrant, hoſtiam Chriſti loco adorant, in ſupplicationibus circumferunt, vaſi incluſam ſervant, ad moribundos portant.

25. Tandem & *ordinem* faciunt ſacramentum, quo per manuum impoſitionem, & ſacram unctionem, confertur poteſtas fungendi miniſterio Eccleſiæ: ordineſque numerant ſeptem, tres ſuperiores, ſacerdotium, diaconatum & ſubdiaconatum; & quatuor inferiores, acoluthorum, exorciſtarum, lectorum & oſtiariorum.

26. Ordinis ſacerdotalis gradus ſtatuunt quinque, I. Sacerdorum. II. Epiſcoporum. III. Archi-Epiſcoporum. IV. Patriarcharum. V. Pontificis Maximi. Memorati errores nunc breviter ordinateque redarguendi.

27. Et *character* quidem *indelebilis* figmentum eſt; neque ipſi Romano-Catholici, quis vel qualis ſit, declarare unquam potuerunt. *Morem ungendi* Chriſtianos, quem *confirmationem* vocant, Servator

vator non præcepit; veteres ex arbitrio addidere aquæ adfuſioni, ceu partem complentem, donec ſeculo XII. ab ea ſepararetur. Cæterum voce *confirmandi* & extra ritum unctionis utebantur.

28. *Pœnitentia* non eſt ſignum viſibile boni inviſibilis, ſed triſtitia concepta ex offenſione Dei, & emendatio vitæ, mandata à Deo, ut ſevera ipſius judicia avertamus, & gratiam virtute ſacrificii Chriſti nobis partam conſequamur. *Unctio infirmorum Jacob.* 5 : 14. commendatur ut extraordinarium recuperandæ ſanitatis medium, quale & erat manuum impoſitio, *Marc.* 6 : 13. & 16 : 18. non ut ordinarium gratiæ Dei ſignum à Chriſto inſtitutum. Et ungere ſolent quos certo morituros opinantur.

29. Neque reſtitutio ægri, & remiſſio delictorum illius, tribuitur ritui ungendi, ſed precationi fidei, i. e. è vera in Liberatorem fiducia profectæ, vſ. 15. & quamprimum ceſſavit Eccleſiæ conferri donum miraculorum, iſtiuſmodi ritus tantæ porro non fuerunt efficaciæ, quantæ erant adhibiti ab Apoſtolis viriſque Apoſtolicis, potentia edendi ſigna prodigioſa inſtructis.

30. Non ipſum matrimonium, ſed Chriſti & Eccleſiæ arctiſſima conjunctio vocatur μυςήριον, *ſacrum arcanum*, *Eph.* 5 : 32. & licet conjugium figuret Chriſti Sponſi cœleſtis cum deſponſo ſibi populo, tam præcedentibus quam N. T. temporibus, intimam conjunctionem, tamen nequit eſſe ſignum viſibile, quia deeſt elementum.

31. Neque Chriſtus homo matrimonium inſtituit cum baptiſmo & S. Cœna, ſed jam à principio

mundi in Paradiſo; neque ſtatum hunc naturalem commutavit in ſacramentum; & jam Salomo in cantico, & Hoſeas *c.* 2 : 19, 20. Chriſtum & Eccleſiam Sponſo ac Sponſæ compararunt.

32. In S. Cœna Reformati credunt corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe, verum animæ & corporis heredum Dei cibum & potum; non modo corporeo, ſed quia Dominus ſigna ſubſtituit rebus ſignatis, pignora bonis promiſſis: quæ adſpicientes rem ipſam nobis repræſentamus, *Hebr.* 11 : 1.

33. Dum enim in terra verſamur, Deus noſtram vult exercere fidem, donec in cœlo ad penitiorem cum Ipſo communionem admittamur. Etiam I. & II. tempore heredes Dei per ſacra ſigna & pignora corpus & ſanguinem Chriſti acceperunt, utique non ore corporis, 1 *Cor.* 10 : 3, 4. *Hebr.* 13 : 8.

34. Elementa per ſacerdotem converti in corpus & ſanguinem Chriſti, ita quidem, ut ipſa deſinant adeſſe, reſiduis tamen qualitatibus ſuis, figura, colore, odore &c. error eſt monſtroſus. hi enim modi omnem ſuam eſſentiam in ſubjectis habent, neque ſine iis, vel extra ea, queunt exiſtere; neque Deus virtutem impendit omnipotentem ad rerum naturam evertendam, ſed ad conſervandam.

35. Filius Dei accepit verum corpus humanum ex carne & ſanguine Virginis beatæ, ſimile noſtro, vi Spiritus S. formatum, nunc introductum in cœlum: quare neque poſſunt, neque debent, alia Ipſi jam corpora per ſacerdotes ex pane & vino confici.

36. Imo pugnat cum natura ſigni & pignoris, ut convertantur in ipſam rei ſignatæ & promiſſæ

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam: ſicut nemo dicet, circumciſionem fuiſſe mutatam in fœdus Dei, aut agnum paſchalem in tranſitum Angeli vaſtatoris, vel calicem in teſtamentum.

37. Certe poſt conſecrationem panis nominatur panis, 1 *Cor.* 10: 16. & vinum *γέννημα τῆς ἀμπέλȣ*: igitur ea naturam non amiſerunt; & in formula conſecrationis adhibetur *ἐςὶ* in *indicativo*, non in *imperativo*, quo creatio per imperium facta ſignificatur.

38. Sacrificium Miſſæ adverſatur & naturæ finique S. Cœnæ, & glorioſo corporis Chriſti ſtatui, & ſummæ perfectioni hoſtiæ ſemel in cruce oblatæ. nam א. in divino hoc epulo ipſi accipimus ſignum placamenti Dei Patris; ergo placamentum ei non offerimus.

39. ב. Jubemur commemorare mortem Chriſti, ſacrificium quo Pater eſt placatus: igitur non facere ſacrificium ad Deum propitiandum. ג corpus Chriſti jam in cœlo eſt: itaque nequit immolari in terra. nam in terra agere & immolari, ad humilem ejus ſtatum pertinet.

40. ד. Salvator Optimus unica hoſtia conſummavit omnes qui fiunt ſancti, *Hebr.* 10: 14. *Joh.* 19: 30. nec habuit opus, ut ſæpe ſemet ipſum offerret, *Hebr.* 9: 25. ſed oblatus ſemel abſtulit multorum peccata, vſ. 28. unaque pro peccatis oblata hoſtia, in perpetuum ad dexteram Dei ſedet, *c.* 10: 12.

41. ה. Placatio & remiſſio peccatorum non fit ſine effuſione ſanguinis, *Hebr.* 9: 22. unde Jeſus per ſanguinem proprium ſemel intravit in ſanctuarium, æternam redemtionem nactus, vſ. 12. at ſa-

Digitized by Google

crificium Miſſæ eſt incruentum, igitur caret vi Deum propitiandi.

42. Cauſſantur, eſſe idem cum cruento, oblatum ab eodem ſacerdote; nam ſacerdotes gerere perſonam Chriſti, & facere ad virtutem ſacrificii cruenti nobis applicandam. Falſo omnia.

43. Nam א. in cruce immolabatur corpus Chriſti noſtro ſimillimum, carnis & ſanguinis particeps, è matre ſancta Virgine; in Miſſa autem offertur corpus è pane creatum, & ſub illius ſpeciebus latitans, ſuper altare lapideum. ב. decebat nos Pontifex ſanctiſſimus, cœlis altior, *Hebr.* 7:26. at tales non ſunt Romani ſacerdotes, nec ulli homines: igitur Chriſti perſonam gerere nequeunt.

44. Chriſtus quoque eſt ſacerdos ordinis *Melchiſedeciani*, in quo nullus vicarius, ſucceſſor nullus, nullus collega. *Moſaica* lege plures ſunt conſtituti Sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere; ſed noſter Pontifex manet in æternum, habetque ideo ſacerdotium perpetuum.

45. Virtutem cruentæ hoſtiæ ſibi applicare, eſt illam facere ſuam, fiducia in Liberatorem poſita, per Spiritum S. nobis amorem Dei & Chriſti ingenerantem: non vero ſacrificium in cruce peractum repetere.

46. Nefas eſt, facere Miſſas in honorem Sanctorum, ad celebrandam illorum memoriam, vel implorandum patrocinium. debemus enim in ſacro convivio commemorare mortem Chriſti, ac vetamur in cultu noſtro quenquam nominare præter Deum Patrem, Filium ac Spiritum S.

4. Dein

47. Dein crimen eſt immane, rem creatam honorare impendio Creatoris, colere homines immolatione ipſius Filii Dei. neque Viri ſancti fuere Salvatoris in toleranda Dei ira uſque ad mortem ſocii, ut propterea in S. Cœna ſimul memorarentur. Et hoſtiam adorantes nonniſi panem pro Filio Dei colunt.

48. Si Romanenſes orbiculatum panem habeant pro Chriſto: pagani quoque populi ad aureas, argenteas, lapideas, aliaſve ſtatuas prolabentes, à Deo condemnantur ceu idolorum cultores, licet divinum iis Numen ineſſe credant. Non noſtra opinio, ſed Dei præſcriptum norma cultus divini.

49. Chriſtum adorare decet velut Deum immenſum, nulli loco incluſum, corpore in cœlos evectum: ergo non oportet procidere coram pane orbiculato, quaſi Filius Dei ſub illius ſpeciebus lateret, *Matth.* 24:29.

50. Circumgeſtatio hoſtiæ neque mandato Chriſti, neque exemplo Apoſtolorum aut primæ Eccleſiæ nititur; & pompoſa magis eſt quam apta ad excitandam in Chriſtianorum animis pietatem.

51. Pii ex plebe homines, quos contemtim appellant laicos, cum ſint κλῆρος, *ſors* Domini, 1 *Petr.* 5:3. non licet uſu calicis prohibere: nam Chriſtus pro iis fudit ſanguinem, juſſitque omnes ex calice bibere. *Matth.* 26:27, 28.

52. Epulum ſacrum appellatur *fractio panis* figurata locutione, qua pars ſumitur pro toto, ad quam & cæteræ pertinent appellationes, Eulogia, Euchariſtia, Synaxis &c.

53. Vana eſt ſacrilegii excuſatio, ſanguinem con-

contineri corpore. nam in S. Cœna repræſentatur corpus mortuum, exſangue, actum in crucem, & ſanguis fuſus extra corpus.

54. Latinæ linguæ in cultu publico, præſertim in celebratione Miſſæ, uſum primus lege ſanxit Carolus M. imperatoriam dignitatem Pontificali favore ſtabiliturus, Gallis, i. e. veteribus Galliæ incolis, vehementer, ſed fruſtra, reluctantibus: debet autem cultus Dei publicus vulgari lingua fieri, ut populus ad audita queat dicere, Amen, 1 *Cor.* 14: 16-19. qua de cauſſa & Apoſtoli donum linguarum acceperunt.

CAPUT VI.

De propagatione gratiæ novæ ad omnes gentes.

1. OCtavum & ultimum N. T. bonum eſt *gratiæ novæ ad omnes gentes propagatio*. Nam Deus Pater Filio gentium luci, *Eſai.* 49: 6. gentes dedit hereditatem, terræque terminos poſſeſſionem, *Pſ.* 2: 8. omnibus populis extremo tempore ad Sionem confluentibus, *Eſai.* 2: 2, 3. *Mich.* 4: 1, 2.

2. Hinc rupto pariete intergerino, Iſraëlem ac cæteras nationes diſcriminante, abolita lege Moſaica, *Eph.* 2: 14, 15. floret pax, *Pſ.* 72: 3. *Luc.* 2: 14. omnium populorum ad communionem Chriſti vocatorum, qui pace per ſanguinem crucis facta, per ſe omnia, quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt, reconciliavit, *Coloſſ.* 1: 20. Et Ego ſi exaltatus fuero traham *πάντας omnes* ad me ipſum, *Joh.* 12: 32.

3. Jam

3. Jam numerus filiorum Abrahæ, qui mundi hereditatem accipit, *Rom.* 4 : 13. ſtellarum cœli & arenularum ad littora maris jacentium ſuperat multitudinem, *Gen.* 15 : 5. & 22 : 17. quando in ejus ſemine nationes omnes gratiam conſequuntur, vſ. 18. & ſterilis plures parit liberos ac maritata, *Eſai.* 54 : 1.

4. Judæi ſe ſolos Abrahæ filios, Meſſiæ beneficiis ditandos, exiſtimant: tamen is *pater eſt omnium credentium* δι᾽ ἀκροβυστίας *per præputium*, non obſtante præputio, *ut imputaretur & illis juſtitia, & pater circumciſionis, iis qui non ſolum genus ducerent à circumciſis, verum etiam ingrederentur veſtigiis fidei, quæ fuit in præputio patris noſtri Abrahæ, Rom.* 4 : 11, 12.

5. Deus enim *dilexit mundum*, non ſolam Cananæam, *Joh.* 3 : 16. & Chriſtus factus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, 1 *Joh.* 2 : 2. mortuus *non tantum pro gente* Judaica, *ſed ut diſperſos Dei filios congregaret in unum, Joh.* 11 : 52. *non eſt perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in quavis gente qui ipſum timet, & juſtitiam operatur, acceptus illi eſt, Act.* 10 : 34, 35.

6. Inde Pater ad Filium de Judæorum contumacia querentem: *leve eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Jacobi tribus, & ad reducendam Iſraelis deſolationem, etiam dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ, Eſai.* 49 : 6.

7. Tamen Spiritus S. Paulum ac Timotheum prohibuit ſermonem gratiæ loqui in Aſia, & abire in Bithyniam, *Act.* 16: 6, 7. multique fuerunt omni tempore N. T. ſuntque adhuc & erunt populi, ſalu-

Digitized by Google

tari lumine Evangelii non illuſtrati. nec enim Juſtitiæ Sol omnibus ſimul gentibus illucet, ſed curſum ſuum perficiens à quibuſdam recedit, ad alios accedit, multos præterit, ex liberrimo & ſanctiſſimo arbitrio, *Matth.* 11 : 25, 26. *Rom.* 9 : 15, 16.

8. Nihilominus ante mundi finem gentes quam plurimæ gratiæ N. T. nondum participes factæ in regnum cœlorum introducentur ad gloriam Jeſu Chriſti. tum omnes termini terræ videbunt ſalutem Dei noſtri, *Pſ.* 98: 3. factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes: *regna hujus mundi facta ſunt Domini noſtri & Chriſti*, *Apoc.* 11 : 15. tum univerſa terra replebitur cognitione Jehovæ, *Eſai.* 11 : 9.

9. Et *ſi lapſus illorum*, Judæorum, *eſt opulentia mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Rom.* 11 : 12. *nam ſi rejectio eorum eſt reconciliatio mundi: quæ erit aſſumtio niſi vita ex mortuis?* vſ. 15. Judæis, inimicitia & æmulatione erga alias gentes depoſita, ſtudium omne collaturis, ut quoque ad eas bona N. T. propagentur.

CAPUT VII.

De ſemine liberato temporis tertii.

1. Servator Optimus quamprimum publico docendi munere fungi in hac terra cœpit, ſtatim fecit diſcipulos fidem ei habentes, *Joh.* 2: 11. & quidem plures ac Johannes, *Joh.* 4 : 1. ut hujus diſcipuli dicerent: *Magiſter, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, hic baptizat,*

&

Digitized by Google

& omnes veniunt ad eum, Joh. 3 : 26. turbis ſuper doctrina Jeſu obſtupeſcentibus, *Matth.* 7 : 28.

2. Inter diſcipulos Chriſti occurrunt primi duodecim Apoſtoli, *Matth.* 10: 1, ſeqq. Matthia in locum Judæ proditoris ſurrogato, *Act.* 1: 26. ad quos Liberator ait: *vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum*, *Matth.* 13: 11. utpote conſtituendis totius Eccleſiæ N. T. doctoribus, *Matth.* 28: 19, 20. atque ad Patrem de iis: *verba quæ dediſti mihi, dedi iis: & ipſi acceperunt, vereque cognoverunt, quod a te exivi, & crediderunt quod Tu me miſiſti, Joh.* 17: 8. *quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*, vſ. 12.

3. Apoſtolorum agmen duxit *Petrus*, ordine, non dignitate, primus, forſan ob ætatem, & quia primus, ante fratrem Andream ad Apoſtolicum munus fuerat vocatus. *Matth.* 4: 18, 19. *Luc.* 5: 10. primatum ejus Romana Eccleſia finxit, utique non in Petri ipſius, ſed ſucceſſorum fictitiorum gratiam.

4. Ab Herode in carcerem conjectus liberatur per Angelum, *Act.* 12 : 3, ſeqq. tandem ſenex, ſecundum Domini prædictionem, *Joh.* 21 : 18, 19. Evangelium morte confirmat, *Euſeb.* narrante necatus Romæ ſub Nerone.

5. *Jacobus* Zebedæi fil. viventi in terra præceptori cum fratre Johanne familiariſſimus, Palæſtinæ Judæis nomen Jeſu Chriſti annunciavit, mature ob id ab Herode ultimo ſupplicio affectus, *Act.* 12:2. *Johannes* ſecundo demum Trajani anno mortuus fertur, & Lightfooto putante Apocalypſin diu ante excidium Hieroſolymitanum in itinere ſcripſit, olim perpetuus Jeſu comes, & ſingulariter dilectus.

Digitized by Google

6. *Matthæus* ante publicanus, hiſtoriam Chriſti fratribus Hebræis ſive patrio, ut Euſeb. tradit, ſive Græco ſermone conſcripſit. *Marcus* & *Lucas* ſimiliter; ille ſuccinctius, hic amplius, qui & Apoſtolorum Acta literis conſignavit. aliæ de iis narrationes incertæ.

7. Ad XII. Apoſtolos acceſſit *Saulus*, mox *Paulus*, ſecta Phariſæus, Chriſtiani nominis acerbiſſimus hoſtis ab initio, ſed miraculo converſus in via Jeſum Nazarenum longe lateque annunciavit inter innumeras pro ipſius cauſſa adverſitates, & labore indefeſſo collegas omnes ſuperavit. cum eo & *Barnabas* inſtinctu Spiritus S. ad prædicandum Evangelium fuit ſeparatus, *Act*. 13.

8. *Stephanus* diaconus quum de Jeſu Nazareno, de cultus Levitici abolitione, & templi urbiſque deſtructione, contra Judæos acriter diſputaſſet, & populi univerſi contumaciam acerbe reprehendiſſet, eo nomine in concilium raptus per tumultum lapidibus obruitur, *Act*. 6, 7. *capp*.

9. *Philippus* Evangeliſtæ nomine & miraculis clarus, Samaritanis Chriſtum annunciavit, procuratorem Candaces Reginæ Æthiopum ex Eſaja inſtitutum aqua Servatori dedicavit, *Act*. 8 : 5, ſeqq. & 21 : 8. *Timotheus* ac *Titus* Pauli epiſtolis honorati. *Cornelius* centurio baptizatus à Petro.

10. Ananiam, Agabum, Apollos, pluresque alios, viros & fœminas, ſilentio prætereo; memoraturus integros *cœtus*, qui Evangelium audientes Jeſu Chriſto nomen dederunt: uti ter mille primo pentecoſtes feſto, *Act*. 2 : 41. aucto quotidie credentium numero, vſ. 47. & *c*. 5 : 14.

Digitized by Google

11. Antiochiæ ſectatores Jeſu nomen *Chriſtianorum* ſunt ſortiti. *Beroenſes* ſermonem Pauli & Silæ alacriter receperunt, *Corinthi* Dominus populum habuit numeroſum. *Romanorum* fides toto orbe laudata; ad quos & alios cœtus Pauli extant epiſtolæ, iis confirmandis deſtinatæ.

12. Erant illi compoſiti cum ex Judæis tum ex gentibus ad Jeſum converſis, rectique à diaconis, pauperes curantibus; Presbyteris, vel ſenioribus, qui verbo laborantes Epiſcopi quoque nominabantur, gemino honore digni: reliqui ad gregem modo attendebant.

CAPUT VIII.

De ſemine Serpentis tempore tertio.

1. QUemadmodum *ad hoc apparuit Filius Dei ut diſſolvat opera diaboli*, 1 *Joh.* 3: 8. Patre nos è poteſtate tenebrarum eripiente, *Coloſſ.* 1: 15. ita ruſus Draco, hoſtis ille antiquus, omnem viciſſim operam dedit, ut tertio tempore, ſuperatus licet Chriſti morte, regnum inter filios contumaciæ retineret, & amplificaret.

2. Atque antea jam de ſucceſſu felici tam largiter ſperabat, ut ad Jeſum, cui omnia mundi regna, illorumque gloriam monſtrabat, dicere auderet: *hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me*, *Matth.* 4: 8, 9. incolas in terris plurimos imperio ſuo ſubjectos credens, *ſeductor totius orbis habitabilis*, *Apoc.* 12: 9.

3. Inimicus enim homini bonum ſemen in agro ſuo

ſuo ſeminanti, dormientibus hominibus, inter triticum zizania ſevit, *Matth.* 13 : 24, 25. ubi Chriſto interprete *zizania ſunt filii illius Mali, inimicus autem ea ſeminans eſt diabolus*, vſ. 38, 39. germinatura tam copioſe, ut ægre à tritico divellantur, vſ. 29.

4. Vix dum à mortuis ſurrexerat Jeſus, quando Satanas per ſobolem ſuam in Judaica natione, propagationem & incrementum regni cœlorum impedire quovis modo conatus eſt.

5. Nam *Sacerdotes* templique præfectus, & Sadducæi, Petrum ac Johannem ſuſcitati Jeſu præcones in cuſtodiam dedere; & poſtero die *Annas* Sacerdos ſummus, & *Caiphas*, *Johannes* & *Alexander*, & reliqui ſacerdotum Principes, Senatoreſque & Scribæ Hieroſolymitani, annunciandi Jeſu munere interdixerunt. *Act.* 4.

6. *Summus Pontifex* cum factione Sadducæa, invidia ac ſtudio cultus Levitici retinendi ardentes, Apoſtolos in carcerem compingunt, & per Angelum Domini liberatos docere populum de nomine Jeſu vetant. *c.* 5.

7. Quin ipſo ſuſcitationis die Sacerdotum principes ac ſeniores, data pecunia militibus, viſa & audita ad ſepulcrum in urbe renunciantibus, perſuaſerunt, ut vulgarent, diſcipulos de nocte Magiſtrum furatos: quod ineptiſſimum mendacium poſt inter ſtupidos Judæos invaluit, *Matth.* 28: 11, ſeqq.

8. E Synagoga *Libertinorum*, ſervorum manu miſſorum: item *Cyrenæorum*, *Alexandrinorum*, *Cilicum* & *Aſianorum* nonnulli cum Stephano alter-

tercantur, falſos teſtes in eum ſubornant, commotiſque plebe, ſenatoribus ac ſcribis, in concilium rapiunt, *Act.* 6 : 9, ſeqq.

9. *Senatus* ejuſque Præſes Pontifex maximus, audita Stephani concione objurgatoria, cordibus frendent, dentibus ſtrident, junctaque vi eum invadunt, & urbe ejectum lapidibus obruunt, *c.* 7.

10. *Simon Magus*, ſtupendis prodigiis clarus, poteſtatem dandi manuum impoſitione Spiritum S. pecunia mercari vult ab Apoſtolis, vir pravo corde in conſpectu Dei, hærens in amariſſimo felle, nexuque injuſtitiæ conſtrictus, Samaritanis magnum quempiam ſe venditans, *Act.* 8 : 9, ſeqq.

11. Equidem crediſſe dicitur vſ. 13. ſed intelligitur aſſenſus Evangelio datus, ejuſque profeſſio publica, ſine amore Liberatoris, quo fides ſalutaris conſiſtit, atque Petri verba vſ. 22. non reddunt dubiam Dei gratiam quam reſipiſcentibus præſtat, ſed indicant Apoſtolum fere deſperaſſe de viri peſſimi reſipiſcentia.

12. *Judæi Damaſceni* à Paulo de veritate Evangelica convicti, inſidias ipſi ſtruunt, *Act.* 9 : 22, ſeqq. *Herodes Agrippa*, Herodis M. ex Ariſtobulo nepos, Jacobum Johannis fratrem gladio perimit, Judæis placiturus amplius Petrum in cuſtodiam tradit, à vermibus corrodendus, *Act.* 12.

13. *Elymas Bar Jeſus*, Magus, Sergium Paulum, Paphi proconſulem, ab Evangelio avertere ſtudens, execratione Pauli oculorum uſu privatur, *Act.* 13: 6-11. *Judæi Antiocheni* Paulum ac Barnabam criminantur, & finibus ejiciunt, vſ. 45, ſeqq.

14. *Iconii* eoſdem Evangelii præcones cum Judæi

Digitized by Google

dæi tum Gentiles contumelia afficiunt, lapidibuſque petunt, *Act.* 14 : 5. mendaces ſectæ Phariſaicæ *doctores* à Synagoga Hieroſolymitana emiſſi, rituum Moſaicarum obſervationem urgent, fraternitatem cum ſectatoribus Chriſti ſimulant, à Synodo Apoſtolica damnantur, *Act.* 15. *Galat.* 2: 4.

15. *Philippis militum præfecti* Paulum ac Silam, à dominis ancillæ Pythonis ſpiritu actæ, in forum tractos, virgis cædunt, *Act.* 16: 16, ſeqq. *Theſſalonica Judæi* tumultum excitant, & Jaſonem ad Magiſtratum raptant, *Act.* 17 : 5, ſeqq. *Demetrius* argenti ſignator Epheſi cultum Dianæ tuetur. *Act.* 19 : 24, ſeqq.

16. *Ananias*, ſummus Sacerdos, à Paulo parieti dealbato comparatus, *Act.* 23: 3. *Tertullus* Rhetor eloquenter Paulum calumniatur : *Felix* Judææ præſes concione de juſtitia, continentia & futuro Judicio terretur, à Paulo pecuniam ſperat, *Act.* 24.

17. *Feſtus* doctrinam de Jeſu à mortuis ſuſcitato pro ſuperſtitione habet, Paulum inſanire credit; *Agrippa* Rex, Herodis Agrippæ filius, ad regnum cœlorum appropinquat, ſed in illud non intrat, *Act.* 25. & 26. *Hymenæus* ac *Philetus* à veritate averſi, populum gangræna ſermonis depaſcunt, docentque, mortuorum reſurrectionem jam contigiſſe, 2 *Tim.* 2 : 17, 18.

18. *Alexander*, faber ærarius, naufragium doctrinæ Chriſtianæ fecit, ac Paulo mala multa attulit, Satanæ propterea traditus cum Hymenæo, ut ceſſent calumniari, 1 *Tim.* 1 : 20. & *c.* 4 : 14, 15. *Diotrephes* primatum ambit, & fratres rejicit, 3 *Joh.* vſ. 9, 10.

19. Præter iſtos Evangelii hoſtes, quorum nomina

mina in codicibus ſacris diſerte expreſſa legimus, deſcribuntur & alii ſeductores, rem Chriſtianam turbantes, &, ſi fieri poſſet, evertentes. Ita Chriſtus prædixit, ſurrecturos multos Prophetas ac Chriſtos falſos, prodigia edituros, *Matth.* 24: 24-26. *Joh.* 5: 43.

20. Paulus vaticinatur de deceptoribus, dogmata dæmonum allaturis, 1 *Tim.* 4: 1-3. de lupis Epheſinum gregem devoraturis, *Act.* 20: 29. de hominibus ſuperbis, maledicis, ingratis, profanis, voluptates ſupra Deum amantibus, pietatis formulam habentibus, ſed vim negantibus, 2 *Tim.* 3: 1-6.

21. Similes quoque Petrus & Judas præviderunt orituros; Johannes conqueritur de falſis prophetis in mundum egreſſis, deque Antichriſto, negante Jeſum Chriſtum veniſſe in carne; de Nicolaitis & Bileami imitatoribus, de Synagoga Satanæ; de Jeſabele, fallaci vate. 2 *Petr.* 2. *Jud.* vſ. 4, ſeqq. 1 *Joh.* 4: 1-3. *Apoc.* 2. è mari adſcendere vidit duas beſtias, *Apoc.* 13. tum & conſpexit meretricem, ſuper aquas multas ſedentem, Regibus adulterio notam, *c.* 17.

22. *Joſeph.* Antiq. Jud. l. 20. c. 6, 7. de bello Jud. l. 7. c. 37, 38. teſtatur, ante excidium Hieroſolymorum diverſos prodiiſſe fallaces Prophetas, pro Meſſia ſe venditantes, quibus ingens Judæorum multitudo adhæſit, graves dementiæ pœnas datura.

23. Nimirum proterva natio, quæ petram ſalutis ſprevit, & Dominum gloriæ in crucem egit, & fœdus Dei obſtinate reſpuit, vaſtari Deique regno ejici debuit; quia è filiis regni facti ſunt latrones ac homicidæ, ex agricolis interfectores Filii vineæ heredis.

redis. *Deut.* 32: 15. 1 *Cor.* 2: 8. *Eſai.* 50: 1, 2. *Matth.* 8: 12. & 21: 13, ſeqq. *Eſai.* 48: 2.

CAPUT IX.

De adventu Chriſti ad Judicium ultimum.

1. TErtia ætas claudetur die ultimo, 2 *Theſſ.* 2: 2, 3. à Deo quidem diverſas ob cauſſas occultato, 1 *Theſſ.* 5: 1, 2. *Act.* 1: 7. ipſique filio hominis ignoto, *Marc.* 13: 22. at ſignis temporum, *Matth.* 16: 3. fatis orbis & Eccleſiæ antecedentibus, diligenterque ſpectandis, prænotato.

2. Nam etſi Jeſus in humana natura citius non apparebit, tamen diverſis temporibus ſingularia edet in mundo & Chriſtiana ſocietate opera, propter quæ in eam venire dicitur, cum antea abfuiſſe à ſuis, & hoſtibus ac tyrannis locum ceſſiſſe videretur, *Zeph.* 3: 15-17. *Eſai.* 60: 1; 2. *Matth.* 16: 28. *Apoc.* 2: 16. & 3: 11. & 21: 3.

3. Cœlo ſuſceptus uſque ad tempus, quo reſtituentur omnia, *Act.* 3: 21. revelabitur extremo die, 2 *Theſſ.* 1: 7. & veniet in nubibus è cœlo, *Act.* 1: 11. *Apoc.* 1: 7. 1 *Theſſ.* 4: 16. comitatus Angelis potentiæ ſuæ, & ſanctis millibus, 2 *Theſſ.* 1: 7. *Jud.* vſ. 14. ſicut enim adventus primus fiebat in forma humili: ita ſecundus erit glorioſus, *Matth.* 25: 31. 2 *Theſſ.* 1: 9. ad pavorem impiorum, *Apoc.* 1: 7.

4. Sedebit enim in ſolio gloriæ, *Matth.* 25: 31. nube ſplendida: *Apoc.* 1: 7. unde & nos rapiemur in nubes, ad occurſum Domini in aërem,

1 *Theſſ.*

Digitized by Google

1 *Theſſ.* 4 : 17. ut fabulà ſit de judicio ultimo in valle Joſaphati peragendo, *Joel.* 3 : 2.

5. Judex eſt conſtitutus à Patre, *Act.* 10 : 42. & 17 : 31. qui neminem judicat, ſed omne judicium Filio dedit, *Joh.* 5 : 22. omnemque in cœlo & in terra poteſtatem, *Matth.* 28 : 18. divinitate aperiet ſecreta mentium, ac ſubjiciet ſibi judicandos, ut ſtent ſententia lata; humanitate videbitur ab omnibus, & clara voce judicium pronunciabit.

6. Judicandi erunt cum *Angeli mali*, tum *homines* omnes. nam *boni* Angeli erunt judicis comites, judiciique miniſtri; *malos* autem in tartarum detruſos catenis caliginis tradidit, ſervatos ad judicium magnæ diei, tum conjiciendos in ignem æternum, *Matth.* 25 : 31. & 41. *Jud.* vſ. 6. 2 *Petr.* 2: 4.

7. Dein *homines* omnes oportet conſtitui coram tribunali Dei, *Rom.* 14:11, 12. 2 *Cor.* 5 : 10. viventes mortuoſque, *Act.* 10: 42. *Rom.* 14 : 9. gentes omnes cogentur in conſpectu Chriſti, *Matth.* 25 : 32. ut honoretur in ſanctis ſuis, fiatque admirabilis in omnibus credentibus, 2 *Theſſ.* 1 : 10.

CAPUT X.

De ſuſcitatione mortuorum.

1. MOrtui reſurgent, *Pſ.* 90 : 3. *Joh.* 11 : 24. *Act.* 24 : 15. nam veniet hora, qua omnes in ſepulcris jacentes audient vocem Filii hominis, *Joh.* 5 : 28. deſcenſuri è cœlo cum hortatione, cum voce Archangeli & tuba Dei, 1 *Theſſ.* 4 : 16.

2. Sadducæi negabant reſurrectionem mortuorum, *Matth.* 22 : 23. *Act.* 23 : 8. licet fœdere gratiæ

Digitized by Google

promiſſam à Deo, qui Abrahæ, Iſaaci & Jacobi ſe Deum eſſe profitetur, viventiumque, non mortuorum eſt Deus, *Matth.* 22:32. Conf. 1 *Cor.* 15:29.

3. Princeps vitæ mortem vicit, *Hoſ.* 13:14. 1 *Cor.* 15:54-57. abolevitque diabolum mortis imperio potitum, *Hebr.* 2:14. igitur mortui non ſemper detinebuntur in tumulo, ſed aliquando reſurgent, ſicuti variis temporibus aliquot mortuos in vitam rediiſſe legimus, 1 *Reg.* 17:22. 2 *Reg.* 4:35. & 13:21. *Matth.* 27:52, 53. *Joh.* 11:44.

4. Vivit etiam hominum ſanctorum caput, Chriſtus, factus primitiæ eorum qui obdormierunt, 1 *Cor.* 15:20. itaque ipſi, velut membra corpus unum cum capite conſtituentia, hærere in morte nequeunt, vſ. 9, ſeqq. ſed ſuſpirantes corporis redemtionem expectant, *Rom.* 8:23.

5. Per baptiſmum cum Chriſto ſepulti, ac ſuſcitati fide efficaciſſimæ virtutis Dei qui Jeſum excitavit à mortuis, participes quoque reſurrectionis ejus ſimus, *Coloſſ.* 2:12. *Rom.* 6:4, 5.

6. Primitiæ Deo ex lege V. T. oblatæ totam meſſem faciebant ſanctam: ita Chriſti, fratris primogeniti, reditus in vitam facit, ut & nos ſancti beatique reſurgamus à mortuis.

7. Suſcitabuntur omnes pii virtute meriti Chriſti, ſinguli ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι; 1 *Cor.* 15:23. ſunt enim tres heredum Dei claſſes, ſub promiſſione, ſub V. & ſub N. T.

8. Impiorum reſurrectionem *Socinus* non credidit, etſi verbis claris impugnare noluit. *Oſtorrod.* & *Volkel.* prætermit. *Schlichting.* tamen, ſociis hactenus melior, agnovit. *Judæi* ſolam gentem Iſraëliticam

liticam, non & cæteros populos reſuſcitatum iri credunt, *Buxtorf. Synag. Jud.* c. 3.

9. Diſſentientium opinionem non modo eſſe impiam, ſed & impietatis matrem, recte monet *Philipp. a Limborch*: quo enim certius ſperant impii, ſe vitæ huic non fore ſuperſtites, eo alacrius peccant.

10. Impiorum reſurrectio aſſeritur, *Joh.* 5: 29. *Act.* 24: 15. & convenit cum juſtitia Dei, bonis præmia & malis pœnam retributuri, 2 *Theſſ.* 1: 6. non tamen erit vita, *Job.* 36: 6. jucunda in Deo operatio & quies; ſed vera mors, ſeparatio à ſummo bono, angor & inquies ſine fine.

11. Etiam reſurgent fœtus in materno utero mortui, ſi & omnibus humanæ machinæ membris fuere inſtructi & mentem habuere conjunctam. at fœtus informes perituros, & monſtra eſſe emendanda, cum *Auguſtino* credimus, *Enchir.* ad Laur. c. 85. 87.

12. Suſcitabuntur omnes, א. reparatione corporis priſtini; ב. iterata mentis cum eo conjunctione, ut per vetus inſtrumentum, in creatione ei deſtinatum, denuo operetur.

13. Reparabitur *corpus*, dum particulæ ejus per mortem diſſolutæ, ac longe lateque diſperſæ, in unam rurſus machinam coibunt, ut ea conſtituant membra, quæ ante obitum conſtituebant.

14. Sicut enim ante hominis generationem, jam à principio mundi, ſingulæ corporis particulæ ſunt conditæ, & huic illive homini deſtinatæ, etſi longo poſt tempore confluant in utero materno: ita poſtquam rurſus diffluunt per ſolutionem cadaveris, manent tamen deſtinatæ Petro aut Paulo, cujus machinam coagmentatæ faciebant.

Digitized by Google

15. *Mens* iterato conjungetur cum reſtaurata machina, ut porro dirigat ejus motus, & formet cogitationes occaſione, & congruenter ſtatui corporis reparati: ubi non definio, num ſeparata mens interdum formet cogitationes occaſione particularum diſperſarum, cum quibus ſi conjuncta non ſit, tamen conjungenda manet, olimque certo conjungetur.

16. At nefas eſt, aſſerere cum *Socinianis*, mentem poſt obitum nihil cogitare, neque præmium, neque pœnam ſentire; &, mortuos non amplius eſſe, vel exiſtere ceſſaſſe: licet cauſſentur, ſupereſſe animam, ad Deum reverſam, neque interire cum corpore, ſenſu ſaltem carere.

17. In quo ſecum pugnant: mentis enim natura in cogitando conſiſtit, propterea que ſine cogitatione, ſine ſenſu gaudii, vel angoris, eſſe nequit. mortui autem Deum non laudant, vel memorant in ſepulcro, uti fit à viventibus, *Pſ.* 6: 6. & 22: 23. 26. quia membra non ſunt ſocietatis viventium.

18. Revocabuntur in vitam, *Pſ.* 90: 3. *Joh.* 5: 28. ergo ſuperſint oportet, ut vocem Filii Dei audiant: in prima quidem creatione vocavit Deus res, quæ non erant, quaſi eſſent; ſed in reſtauratione vocabit res, quæ ſunt, ut ſint, aut fiant, aliter.

19. Reſuſcitatum corpus natura, vel eſſentia, idem erit cum corpore per mortem deſtructo, renovatum licet ac reformatum, non aliter ac vas refuſum manet idem, ſi ex diffuſa illius materia refingitur. ſunt enim eædem numero particulæ corporis demortui & reſuſcitati, nova ſaltem coagmentatione congregatæ, noviſque motibus, quiete ac figura

Digitized by Google

gura inſtructæ; ut denuo errent *Socini* aſſeclæ, inſiſtantes eadem numero corpora eſſe reſurrectura.

20. Id profecto reſurgere dicitur, quod cecidit; redire, quod abiit; prodire, quod reconditum latuit. τὸ φθαρτὸν τȣτο, *hoc corruptioni obnoxium*, τὸ θνητὸν τȣτο, *hoc mortale*, induet naturam incorruptam, & immortalitatem, 1 *Cor.* 15: 53. Jobuſque ſperavit, ſe in carne ſua, oculis ſuis, non alium, eſſe viſurum Deum, *c.* 19: 26, 27.

21. Neque iidem homines, qui bene fecerunt, præmio mactarentur, ſi aliud acciperent corpus: at requirit juſtitia Dei, ut unuſquiſque reportet, quæ per corpus fecerit, ſive bona, ſive mala, 2 *Cor.* 5: 10.

22. Erit quidem novum corpus πνευματικὸν, movendum à Spiritu S., non ψυχικὸν, rectum ὑπὸ τῆς ψυχῆς, ab anima ſanguinea, perverſis motibus pravas in mente cogitationes excitante, 1 *Cor.* 15: 44. cœleſte erit, cœleſtibus præditum qualitatibus, agile, ſplendidum, immortale, incorruptum, liberatum à terreſtris corporis infirmitatibus, vſ. 40.

23. Nam ſeminatur corruptum, excitatur incorruptum, 1 *Cor.* 15: 42, 43. & mortem Domini Jeſu in corpore circumferimus, ut etiam vita Jeſu in corpore noſtro manifeſta fiat, 2 *Cor.* 4: 10, 11. transformaturi corpus noſtrum humile, ut fiat ſimile corpori ſuo glorioſo, *Philip.* 3: 21. ſicut pueri inſtar carnis & ſanguinis particeps fieri voluit.

24. *Venter abolebitur*, dum non porro inſerviet digerendis cibis, quibus non porro indigebimus: 1 *Cor.* 6: 13. & ille autem, & cætera manebunt mem-

Digitized by Google

bra, coagmentata ex iiſdem particulis, quibus ante corporis diſſolutionem conſtabant. caro & ſanguis quæ hereditatem regni Dei non conſequuntur, notant corpus animale, corruptioni obnoxium, rectumque ab anima ſanguinea, perverſis motibus pravas in mente cogitationes excitante: quale corpus in cœlo ſine dubio non habebimus, 1 *Cor.* 15: 50.

25. Neque infantes accipient corpus præter infantile, *Apoc.* 20: 12. ſtaturæ enim parvitas menti ſanctæ non erit impedimento, quin ea utatur ad gloriam Dei. & primi parentes ſi manſiſſent integri, genuiſſent utique infantes ſapientes & ſanctos, puſillo licet corpore præditos.

26. Mens revocabitur, dum jubebitur formare continenter cogitationes occaſione corporis reſtaurati, motuſque in eo efficere ac dirigere, quorum neutrum durante morte fecit. idque mandatum accipiet eadem mens, quæ ante mortem corpori fuit conjuncta, non alia. ſingula enim corpora ſuas habent mentes.

27. Mandatum hoc dabit Dei Filius, deſcenſurus *ἐν κελεύσματι cum hortatione*, ut mortui ſurgant, ſicut olim: *Lazare prodi foras*, 1 *Theſſ.* 4: 16. *Joh.* 11: 43. *puella ſurge*, *Marc.* 5: 41. & hortatio iſta eſt *vox Archangeli*, Principis Angelorum. ea namque Jeſus & Angelos convocatos ſecum adducet, & Angelorum ſe Principem demonſtrabit, quibus in humili ſtatu erat inferior.

28. Eſt & *σάλπιγξ Θεοῦ tuba Dei*, vox Dei omnipotentis, ſine mora effectum ſortitura: dabit ergo Chriſtus defunctis mandatum redeundi in vitam

tam voce ſonora, *tuba canet*, 1 *Cor.* 15:52. in aëre vehementem, & longe lateque propagandum excitaturus ſonitum, ut eum mortui, ubicunque hæreant, ſive in terra, ſive in aquis, audiant, ubique locorum præſentem.

29. Ridiculum eſt Judæorum commentum: Iſraëlitas extra Cananæam mortuos volutari per terræ cavernas in laudatam regionem, quo ibi reſurgant, *Buxtorf.* c. 3. Syn. Jud. De *regno millenario* ante univerſalem mortuorum reſurrectionem, plura docebunt futuri dies quam doctorum curioſorumque virorum inveſtigationes & diſceptationes.

CAPUT XI.

De forma & executione Judicii ultimi.

1. POſtquam defuncti revixerint, reliqui, qui non obdormierunt, mutabuntur, 1 *Cor.* 15:51. pro mortali corpore induturi immortale, 2 *Cor.* 5:4. *mortui primum reſurgent, deinde nos vivi, qui erimus ſuperſtites, rapiemur ſimul cum eis in nubes*, 1 *Theſſ.* 4:15-17.

2. Tum omnes & ſinguli ſiſtentur ad tribunal Chriſti, & qui in mundo intermixti vixerunt, ſeparabuntur in duas claſſes, quarum una ad dextram, altera ad ſiniſtram Judicis collocabitur, *Matth.* 25:32.

3. *Impii non ſtabunt in judicio*, *Pſ.* 1:5. ad illud quidem citabuntur, ſed non adſtabunt cum ſpe & lætitia concipienda ex abſolutione, receſſuri cum pudore à facie Judicis, *Matth.* 7:23. & 25:41-46.

4. Ad

Digitized by Google

4. Ad dexteram ſtatuentur *oves*, vocem ſupremi animarum Paſtoris audientes, ſcripti heredes ac Filii Dei, quos Judex invitabit ad occupandum regnum à Patre paratum, laudabitque à charitate erga fratres exercita; *Matth.* 25 : 33, ſeqq. nec vulgabit ipſorum peccata hac in vita commiſſa, qui condonata jam, tecta, deleta, in profundiſſimum mare abjecta, & ſanguine Liberatoris expiata ſunt.

5. Ad ſiniſtram ſtatuentur *hadi*, homines protervi, legis violatores, & Evangelii contemtores, quos diris devotos Rex ablegabit in ignem ſempiternum, Diabolo ejuſque Angelis præparatum, & graviter reprehendet propter immiſericordiam erga filios Dei, *Matth.* 25 : 41. *Jacob.* 2 : 13.

6. Cætera hircorum crimina non proferet, quoniam univerſale hoc judicium erit publica & ſolennis declaratio judicii particularis, in quo privatæ ſingulorum hominum cauſſæ tractantur.

7. Statutum enim hominibus eſt, ut ſemel moriantur, poſtea vero judicium *Hebr.* 9: 27. ſubeant quam primum vitam finiverunt, reddituri rationem de omni opere occulto, bono vel malo, *Eccl.* 12 ; 14. deque omni verbo otioſo, *Matth.* 12 : 36. ſecus ac putarunt, *Job.* 22 : 12-14. *Pſ.* 9 : 4. 7-9.

8. Tum Judex Dei Filius, noſcens omnia, quæ ſunt in homine, eaque nuda & reſupinata intuens, 1 *Cor.* 4: 4. *Joh.* 2 : 25. *Hebr.* 4: 13. illuſtrabit occulta tenebrarum, & manifeſta faciet conſilia cordium, *Rom.* 2 : 16. 1 *Cor.* 4 : 5. & reddet unicuique ſecundum opera, legi vel Evangelio congruenter, *Rom.* 2 : 12.

9. Aper-

Digitized by Google

9. Apertis namque æterni teſtamenti tabulis, ſcriptos in iis filios Dei immittet in præparatam hereditatem; atque illos, quorum nomina in libro vitæ non leguntur, bonorum cœleſtium poſſeſſione excludet, *Apoc.* 20:15. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν, *Matth.* 6:2. *Luc.* 16:25.

10. Quando ad tribunal ſtabit diſcipulus Chriſti, mortuus in Domino, abſolvetur à peccatis, & pronuntiabitur juſtus, præditus jure petendi hereditatem Dei propter Jeſum Chriſtum, quem vivens ſincera fide fuerat complexus, *Job.* 33:24. *Apoc.* 14:13. *Joh.* 17:22, 23.

11. Fabula eſt, ad terrendos animos, & evacuandos loculos, excogitata, poſt obitum homines, qui pro temporali peccatorum pœna ex aſſe non fecerint ſatis, abire in *ignem purgatorium*, ut eo purgati, & ſacrificiis operibuſque piis viventium adjuti & recreati, tandem in cœlum ſuſcipiantur.

12. Quiſquis enim ante mortem in merito perfectiſſimi Liberatoris fiduciam poſuit, & gratiam à Deo propter illius obedientiam petiit, ſtatim à morte abit in Paradiſum, & quieſcit à laboribus ſuis, portaturque ab Angelis in ſinum Abrahæ, *Luc.* 23:43. *Apoc.* 14:13. *Luc.* 16:22. *Rom.* 8:10.

13. Nam condemnatio nulla ſupereſt expectanda iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, *Rom.* 5:1. imo gloriari poſſunt de impetrata peccatorum remiſſione, & certo obtinenda cœleſti hereditate, *c.* 8:16, 17, 33, 34. neque datur poſt hanc vitam locus reſipiſcendi, & pro delictis faciendi ſatis: neque ſacræ literæ plura duobus memorant animarum receptacula, cœlum & inferos.

Digitized by Google

14. Contumelia adverſus Spiritum S. dicta, nec in hoc, nec in futuro ſeculo, i. e. Marco interprete, nunquam remittetur, *Matth.* 12 : 32. *Marc.* 3 : 29. ut Chriſtus minime innuat, quibuſdam delictis veniam in altera vita dari.

15. Ignis probaturus nonnullorum Corinthiæ Eccleſiæ doctorum opera, eſt feralis flamma à Romano milite accenſa, qua urbs & templum perierunt, 1 *Cor.* 3 : 13, 14, 15. eoque legalibus cerimoniis impoſitus finis, ut fruſtra illarum obſervationem urſerint.

16. Conferetur autem die noviſſimo ſalus *toti homini* à mortuis ſuſcitato, 1 *Petr.* 1 : 5. 2 *Tim.* 4 : 8. *mens* fruetur perpetua quiete ac voluptate, Patrem, Filium & Spiritum S. penitius cognoſcens, vehementius amans, & impenſius laudans; *corpus* erit glorioſum, immortale. mens tamen, pars hominis præcipua, beatur citius, ſtatim ab articulo mortis.

17. Neque minuit mentium ſanctarum beatitudinem, quod & fratrum liberationem, *Apoc.* 6 : 10, 11. & corporis ſui ſuſcitationem deſiderant, nam tempus à Deo definitum utrique bono patienter expectantes, lætæ interea in Creatore & Redemtore quieſcunt.

18. Ex adverſo, homines improbi poſt obitum detruduntur ad tartara, *Luc.* 16 : 23. 26, unde nulla patet redeundi via, donec infauſtæ mentes jungentur cum impuro corpore, æterna in eo ſupplicia ſoluturæ, ipſo judicii ultimi die inchoanda, *Matth.* 25 : 41, ſeqq. *Rom.* 6 : 23.

19. Non redigentur in nihilum, ſed cruciatus angoreſque percipient, *Luc.* 16 : 24. *Rom.* 2 : 15.

nam

Digitized by Google

nam redacti in nihilum beneficio mactarentur, *Matth.* 26:24. quod profani homines utique optarent.

20. Contemtores Evangelii punientur gravius ac Tyrii, Sidonii & Sodomitæ, *Matth.* 11:21-24. & ſervus cognitam Domini voluntatem negligens duplo vapulabit, *Luc.* 12:47. ergo ſint gradus pœnæ æternæ, oportet, quales non erunt, ſi damnati in nihilum abeunt.

21. *Mortui* dicuntur, quia non vivunt cum Deo, veræ vitæ auctore, etſi pergant exiſtere; uti mortui in peccatis vita naturali non privantur. Scil. removentur à facie Dei, *Matth.* 7:23. ſummum bonum non poſſident, anguntur ſine ſpe liberationis, & corpus æſtu torquetur ex ſenſu iræ divinæ. *Matth.* 25:41.

22. Atque hoc ſupplicium durabit ſine fine, 2 *Theſſ.* 1:9. *Marc.* 9:48. ſalva Dei juſtitia: peccando enim negarunt, Deum eſſe ſummum bonum, Dominumque infinitum, cui perpetuam conveniat præſtare obedientiam: quare tenentur ad reſtitutionem gloriæ Dei raptæ, ac fateri in æternum, Deum eſſe ſupremum bonum ac Dominum.

23. *Locus*, in quo damnati torquebuntur, eſt inferus, *Matth.* 10:28. *Luc.* 16:23. obſcurus, *Jud.* vſ. 6. vorago, carcer, *Luc.* 8:31. 1 *Petr.* 3:19. dictus gehenna ignis, *Matth.* 5:22. *Marc.* 9:47. à valle Molochi, in qua Iſraëlitæ liberos ſuos funeſtis ignibus inferebant.

CAPUT XII.

De ſalute æterna.

1. DUm impii abibunt ad ſupplicium perpetuum, juſti intrabunt in vitam æternam, *Matth.* 25: 46. fruituri beatitudine cœleſti, quæ eſt bonorum Chriſti in hac terra acceptorum conſummatio.

2. Nam in altera vita heredes Dei longe *arctius jungentur* cum Deo & Salvatore ſuo, viſuri Ipſum de facie ad faciem, 1 *Cor.* 13: 2. 1 *Joh.* 3: 2. quum erit omnia in omnibus, 1 *Cor.* 15: 28. Agnus paſcet eos, ducetque ad vivos aquarum fontes, *Apoc.* 7: 17. vult enim Dominus, ut miniſtri, à Patre ſibi dati, illic agant ubi Ipſe eſt, quo gloriam ejus conſpiciant, *Joh.* 12: 26. & 17: 24.

3. Jam nonniſi primitias Spiritus accipimus, *Rom.* 8: 23. manentes ex parte ψυχικοὶ, σαρκικοὶ; olim toti erimus πνευματικοὶ, recti à ſolo Spiritu S. mentem & corpus agitante.

4. Qui nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte vaticinamur, per *ſpeculum* ſacræ Scripturæ ἐν αἰνίγματι cernentes, tunc Deum cognoſcemus, ſicut ipſe nos cognoſcit, 1 *Cor.* 13: 9, ſeqq.

5. Accurate enim intelligemus, Deum eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. Divina attributa, ſtupenda naturæ & gratiæ opera, jam fere ignota, noſcemus recte; cognitione noſtra, quia Deus infinitus eſt, in æternum augenda: pro multitudine rerum, quas ſapientiſſimus Deus ſpectandas dabit.

6. Abo-

6. Abolebitur γνῶσις, 1 *Cor.* 13 : 8. notitia multo ſtudio acquiſita, ſcientia ratiocinans, difficile ex facili, & obſcurum ex claro colligens: rem ipſam enim præſentem intuebimur.

7. Quo autem amplius Deum cognoſcemus, eo ardentius diligemus. nam boni cognitione amor incenditur, neque operabitur in nobis niſi Spiritus *charitatis*, virtutum omnium maximæ, 1 *Cor.* 13 : 13.

8. *Adoptionis* quoque pleniorem declarationem in altera vita expectamus, *Rom.* 8 : 23. etenim *nunc quidem Dei ſumus filii; ſed nondum eſt patefactum quid erimus: ſcimus autem nos Domino fore ſimiles, quum Ipſe patefiet*, 1 *Joh.* 3 : 2. quia *patientes una, gloriam una reportabimus, Rom.* 8 : 17.

9. *Juſti* intrabimus in vitam æternam, liberi ab omni pœna peccati, & regnum poſſidebimus à Patre nobis paratum à jactis mundi fundamentis, velut quibus Pater dixit bene, *Matth.* 25 : 34. 46. & Chriſtus regnum legavit, *Luc.* 22 : 29. ſeſſuris in Ipſius ſolio, *Apoc.* 3 : 21.

10. *Sanctitas*, nunc omni ex parte imperfecta, olim perficietur in cœlo, in quod ſicuti nihil ingreditur immundi, *Apoc.* 21 : 27. ita nec peccatum penetrabit: Domino ſiſtente ſibi Eccleſiam glorioſam, maculis & rugis carentem, ſanctam & inculpatam, *Eph.* 5 : 27. ad quam dicat: *Tota tu pulcra, amica mea, & macula in te non eſt. Cant.* 4 : 7.

11. Etiam ſalus, quam Deus nobis paravit, *æterna* eſt, hereditas quæ nec perire poteſt, nec contaminari, nec marceſcere, *Joh.* 3 : 16. 1 *Petr.* 1 : 4. & 5 : 4. ſervata in cœlo, tabernaculis æternis, ubi

regnabimus in ſecula ſeculorum, *Luc.* 16 : 9. 2 *Cor.* 5 : 1. *Apoc.* 22 : 5. theſaurus nec furibus, nec tineis obnoxius, *Matth.* 6 : 20.

12. *Lætitia* & tranquillitas animi erit maxima. nam in juſtitia videntes faciem Dei ſaturabimur, quum expergefiet imago ejus, *Pſ.* 17 : 15. ſatietas lætitiarum eſt cum vultu Patris, jucunditates ſunt in ejus dextera in ſeculum, *Pſ.* 16 : 11. beabuntur lugentes, & conſolationem accipient, *Matth.* 5 : 4. *Pſ.* 36 : 9. *Apoc.* 7 : 17. & 21 : 4. non vexandi ab hoſtibus, non turbandi peccato.

13. Mens ſancta, ſapiens & hilaris habitabit in corpore incorrupto, levi, agili, ſplendido, ab omnibus imbecillitatibus vacuo, 1 *Cor.* 15 : 42, 43. Iſaacus non oculis, Aſſa non pedibus laborabit &c.

14. Hæc erit *ſingulorum* Dei heredum conditio. *omnes* unam cum Angelis beatam conſtituent ſocietatem, poſiti ante ſolium Dei, dieque & nocte in templo ei ſerviturі, *Apoc.* 7 : 15.

15. Alter alterum agnoſcet, uti Adamus in Paradiſo Evam, *Gen.* 2 : 23. & tres diſcipuli Jeſu in monte Moſen & Eliam, *Matth.* 17 : 3. videbimus enim Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, omneſque prophetas in regno Dei, *Luc.* 13 : 28. & audiemus virtutes & opera Dei laudantes.

16. Tunc liberorum, parentum, conjugum, propinquorum miſeria, qui in cœlo non erunt, beatos haud contriſtabit: neminem enim ſecundum carnem cognoſcemus, beati, Deoque & Chriſto pleni.

17. Cogitationum & ſermonum pulcer erit, ſuavis & mirabilis conſenſus, ab humana Filii Dei mente per Spiritum S. acta moderandus; nemini de-

deficiet quicquam, ſed alia Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum eſt gloria, 1 *Cor.* 15: 41. neque virilis beatitudo minuet infantilem.

18. In quam ubi transferemur, conſummabitur ſeculum præſens, & res creatæ vindicabuntur à vanitate, cui propter peccatum ſubjacent, *Rom.* 8: 21, 22. reſtituendæ in priſtinum integritatis ſtatum ad laudem Conditoris, *veluti pallium mutabis cælos, & mutabuntur, Pſ.* 102: 27.

19. Tum mutata Eccleſiæ & Orbis facie, cunctis hoſtibus victis, Filius Patri tradet regnum, 1 *Cor.* 15: 24. cives ſuos non porro recturus in ſolio Patris tanquam ipſius Vicarius, ſed proprio in ſolio, una cum Patre & Spiritu S. ceu Deus & Liberator. *Beatus qui comedet panem in regno Dei, Luc.* 14: 15. *Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum! Luc.* 23: 42.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google